1611

Duplicado

Digitized by Google

R-1505



Digitized by Google

122.6.

Digitized by Google

15.552

Digitized by Google

15.552
9°
271.
A. 7

ANNVÆ LITTERÆ SOCIETATIS IESV,

ANNI CIↃ. IↃC. XI.

De la libreria del colleg.° de la compañia de Jesus

AD

PATRES ET FRATRES EIVSDEM SOCIETATIS.

8° Dupp.

DILINGÆ,

Ex Typographéo Mayeriana, apud Melchiorem Algeyer.

BIBLIOTECA
Digitized by Google

Digitized by Google

PROVINCIÆ
ANNI CIↃ. IↃCXI.

Sicilia
Neapolitana
Lusitania
Toletana
Francia
Aquitania
Lugdunensis
Tolosana
Belgium
Vicebelgica
Austria
Germania superior
Rhenana
Polonia
Lithuania
Aragonia
Bætica
Peru
Philippinæ
Mexicum.

Digitized by Google

PROVINCIA SICILIA.

Fuêre in hac Prouinciâ Socij (si eos omittas, qui ad me non peruenerunt) sexagintâ duo supra trecentos. Morte amissi decem.

		Vniuersim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholast.*	*Adiutores.*
Panormi	In Domo Professâ					
	In Collegio					
	In Tirocinio	LX.				
Mameri in Domo Professâ		XXXIII.	XVII.			XVI.
Mameri in Collegio		XLVI.	XIII.	VI.	XII.	XV.

	Vniuerſim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholaſt.	Adiutores.
Mamerti in Tirocinio	XXII.	XII.			X.
In Coll. Catànenſi	XXII.	X.	III.		IX.
In Syracuſano	XXIII.	IX.	III.		XI.
In Calataieronenſi	XXII.	IX.	III.		X.
In Monteregalenſi	XIIX.	VII.	II.	IV.	V.
In Biuonenſi	XVII.	V.	II.		X.
In Rhegienſi	XV.	VII.	II.		VI.
In Drepanenſi	XIX.	IX.	III.		VII.
In Minenſi	XVII.	VII.	I.	I.	VIII.
In Melitenſi	XV.	VII.	II.		VI.

Digitized by Google

	Vniuersim.	Sacerdotes.	Precept.	Scholast.	Adiutores.
In Marsalensi	XV.	VII.	II.		VI.
In Caltanixettensi					
In Saccensi	XI.	V.	II.		IV.
In Domo Platiensi					
In Coll. Netensi					
In Residentiâ Chio	VI.	IV.			II.
In Resid. Moticensi	IV.	II.			II.

Abluti sacro latice adulti quatuordecim.
Dissidia & odia maioris momenti extincta octo.
Ascetícis B. P. N. commentationibus exercíti sex.
Infames mulierculæ resipuêre decem.

DOMVS PROFESSORVM MAMERTINA CVM suo Collegio. &c.

I.

VNERA DECEM, VT DIctum, Prouincia ista anno hoc milleſimo ſexcenteſimo vndecimo duxit. Profeſſorum Mamertina domus geminum, P. Hieronymum Lombardum omnibus votis & virtutibus abſolutum virum, & formandis pro Societate noſtrâ Tironibus aliquot annis deditum: tum Fratrem domeſticis negotijs aptiſſimum Franciſcũ Capillum multi & indefeſſi laboris hominem, Coadiutorem formatum. Collegium Catanenſe vnum, ſed quod multa æquet: Patrem videlicet Bernardum Colnagum luctu totius ciuitatis elatum. Adierat Societatem anno ætatis quinto decimo, in qua ad ſextum peruenit & ſexageſimum; ijs ſemper in rebus verſatus, quas ampla quatuor votorum, quam emiſerat profeſſio requirebat. Nam & ingenio & pietate magnus clarúſq; ſemper eſt habitus: ingenio quidem, quòd

Digitized by Google

iacentes in Siciliâ humaniores literas, Philoſophiã, & Theologiam iuxta cõplexus erexit, atq; illuſtrauit docendo: feciſſet & ſcripto, niſi multa iam parantem & ordientem mors occupâſſet: pietate verò cum religioſiſsimis quibuſque Societatis noſtræ viris componendus. Et erat ille quidem antiquis moribus candidus ac ſincerus, nihil vt vnquam inconſultis Maioribus aggrederetur, à quibus ſi rei cuiuſpiam facultatẽ impetrâſſet, eam ſcripto cõplectebatur, in quo notabat ſingulari ſtudio, quid & quamdiu ſibi liceret, ſempérque ob oculos ſcriptum illud habebat. In ſe præcipuè ſeuerus ac rigidus fuit: cilicia illi, inedia, vigiliæ, verberationes, humi cubationes frequentiſsima, ac penè quotidiana. Viſus eſt ſæpe efficere præclarũ quid in hoc genere, quódque eius virtutem maximè exprimit. Naſcentis Chriſti aut Cruce pendentis ſimulachrum ſuo in lectulo collocabat; vbi cùm diu ſatis ſpõdæ aſſidens ſuauiſſimas cantiunculas, aut funebrem neniam ceciniſſet, ſe quieti dabat.

Porrò ita prolixus in precibus, vt plerumque coniungeret diebus noctes: ita demiſſus, vt ſæpiſſime ſub ſcalis domûs aut alio abiecto in loco ſupplicans offenderetur. Quæ nimirum ſparſa in vulgus faciebant illi per ſe audientiam in cõcionibus, in quibus doctrinæ pietatem, pietati lachrimas adiungebat, (præcipuè cùm de cruciatibus & nece Chriſti Domini ſermo inciderat) lachrimis effecta admiranda interdum & futurorum prædictiones: vt cùm de laudibus D. Franciſci à Paulâ (quem ille & D. Antonium Olyſſipo-

Digitized by Google

lyssipponẽsem præcipuo studio colebat) Catinæ in templo Religiosorum, quorum Sanctus est antesignanus, concionem haberet, & Catinensis ager imbres postularet. Ibi enim cum peroràsset, dimisit cœtum solito de more apprecatus; ipse autem in suggestu adhuc subsistebat: qui interfuerunt concioni, suspicati id quod erat, magnum quid expectabant: quamobrem ne ter quidem iussi domum abiére. Pater vbi constantiam populi vidit, tandem aperit habere se in animo tamdiu ibi consistere, dum per Sancti viri merita pluuiã impetret: tum magnis vocibus Diuum appellare, atque instare: à quo post multas preces, vt creditur, edoctus voti se compotem factum, descendit, poscit libellum horas canonicas recitaturus: vixque psalmum Dauidicum recitando complêrat, cùm paulò antè sereno cœlo, ingens pluuia decidit: atque huius rei tot sunt testes, quot Religiosæ illius vbi dixerat, familiæ viri, quótque concioni interfuerunt auditores. Vulgata est & altera per vrbem eiusdem prædictio, testimonio nonnullorum grauium, fidéque dignorum hominum, qui eum ex ipso Patris ore acceperunt, confirmata, D. Octauius Ramondetta vir clarissimus, aliquot abhinc menses peracto Ducis, quem in hac vrbe gesserat, magistratu, morbo tam graui correptus est, vt salutem in ambiguo poneret: ideóq; assidenti ad lectum Patri inquit, non mediocriter se timere, ne, id quod nollet, domo suâ absens, quam Panormi, etsi ipse Catinensis, habet, decederet: at ille bono esse animo eum iubet; reuersurum

Digitized by Google

enim domum suam incolumẽ sospitémque mox subdit; mortem quidem ipsius non longè abesse, quemadmodum neque & suam; Dominum siquidem Octauium quindecim ante Patrem Bernardum diebus vitâ emigraturum. Cùm igitur postea ægrotante grauiter Patre, quidam è Nostris Octauij sororem fortè inuiseret, dicerétq; Patris exitum propè adesse, mulier subita mœstitia ac timore correpta, memor scilicet vaticinationis, quam præsens ipsa audiêrat: *Ergo*, inquit, *germanus meus diem tam clausit extremum*: nec sanè ineptè ratiocinata est: nam mox allatus est ei nuncius de fratris obitu, qui cõtigit Panormi VI. Idûs Apriles, quindecim planè diebus ante Patris excessum, qui in X. Calend. Maias, inciderat. Plura de eius virtutibus rebúsque gestis dicerem, hîc si locus esset; & iusto fortasse volumine comprehẽdi possent; ac de miris quidem ab eo operibus editis extat libellus incuriâ Episcopi Catinensis. De funere illud in vniuersum dixero, fecisse Catinenses quod maximum poterant. Nam & totos ipsos sex dies, quos decubuit grauissimo pressus lethargo, perpetuus virorum ad Collegium confluxus, refluxúsque fuit: & totum triduum (tamdiu enim inhumatus asseruabatur ad explẽdam populi pietatem) magni facti sunt in templum omnis sexûs atque ordinis hominum concursus, qui manus osculari, coronis piacularibus corpus contingere, ac si quid ex vestibus decidere poterant, summo studio certabant: adeò vt ligneis demum clathris fuerint arcendi.

Magi-

Digitized by Google

Magistratus publico nomine ac sumptu parentare voluit, pulsari iussis ad exequias omnibus vrbis campanis, elato humeris nobilium ex Sodalitate Albatorum, quos vocant; celebrato solemni ritu sacrificio per Ecclesiæ Collegiatæ Presbyteros & Canonicos, atq; habitâ de Patris laudibus concione à F. Bartholomæo à Messana Capucino. Idem Magistratus eundem ad viuum exprimi in telaiussit, collocandum in æde senatoria inter Catinensium viros illustrissimos: Patrémque Rectorem rogauit, vt diuersæ à communi sepulturæ traderetur: se habere in animo, legare aliquem ad Summum Pontificem, qui iubeat Episcopũ inquirere certiúsq; cognoscere de signis ac miraculis à Patre editis, vt sic demum inter Beatos cœli spiritus ipsum versari, ritè decernatur. Ita in arca, lignea oppicata in Crucifixi sacello ante altare seorsim ab alijs conditus est.

III. COLLEGIVM Syracusanum vnum etiam habuit: Calataieronense duo. Illud P. Hieronymum Corales, quatuor professum vota, & in Societate dimidium omnino seculum magna probitatis simul ac doctrinæ existimatione versatum: præsertim autem qui Siciliæ montes incolunt, ad quos sæpius exibat, charitatem viri feruorémque deprædicant.

Hoc P. Angelum Sibyllam, & Antonium Bertonium Coadiutorẽ. Ille tria vota Professus vir erat de Societate quàm optimè meritus: præfuit quippe Domui Probationis Mamerti, ipsi dein Collegio Mamertino, & huic demũ Calataieronensi

Digitized by Google

nensi iterum; vbi & obijt munere suo & vitâ perfunctus, vt illustria virtutum exempla relinqueret, integritatis, sinceríque animi candoris, comitatis, aliarúmque, & præ alijs sui ipsius despicientiæ. Cùm secundùm tirocinio Mamertino Rector destinaretur, idque vulgari iam animaduerteret, literis ad aliquem è Catinensibus nostris datis perscripsit, se id, quod de se spargeretur, frustra quidem, studuisse tamen occultare; tum subiungit: Nihil ea de re futurum; se enim aliò & ad feliciorem vitam properare. Hoc idem & Caltaierone familiariter Socijs retulit. Atque eam narrationem minùs seriò acceptam seriam fuisse ipse mox euentus demonstrauit: breui enim cum magno omnium dolore ac desiderio P. Angelus fuit elatus. Antonius Bertonius cum annos ferè quinquaginta Societati operam dedisset, triginta ipsos & eò ampliùs consumpsit in hoc Collegio æditimi munus obeundo, quod tam strenuè executus est, vt neque ad conuerrendum templum bene magnum, neque ad concinnandum aut insternendum cuiusquam auxilium aut rogauerit, aut admiserit, laborans ipse noctu magis quàm interdiu. Hunc fratrem, per extrema vitæ tempora tres ipsos annos lecto affixum paralysi atque asthmate grauiter exercuit DEVS: quo in morbo cùm non defuissent illi præter corporis dolores multa etiam incommoda alia, quæ cum religiosâ vitâ cõiuncta sunt, nunquam à quoquam visus aut auditus est fracti vel perturbati intolerantisvé animi indicium vel minimum dare.

IV. BI-

Digitized by Google

IV. BIVONENSE P. Franciſcum Miroldum, ſpiritualem Coadiutorem ætatis ſuæ anno quinquageſimo quinto. Rexit hic Noſtros tam veteranos quàm Tirones diu, parentis loco & à ſuis & ab alienis habitus. Ipſe enim noſocomium vrbis penè collapſum conquiſitâ ad eam rem magnâ pecuniâ reſtituit; & inſtituit Sodalitatẽ, cuius inſtitutum animas liberare, quæ ignibus adhuc propter delicta commiſſa expiantur. Pauperculis virginibus emẽdicata ſtipe honeſta matrimonia procurauit. Quæ videlicet cauſſa fuit cur in tota ciuitate ad eius obitum comploratũ ſit, cerei & funalia à pluribus accenſa; omnium ordinum accurſu fletúque parentatum. Eius mors contigit VII. Calend. Septembres ſextâ feriâ, quo die ipſe decedere cupiebat, eâdem horâ, quâ Chriſtus Dominus emiſit ſpiritum; cùm antè de vicino obitu certior factus in ea Pſalmi verba prorupiſſet: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi &c.*

V. MELITENSE Franciſcum Abbatem Coadiutorem temporalem formatum. Is erat maior ſeptuagenario, quatuor & quadraginta annos in Societate morum valde amabilium, & antiquæ ſimplicitatis frater. Cùm enim olim P. Hieronymum Domenecum tum Prouincialem de ſe admittendo in Societatem adiſſet; ita rogauit; *vt ſe ad annos duntaxat aliquot admitteret, dum per vires corporis iuuare Religionem poſſet; ſeneſcentem verò iterum dimitteret, vt ſeruum inutilem: ſe verò tũc peregrini habitu Hieroſolymam, corrogata ſtipe viſitantem iturum*: ac iuxta hunc ſenſum

Digitized by Google

ſenſum ad ſupremam vſque ſenectutem in humilibus culinæ, piſtriniſque miniſterijs gnauiter laborauit. Elucebant in eo virtutes non paucæ. Nam & ſubmiſſionis & paupertatis affectum præ ſe ferebat non vulgarem: ſuum enim abiectum in Mundo ſtatum ceteris identidem commemorabat; & nunquam adduci poterat, vt pileolo, qualem clerici geſtarét, vteretur. In eius ore nunquam inſonuit frigidum illud verbum; *Meum & Tuum*, ſed ſi quam rem ipſe vſurpare vellet, *Noſtrum*, dicebat. Rarò carnibus veſcebatur. Sed & ſi quid ipſi ad menſam extra ordinem afferebatur valetudinis cauſsâ, rubore perfuſus non ſumebat. Obedientiam ſanctiſſimè coluit. Præterquam enim quòd Maiores præcipuâ reuerentiâ proſequebatur, eorum iuſſiones induſtriâ ſuâ anteuertebat; cùm (præſertim de nocte) aliquis Patrum ad moribundos eſſet comitandus, tintinabuli ad ianuam vocantis audito ſigno confeſtim ſurgebat, ſeſéque illis, qui mittere poterant, ſiſtebat: ex quo charitas eius miſeróſque iuuandi ardor perſpicuus eſt. DEI verbum & loquebatur libenter, & audiebat auidè, vbicunq; licuit; ſæpius affirmans; *ſe corporis cibo facilius, quàm ſacrorum ſermonum vſurpatione caruturum*. Sacroſancti nominis IESV ac Beatiſſimæ VIRGINIS ſtudioſiſſimum ſe præbuit: illud frequenter ore vſurpans; hanc in ſuo ſacello flexis genibus, fuſiſque precibus ſic deuenerans, vt quicquid vacui temporis ab opere haberet interdiu ei tribueret: ſed & maximam noctis partem adderet,

Digitized by Google

deret, quam vt insomnem duceret séque excitaret, colaphos sibi crebros infringebat; vt ita nullo negotio à quærentibus in sacro illo diuersorio inueniretur. Et modestissimus semper idem fuit, atq; vt externis nulla à Nostris offensio vnquam præberetur, optabat; Præsides hac de re non rarò submonens: quippe qui nec galli gallinacei cantum è Collegio foras mitti vellet.

Porrò vt pro omnibus DEO supplicabat, ita charus omnibus erat, multáſq; eleemosynas tũ alijs Prouinciæ domicilijs, tum Melitensi præcipuè emẽdicauit. *Sanctus* vulgò dictus. Nam ipsi etiam Mauri, qui captiui Melitæ tenentur, audito de eius obitu nuncio; *Ergóne*, exclamarunt, *vir ille sanctus mortuus est?* Ipse etiam Episcopus, qui illũ vnicè diligebat (vt de totius vrbis sensu taceam) cùm in viridario, vbi tum versabatur, de eius morte nuntium accepisset, collachrimauit.

VI. PANORMITANA Probationis Domus Tritones amisit duos: Chium vnum, quem parentes quamuis vnicum filium DEO Societatiq; obtulerant, tantæ simplicitatis seu modestiæ adolescentem, vt cùm sub finem vitæ ab æqualibus suis iuberetur B. Parenti IGNATIO se commendare, id facere nollet; *Vereor*, inquiens, *vt meminerim*. In altero diuinæ bonitatis indicia per quam clara fuêre: qui cùm in Mundo vitæ fuisset liberioris, quod familiares eius affirmabant, apud nos tam fuit obseruans disciplinæ religiosæ, vt fræno etiam indigeret; quo tamen retineri adeò non poterat, quin fines in se castigando subinde excederet.

Paulo

Digitized by Google

Paulo ante vnctionem vltimam Socios tirones enixè rogauit, ne se in igne purgatorio detineri diutius paterentur; atq; hoc tanto sensu ac pietate, vt omnibus lachrymas excuteret: à quibus & peculiaria suffragia eo corrogauit; quæ libēter ab vniuersis promissa sub vitæ terminum, quò alacriùs emigraret, è schedulà illi sunt recitata.

VII. A TRISTIBVS istis ad lætiora pedem referamus, & ordine per Collegia & domos eundo, summas rerum perstringamus. Templum Messanæ Domûs toto hoc anno celebre fuit, & donarijs subinde auctum. Cultus diuinus tum aliàs splendens, tum nouem ipsis ante Domini Natalitia diebus ab expectatione B. VIRGINIS solemnibus; in quibus singulis proposito signo ipsius DEIPARÆ regificè ornato, vespertinæ ad rem conciones habitæ sunt. Splendorem & illa cęremonia habuit, qua duæ puellæ Turcicæ, Proregis mancipia, in æde nostra sacrum baptisma susceperunt. Sub ferias hebdomadæ maioris ex Calabria ad nos confessionis instituendæ gratiâ profectus Hieracensium Princeps, bene magnam eleemosynam Domui cōtulit. Nec immunificus fuit vrbis senatus; qui, cùm in hac Domo prouincialis Congregatio Nostrorum Professorum haberetur, in eius subsidiū aureos misit ducentos; præterquam quod ex priuatorū liberalitate accessit, quo aliquot menses post soluta comitia victitatum est. In Collegio Catechismi tradendi vsus ac ratio viguit, egrediente singulis diebus Dominicis magno discipulorum

nostro-

Digitized by Google

nostrorum numero, in duo examina distributo, post cruces & vexilla pias cantiunculas recinētium : quorum alterum cum vno Catechiste de Nostris in Professam domum, alterum cum altero in varias vrbis Parœcias se confert. Habiti deinde in littore, viâ vrbis celeberrimâ, ac pleno circulatorum loco sermones, ad vberiorē Christianæ doctrinæ explanationem facientes cum approbatione vniuersorum, præsertim nobiliū, qui rhedis prēteruecti piè admodum, vt concionantibus adessent, aurigas sistere iubebant.

Confectum item à P. Iacobo Charybdio feliciter negotium Romæ apud Summum Pontificem grauissimum de Reliquijs plurimorum in effossione fundamenti, cùm templum D. Placido Martyri conderetur, repertis: quæ tum ob vicinitatem earum, quas Diuorum iam esse constabat; tum ob evidentia Martyrij indicia, tum præsertim ob multitudinem patratorum insignium miraculorum, in lucem & communem cum templi Patrono cultum videbantur producendæ.

VIII. CATANÆ nulli pēnè erant huc vsque, qui se B. P. IGNATII commentationibus exercuissent : nunc tandem complures hoc sunt aggressi opus è præcipua nobilitate, qui re cōprobant, quām id aliquando ausis fuerit salutare. Et quem isti fructum hinc percepēre, eundem fere alij è Sodalitatibus ferunt; Cleri maximē, quę vt recēs sub nomine Præsentatæ VIRGINIS instituta, recentibus virtutibus floret.

IX. SYRACVSIS Duo quidam solo pane cum

Digitized by Google

guóque obſoniolo contentus eſſe voluit, quamdiu ei Aſcetica noſtra pertractare licuit: & ex nobilibus vnus Ioañes Vincentius Pandolphus, cùm enixè poſtulaſſet in aliquod Collegij cubiculum admitti, vbi reliquias vitæ ſuæ octuagenarius iam tranſigeret, impetrauit; ingẽti ſuo & ſolatio, & modeſtiæ, ipſos ſexdecim mẽſes, quos apud nos ſuperuixit, relicto exemplo: donârátque iam antè Collegio prædium tribus aureorũ millibus æſtimatum. Templi noſtri rationem habuit, cùm excederet, Ioſephus Saladinus Epiſcopus Syracuſanus, datis in ſacrum vſum omnibus ſuis aulæis: adeóque viri huius optimi maximum in Societatem affectum cùm ſemper perſpeximus, tum eum ſupremis vitæ temporibus præcipuè licuit videre.

X. CALATAIERONE tanta ad templum noſtrũ pietatis cauſsâ confluentium multitudo eſt, vti nouem Sacerdotes omnium excipiendis cõfeſſionibus pares eſſe vix poſſint. Ciuitati ita curæ ſumus, vt ſemel nobis eleemoſynæ nomine aureos mille impertiuerit.

XI. IN MONTE REGALI altera de officijs Chriſtiani hominis ſchola, quæ ſuperioribus annis intermiſſa erat, nunc quaſi poſtliminio ad vſum redijt.

XII. EXCITATA Biuonæ eſt pia in Opificum Sodalitate conſuetudò ſtipis per oppidũ diebus Dominicis in ſubſidium pauperum emendicandæ. Memorantur & duo à B. P. Noſtro hîc patrata miracula, quorũ fides in publicis Epiſcopi tabulis per forenſẽ Vicariũ eſt hoc añno ſtabilita.

Prius

Digitized by Google

Prius quod anno CIↃ. IↃC. III. contigit, eiusmodi fuit. Dñs Rochus Donda Biuonēsis Sacerdos pleuritide laborabat tam acuta, vt copioso sanguine per os erumpente, recuperādæ valetudinis spem medicis omnē auferret. Confugit in eo periculo ad Beati nostri, opem, impetratámque à nobis eius effigiē ad ceruical deponit; numisma, quod eiusdem Beati formam expressérat, ore mordicus concludit; inde paululum obdormiens, cōfestim sanus libérq; surrexit tum ab laterū dolore, tum à cruoris vomitu; quemadmodum ritè & ipse, & mater eius retulerunt. Alterum año proximè superiori cum Sanctimoniali virgine in Cœnobio D. Clarę, quod huius est oppidi, accidit; quæ sic intumuerat, nihil vt ferè seipsam iuuare aut mouere posset, nedū incedere. Post multa remedia, quæ solers medicorū industria suggerebat, audijt tandē, quanto miraculo B. N. Pater Dominicanū quendam simili ex morbo decumbentē in pedes erexerit, vt quocumq; vellet, mearet: votum ergo eidē nuncupauit & ipsa, si salutis cōpos fieret, se & peruigiliū ieiunio, & festū eius diem sacrę synaxeos perceptione obseruaturū. Qui dies cùm illuxisset, delata à duabus sororibus, diuina mysteria inijt, enixè obtestata Dominum, vt per merita serui ipsius ex morbo recrearetur. Dicto citiùs exaudita cū admiratione omniū, monasterium permeare & valentis functiones obire cœpit. Sic ipsa, sic Virginum Cœnobij Maxima, sic pariter duæ, quæ curam ægrotantium gerebant, sic deniq; medicus cum ijsdem iureiurando testati sunt.

Digitized by Google

XIII. ET VT DE B. IGNATIO noſtro illud etiã dicamus, Drepani, ipſo oleo, quod ignem ante imaginem eius nutrit, multis ægris piè depoſcẽtibus optata tribuitur ſalus: atque idcirco non orga ipſum modò, verum etiam erga Beatos Xauerium, Aloyſium, Stanislaum in dies ſumit populi pietas incrementum. Paganis non paucis Chriſtianæ fidei per Noſtros aperta ianua. Mauræ cuiuſdam Mahumetanæ filius vnà cum matre Baptiſmo adhibitus.

XIV. RHEGII in maximo vrbis templo noſter Eccleſiaſtes tam frequenti concione auditus eſt, tantóq; fructu, vt nec ſimilis poſt Rhegienſium memoriam fuiſſe credatur frequentia, nec Religioſi aliorum ordinum (quod ipſi affirmant) tam accuratum in expiandis animis populum vnquam animaduerterint. Fuére qui ex concione rectà ſeſe ad Confeſſariorum tribunalia proſtrauêre: qui capitales inimicitias viciſſim datâ veniâ ſoluêre; ſumptuoſum & à faſtu excogitatum cultum cum humili modeſtóq; cõmutauêre. Scholæ & Sodalitates floruerunt, vt magis nunquam. Hæres Collegium inſtitutum eſt à feminâ quadam ex aſſe, cuius bona ad aliquot aureorum millia pertingunt. Alia plus quàm mille ducatos ad ſuam mortem conſequendos legauit.

XV. NETI numerus in dies creſcit eorum, qui noſtrum ſacellum concionum audiẽdarum, Sacramentorúmque cauſsâ celebrant. Quæſtiones de conſcientia veſpertinæ per aliquot hebdomadæ dies proponi ſolent, inſtitutúmq; nobilita-

Digitized by Google

bilitatis Sodalitium, ſpem bonæ frugis facit: hoc in grege, illæ in paſtoribus.

XVI. SOLATIO eſt tum Noſtris, tum maxime externis in oppido Menenſi non adeò frequenti Opificum Sodalitatem ad trecentorum numerum excreuiſſe: ita vt quadrifariam diuiſa in quatuor dies menſis Dominicos, quò faciliùs illi fieri ſatis poſſit, ædem noſtram confeſſionibus & communionibus celebrem faciat. Multa in eo cœtu vtiliter ſapienterque ſtatuta. Cuidam eorum ad frequentandam Sodalitatem & obeunda ſacra Confeſſionis atque Euchariſtiæ myſteria admodum tardo & raro, quamuis ſæpiſſimè moneretur à Præſide, nocte quadam viſus eſt Sacerdos de Societate vita functus, qui multos annos huic Sodalitio fuerat præfectus. Is acriter ſegnem illum obiurgans minabatur; *nomen eius delatũ iam ad Patronam VIRGINEM tanquam Sodalis ſuarum rerum negligentis; proinde non leuem ipſi pœnam timendam, niſi reſipiſceret.* Quod viſum cùm manè pro ſomnio haberet Sodalis, & de propoſito Confeſſionis inſtituendæ recideret, ſequenti nocte eundem vidit Sacerdotem, multò iam duriora minantem & acerbiora. Sed quæ illum non diu attonitum habuerunt, quin ad mores antiquos illico & ingenium rediret; donec ab alio denique Noſtro per quietem iterum nocturnam in ipſum templum manu deductus, & de duobus criminibus in confeſſione ad id vſque tempus ſuppreſſis commofactus & ſpopondit, & præſtitit.

XVII. MELITÆ reditus Collegij noſtri admo-

Digitized by Google

dum quidem tenues sunt, incerti, & adhuc sub Iudice: sed Numinis erga Nostros, Equitúmque Hierosolymitanorũ ea fuit liberalitas, vt ad victum parandum acceperimus hoc anno aureos amplius ducentos, plures in templi ædificium. Decem paganis baptismus, tribus hæreticis proba fides est collata.

XIIX. OPIFICVM Marsalensium Sodalitas hoc anno nata difficili partu, complectitur iam capita ampliùs octoginta. Miros item processus habet in Lilybetano populo cultus B. P. N. IGNATII. Nam ad curandos omnis generis morbos oleum ex eius lampade flagitatur: itinera, stationésque votiuæ suscipiuntur: à templi gradibus ad eius aram vsque genibus reptatur: imagines moribundis applicantur: ex qua pietate tum alij fructum tulere, tum miles nuper Hispanus à morbo, qui duos annos medicorum artes luserat, curatus est. Collegij huius conditor Stephanus Frisella piè ex hac vita decedens, debitum nongentorum aureorum nobis remisit.

XIX. CALTANESSETÆ nobilis quædã femina, vt suam aduersus Societatẽ patefaceret voluntatem, stragulã omnem ex serico vestẽ aureis sesquicentum æstimatam, quâ conclaue, vbi decũbebat ipsa, insternebatur, à parietibus reuelli, eodémque temporis momento, quo decederet, in Collegiũ ad templi ornatũ deportari voluit.

XX. SACCENSE nec ita antiquum domicilium nec amplum, laxioribus habitaculis instructum, sumptum magnam partem subministrãte Ioanne Ba-

Digitized by Google

ne Baptistâ Pirollo Collegij parēte. Senatus vrbicus tormentū æneum ex grandioribus propugnaculis inutile, in æs campanum Collegij conflari iussit. Sodalitijs quatuor quintum, quod Sacerdotes complectitur, hoc anno accessit.

XXI. PLATII inter viros primarios multæ cōpositæ lites; periculosissima duorum fuit, qui de summâ rerum ferro statuerant decernere. Misera item femella, quæ non semel venenum à coniuge sibi paratum euitârat, per Nostros in gratiâ apud maritum est restituta. Sacerdos inueterato iam diu scelere infamis, in morbum inciderat nec leuem, nec adeò tutum; itaque cùm eo se loco ac periculo constitutū videret, conscientiâ scelerum territus magis magisq; timere cœpit; necdum tamen, quod premebat conscientiæ onus, deposuit. Ita inter spem & metum adhuc anceps nocte quadam sibi latus acriter diuerberari sentit; vrget adhæc ampliùs ex verbere conceptus dolor; tum vox occulta, quæ monebat, vt è Nostris vnum nominatim continuò aduocaret, cui si salutis recuperandæ desiderio teneretur, ægritudinis radicem causamque malorum omnium detegeret. Quod cùm ille prima luce aduocato Patre fecisset, à desperato morbo incolumis curáque vacuus surrexit.

XXII. A CHIO insula Ægæi maris, quę ad Turcarum pertinet imperium, prope miraculū fuit, pestilentiam hoc anno abstinuisse, cùm Cōstantinopoli, cū qua vrbe vtpote non procul distante perpetuum quasi commercium intercedit, tam crudeliter grassata fuerit, singulis vt diebus

Digitized by Google

octingentos circiter; totius autem anni spatio, vt auctores sunt fide digni, centum hominum millia octoginta confecerit. Nomen atque existimatio Societatis, quod ad DEI maiorem gloriam cedat, magna est in hoc Oriente; ideóque non solùm, qui sunt in vrbe, vbi Nostri cõmorantur, sed ex omnibus circà locis, & nationibus concurritur, consilia atque auxilia rebus afflictis apud Patres quæsitum. Credi vix potest, quàm vberes fructus legãt pauci operarij. Quatuor enim Sacerdotes quinque Congregationibus & duabus scholis ita satisfaciunt, vt nihilominus à concurrente expiandorum multitudine, ad inuidiam etiam aliorum, nonnunquam ferè opprimantur. Reperti enim sunt ex quorundam Ordinum Religiosis, qui cùm Nostros eam ob rem publicè conuitijs proscindere religioni sibi parum ducerent, à nobilibus quibusdam fuerunt coërcendi: & quod mirabile videri possit, ipsi Turcæ optimates murum se nonnunquam pro Nostris contra Ianicerorum insolentiam insultúsque opposuerunt. Atque eo quidem tempore cùm in portu Chio classem haberet regiæ ipsius Turcarum classis Præfectus, præcipui eorum in templum nostrum ventitabant sæpius, suspicere opus, mirari splendorem: præcipuè vero symphoniacum concentum magna cum voluptate audire: quam quidem se percepisse indicabant abituri, se ipsos nobis suáque quàm officiosissimè commendantes.

Plerique porrò ex Sacerdotibus Caloceríq; Græcorum tum huius insulæ, tum ex vicinis, aut coram

coram aut per literas modum à Nostris ritè audiendorum iuuandorúmq; cõfitentium, ipsámque absoluendi formulam, quæ est in Latina Ecclesia, in Græcanicum idioma conuersam accepere: quorum ipsorum nonnulli arcana cõscientiæ suæ Nostris crebrò detegunt. Iam verò domus nostra, non modò Christianorum, qui in Turcicis triremibus captiui tenentur, (vt anno præcedente etiam monere me memini) perfugium est: qui quidem nec rarum nobis negotium faceſſunt, nec paruum: sed etiam peregrinis diuersorium, qui ad sacrosanctum Christi sepulchrum pergunt: quos ea charitate susci pimus, quam illi deprædicant. Duo Græcorum Metropolitæ; Athenarum alter, alter Smirnæ Archiepiscopus; cùm Chium peruenissent, Patres nostros aliquoties inuiserunt, palámq; omnibus discipulis Romanum Pontificem caput ac Principem vniuersæ Ecclesiæ tum Græcæ, tum Latinæ professi sunt, neque vllum inter vtramque, nisi solius ritûs, esse discrimen. Literas cõmendatitias ijdem à nobis postularunt ad Patriarcham suum Constantinopolitanũ, qui noster amicissimus est, & cum Ecclesiâ Romanâ consentiens: quod autem de vnione cum Pontifice Maximo adhuc agere differat, summa suorũ insciti a facit & pertinacia, quos non potest imperio Turcarum subiectus pro suo arbitrio ac voluntate moderari.

XXIII. CÆTERVM quamuis inter barbaros hîc Nostri & à veri DEI cultu alienos commorentur, omnia tamen, quæ ad rem diuinam ap-

Digitized by Google

paratè ſuis temporibus peragendam ſpectant, ritè huc vſque accurárunt. Dixerunt ad varios: ſed fructum non poſtremum Sanctimoniales abſtulêre, quarum Cœnobijs peſſulus obductus; & qui aliárum gentium à Turcis vel capti tenebantur, vel duriùs habebantur, ijs libertas humanitáſve exorata. Manſuefactus vnus, qui præcipuæ inter Græcos auctoritatis Latinæ Eccleſiæ cũ grauí aliorum offenſione obſtrepebat, vt facti pœnitens in honeſtiſſima nobilium virorum corona veniam temeritatis atq; impudentiæ ſuæ ſubmiſsè poſtulârit. Alius execrandis cogitationibus aduerſus DEVM & Superos, parricidalibus aduerſus vxorem & liberos diu vexabatur: Noſtrorum conſilio & Agni cerei amuleto ab illo cogitationum æſtu conquieuit.

XXIV. MOTICÆ vſus Sacramentorum, quantum à duobus Sacerdotibus fieri potuit, promotus eſt: adiuti omnium ordinum homines quà doctrinâ, quà conſilio; vt hîc vehementer, vniuerſi Collegij fundamenta quamprimum ſtabiliri concupiant. Diſciplina in Religioſas domos illata; contemplandi & conſcientiã excutiendi methodus tradita; inhoneſtas impudicis, rudibus ignorantia excuſſa. Pietatem aduerſus B. IGNATIVM fouent crebrò accepta beneficia: duos iam vna Matrona Ignatios, quam difficilis & diuturnus antea partus affligere ſolebat, non difficulter B. IGNATII precibus obtinuiſſe ſe agnoſcit.

XXV. MISSIONES, quæ in hac Prouincia plurimæ fuerunt, pro opera pretium tulêre, acue-

rúnt.

Digitized by Google

rúntque Noſtrorum animos ad eiuſmodi labores poſthac maiori cum alacritate ſuſcipiendos. Vna pro omnibus memoretur. Mercarium Africæ & Lilybęum Siciliæ promontorium interiacet Coſyra inſula, nigris aſpera ſaxis, naturâ ſterilis, Hiſpanienſi firmata præſidio. Incolæ numerantur omnino CIↃ. CCCC. XXXV. religione Chriſtiani, lingua habitúq; Saraceni; moribus, ſi paucos excipias inquilinos Italos Hiſpanóſque, barbari; piarum rerum adeò rudes, vt vix annuam Confeſſionem agnoſcãt. Huc è noſtris Sacerdotibus duo pridie nonarum Decembrium adnitente cum primis, pecuniámq; ſuppeditante Mazarenſi Epiſcopo, appulſi ſunt. Vbi ad ſextum decimum Calend. Februarij verſati, operæ pretium fecêre; cultu præcipuè B. VIRGINIS, cuius hîc imago celebris, reſtaurato; & ludi literarij aperiendi curâ Sacerdoti cuidam commiſsâ. Priuatis præterea colloquijs & publicis adhortationibus concionibúſque molliti adeò fuére barbarorum animi, vt ad vnum omnes & peccata expiárint, & cœleſti ferculo in Chriſti Domini natalitijs refecti ſint. Id quod ad proximi quoque anni principium omnes ferè repetiêre.

PRO-

Censuit vniuersa Prouincia Socios vnum atque triginta supra quingentos. E viuis excessêre duodecim. Admissi in Societatem vndecim.

	Vniuersim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholast.*	*Adiutores.*
Neapoli Domus Professa	LXXX.				
Neapoli Collegium	C.				
Domus Æglensis	LXVII.				
Collegium Aletinum.	XXX.				
Consentinum.	XXIV.				

Digitized by Google

	Vniuerſim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholaſt.	Adiutores.
Maſſenſe	XLVI.				
Adrienſe	XIII.				
Cantazarienſe	XX.				
Theatinum	XX.				
Aquileenſe	XVIII.				
Beneuentanum	XVIII.				
Barulenſe	XV.				
Bouinenſe	XV.				
Nolanum	XIV.				
Barienſe	XIV.				

Digitized by Google

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Salernitanum.	XIV.				
Tropeenſe	VIII.				
Stabienſe	VIII.				
Lupienſe					

Ab vltima memoria confeſſiones repetitæ decem ſupra quadringentas.
Inimicitiæ deletæ centum viginti.
Turpem vitam emendârunt decem.
Noua Sodalitia erecta duodecim.

Digitized by Google

DOMVS PROFESSA NEAPOLITANA CVM suo Collegio.

I.

EXTINXIT mors in Professorum domo duos: alterum è Veneta Prouincia Marcum Antonium Riualtam nuncupabant: ex Neapolitana alterum Iacobum Abbatum insigni religione virum: ambos tales, de quorum salute acceptòq; beatitudinis brauio ambigere iniquum sit. Nam Riualtæ, cùm ageret Patauij Tironem, id ipsum B. VIRGO Campanienſis fuit pollicita inter quietem. Abbatum publica vox & opinio sanctitatis cælo adscribit: quippe cui assidua DEVM obsecrandi cura, duo singulis hebdomadis stata ieiunia. Obsequi ad nutum Superioris ita fuit promptus, vt vel imparatus suggestum conscenderet, & ad populum extemporalis diceret: paupertatem illius exactam toga & pallium sat prodebant; quippe quæ noua nunquã induit; humanitatis verò misericordiæq; affectũ, creber ad ægrotantes & miseros accessus, eos præsertim, qui humilioris essent fortunæ. Præ-

Digitized by Google

Præter hos Nostros sublatus è viuis Castellanetæ Princeps, adolescentulus lectissimus D. Ioannes Bartirottus: qui etsi nuper primùm annum ætatis excesserit nonũ, maiora tamen puero facinora patrauit. Quot diebus Veneris corpusculum suum ad multam exposcebat verberationem, idque domi delitescens: in luce verò Sodalium (nam erat è prætextatorum equitum cœtu, iam denuò coacto, Angelóque Tutelari credito) frequens diuina mysteria adibat; spatiũ horæ, quod animo pijs excolendo commentationibus est decretũ, ipse faciem appressus humo transigebat; quæ quò inflammatiori affectu adolescentulum præstitisse accepimus, hoc minùs dubitamus, eum cœlo assertum suæ pietatis mercede iam frui.

II. Opera Nostrorum, vrbe trifariam diuisâ, magnos excitauit motus animorum: Nundinarium forum aliqui, duo B. Virginis Annunciatæ curiam, & suburbia totidem excoluêre. Mense non integro, qui concionibus est datus, ad millia quindecim, diuino epulo sunt refecti: quorum iuuenis vnus in arrepto inter concionẽ vitæ melioris consilio magnum profectò dedit constantiæ specimen; dum neque veterum gregalium pessimo exemplo, neque impudenti meretricularum crebro inuitatu, neque Dæmonis mali impulsu, astúque vllo passus est è pudicitiæ statu se dimoueri. Pro miraculo ferè habitum item, duas feminas, diuersis ex locis, eadem die, ad concionem profectas à perquam graui lapsu detrimenti nil accepisse: quò & Nostrorum labores

Digitized by Google

bores à diuina bonitate æstimari, certè probari, perspectum est. Hæc de Domo: Collegij sunt sequentia.

III. AVTVMNO superiore, qui Theologicis ac Philosophicis vacabant, repetiêre veteres lares: & verò non exiguo religiosæ rei cõmodo, quòd iam in promptu magis sint operæ, expeditúsq; procurari negotia nostra possint. Coacta Sodalitia, puerorum tenerioris ætatis intra Collegij septa; Piscatorum in VIRGINIS Lauretanæ suburbijs; Ciuium aliorum & opificum in Herculano; numero & virtute crescunt, sed nulla magis illâ, quæ è Clero coaluit, trecentorum eóque plurium melioris notæ Sodalium; qui priusquam DEIPARÆ Sacramento rogentur, hebdomadam vnam B. P. IGNATII commentationibus excolunt animos, vniuersæque vitæ sordes accurata confessione eluunt: quotidianę precationi aliquam horæ partem tribuunt, vespertinę diurnarum actionum recognitioni suum quadrantem. In conuentibus, quî sua ritè obeant ministeria, quî diuina castè sanctéque tractent, edocentur. Ipsi ad publicas itant custodias, vbi confitentes audiunt; in vicis & curijs Catechesin docêt rudes; instaurant, sicubi collapsam offendunt morum disciplinam, & præsertim in Cœnobijs ij, qui sunt à Confessione Virginibus, quas pia suo tempore opere ipso exequenda cogitare informant; rem denique ita gerunt, vt quandam inter eos Societatis nostræ imaginem adumbratam liceat animaduertere.

Parthenij cœtus eodem se feruore sustinent; mul-

multos habent incredibili tolerantia præditos; nonnullos ita legum obseruãtes, vt triginta annorum spatio stata die cõuenire prætermiserint nunquam. Vnius studium ab oppido finitimo prauam ludendi consuetudinem eliminauit, virorum ad instar octoginta Sodalitium coëgit, omnes ad cœlestium rerum contemplationem informauit, horarias preces instituit, quibus operæ vt & ipsæ interesse possint, horam precum immunem ab opere professa die, paciſci solent, nihil à conductoribus imminuta mercede. Fructus à Sodalitio carceris is est, qui commemorando quàm vberrimum eliciat fletum: ita voluntarias à se quisq; pœnas acerbè sumit; ita laudibus diuinis omnia personant, & in impiorum verborum locum grata memoria, iniuriarúmq; oblitteratio succedit. Quo in genere fuit illud egregium, quod quidam ingenio præferoci alapâ exceptus à viro, quem officijs haud mediocribus ornárat, nihil est commotus animo; quin ad sacellum mox diuertit, ibique multa prece feruidus institit apud augustissimã Virginem MATREM, vt animaduersionem omnem à suo percussore amoliretur.

DOMVS ÆGLENSIS, COLLEGIVM CATACENSE, ET Nolanum.

IV. NAVTA, qui piscando vitam sibi familiaq; tuebatur, cùm aliquando post diutinum laborẽ ne piscículum quidẽm cepisset, ad tutelarem Sodalitij

dalitij patronam confugit, eique bilibrem ex opere cereo facem spopondit, si mille pondo piscium (qnod hyperbolicè, nec admodum serio dixisse videbatur) vno iactu tractúque caperet: mirum dictu: rete explicat; & VIRGO magnificà vota liberaliter implet: nam quadruplo maiorem atque optârat prædam è mari trahendam dedit. Alium ex famoso aleatore nouum Sodalem, trude ligneos fortè agentem globos temporis fallendi gratiâ, ictúsque plerosque inaniter perdentem, Cacodæmon os habitúmque religiosi hominis ementitus, accessit, conatus quoquo modo lusorem ad cõuitia in DEVM iaciendà impellere. Sed perfidus hic veterator magis suam lusit operam quàm ille, obiectõq; Crucis signo bis fugatus, deniq; redire non est ausus.

V. ÆDIFICIIS augeri cœptum Catacense domicilium, attributis in eam rem à quodã è Nostris mille nummis aureis: at religio non minore auget incremẽto: nam & inimicitię quã plurimorum extinctę, quæ multæ cædis erãt seminarium; & puellis, quarũ in lubrico pudicitia versabatur, cõsultum; & alia eiusmodi multa facta, quę nusquam à Nostris non fiunt. Ab agro vicino, quò sæpe deducitur opera, par extitit messis.

VI. NOLANI Patres foris idẽ effecêre. Duobus Vesuuianum excolendum obtigit oppidum; vbi ignoti primùm, ita paulatim innotuêre, vt ædes augusta quãuis & ampla concionẽ non caperet. Auditę hìc Confessiones à longa vel etiã ab vltima memoria plurimorum; & Eucharistiâ refecti mille supra quadringentos.

Digitized by Google

Super quo conuiuio prodigij simile quidpiam accidit, quod silentio prætereundum haud puto. Laborabat oppidum aquæ penuria vix credibili; hiabant omnia, deficientibus passim fontanis scatebris, neque futuræ pluuiæ spes quidpiam promittebat. Eam aquæ penuriam scelerum pœnam interpretatus pro concione Ecclesiastes noster, suasit Confessionem peccatorum, diuiníque epuli sumptionem, à qua certam pluuiam sperare iussit. Quod cùm fecissent certatim populus, ad meridiem nubes in imbrem improuisum erupêre, fidémque liberárunt concionatoris. Sub autumnum expeditionem aliam adornarunt Nostri, ad Octauianum vrbem, à nomine Societatis haud mediocriter huc vsq; alienam, sed officijs iam plurimum nobis deuinctã. Sodalitates enim erectæ DEIPARÆ Virginis tres: vna ciuium honestiorum, opificum altera, rusticanæ plebis postrema. Ad frequentem adeò populum habitæ conciones, vt à tergo suggestũ obice tabularum expedire necesse fuerit, quò liberior ad auersos etiam oratio permanaret, quando aduersa pars auditorem omnem capere non poterat.

VII. DOMI QVOD memoretur nihil est, præter auctum argenteo lychnucho vestibúsque sacrariũ, & Alexij Palmæ Coadiutoris nostri obitum: cuius eluxit præcipuè virtus in eo, quòd phthiseos luem integro decennio tãta cum laude patientiæ tolerârit, vt omnes in sui admirationem raperet. Rogatus aliquando à P. Prouinciali coram ceteris Collegij Patribus, proponeret, si

Digitized by Google

ret, si quid ad animi, corporisque sui relaxationem optaret: *vt euentum*, inquit, *super animam corpusque meum DEI placita sortiantur. Quid si.* Prouincialis ait, *in diuinæ prouidentiæ decretis esset, vt apud inferos æternùm lugeres?* Cui Alexius, *modò id fine scelere fiat meo: quid enim antiquius obedientiâ cuiquam accidere possit?* Quam sententiam tanto cum animi sensu pronunciauit, vt lachrimas astantibus vberrimas excusserit.

COLLEGIVM LVPIENSE ET RELIQVA.

VIII. NOVA LVPIENSIVM opificum Sodalitas vnâ cum veteribus & viris & virtutibus augetur: maiórque confluentis populi pietas est, quàm vel templum capere possit. Confessiones totius vitæ ab vno Sacerdote exceptæ intra vrbem trecentæ, extra in Missionibus centum admodum, vt rationes ceterorum omittam. Quædam ab nuncupato Virginitatis voto resilire cogitans, cùm ægrotaret, ita à Nostro confirmata est, vt ipsa sibi cæsariem arreptis forficibus præcideret. Quidam ferunt, B. VIRGINIS specie, percussam & admonitam id fecisse: id tamen iure maiorem afferat admirationem, quòd morbus inde remittere mox cœperit, & ipsa melius habere, vt coniectura fuerit non temeraria, eam ob immutatum retinendæ Virginitatis propositum diuino vel permissu vel iussu periculum vitæ adijsse. S. Irenes ara pluribus aureis argenteisque tabellis ornatior facta; splendorémque

Digitized by Google

reliquo sacrarij instrumento plurimorum addidit liberalitas. Decem dierum excursio multam paganis attulit salutem, Nostrisque ob bene collocatos labores lætitiam singularem.

IX. BARII vxorem à marito postulatam ad necem liberauimus: puellam quæstuosam corrogata stipe Collegio cuidam pudicitiæ inclusimus. Philosophiam docere cœpimus.

X. CONSENTINI Sodales cœpêre non solùm tertiâ & sextâ feriâ Sodalitium frequentare, sed eodem etiam tempore, vsum flagelli adhibere, Xenodochia adire, epulo paupers excipere, eorum pedes ad exemplum ipsius Archiepiscopi & Rectoris nostri suis manibus abluere. Tribus Sodalitijs antiquis noua duo accessêre; Clericorum, & adolescentiorum.

Complures ægroti spe salutis amissa B. IGNATII auxilium implorantes votorum damnati: eorum vnus ædi sacram pyxidem aureorũ quinquaginta largitus est, alius Sacerdotem vestiuit, cereos alij, aut nobiliora anathemata ad eius tabulam attulêre. Egressi è Nostris duo in Diœcesin Archiepiscopi postulatu, fecêre quæ Nostri solent.

XI. BARVLIS inita aliquorum gratia; apud quos innocentiæ nostræ testimonia inuidiam facilè diluerunt.

XII. THEATINI in oppidis finitimis, Manupelli præcipuè & Caramanici, maiorem spe cladem inferno hosti intulêre. Familiarior effecta noxarum expiatio: Sodalitium DEIPARÆ erectum: Angelo tutelari ara posita: traditæ

Vul-

Digitized by Google

Vulcano chartæ magicæ: vno loco datum Christi Domini Corpus ter mille hominibus.

XIII. AQVILANI cuiusdam adolescentis non minùs animi quàm formæ elegantiâ præditi ea memoratur in tuenda castimonia fuisse fortitudo, vt cùm in villa à nescio quo flagitio blanditijs primum appeteretur, tum ferro etiam, ni pareret, intentato terreretur, hilari constantique vultu dixerit: *Age quod agis leno, vitam quidem eripere, innocentiam vero mihi haud poteris vnquam*: quo responso attonitus ac pœnè exanimatus homo impurus pugionem repressit, puerum liberum reliquit.

XIV. BENEVENTANI, cùm factio quædam iuuenum nobilium ad æquas conditiones, pacémque retrahi non posset, adhibuêre Nostros, quorum consilio solutus Tragœdiæ nodus est.

XV. ADRIÆ templi celebritas, alacre Gymnasij studium, frequentissima Catechismi concio, religio Sodalitiorum se ipsa in dies superant. Ducis vxor Nostri studiosissima ære suo altare nobis vestiuit. Tria Sanctorum corpora admodum R. P. Generalis noster dono miserat: quibus erectum opere marmorato sacellum, & publica decreta supplicatio, cùm in eo locata sunt.

XVI. TROPEENSI ciuitati nefastus fuit hic annus, & ærumnosus, qui proinde facultatem nobis bene merendi de ciuibus partim attulit, partim ademit: allaboratum tamen, quantum vires dedêre, & causa permisit, vt in tanta ciuium clade omnibus adessemus.

Digitized by Google

Carcer aditus frequenter, in eo complures adiuti nobiles: duo precibus interpositis exempti. Literę Sodalibus Parthenijs missæ, quibus in Societatem Romanam admittebantur, ita exhilararunt vniuersos, vt totius vitæ culpis exsoluti; cœlesti conuiuio omnes accumberent. Affectum, quo in B. IGNATIVM nostrum feruntur ipsi ciues, tum alijs argumentis multis, tum eo præsertim declarant, quòd plerique eorum filios è baptismo susciperé Ignatij nomine insignitos ament; quæ Religio & infantibus habetur vtilis, & parentes non parum delectat.

PRO-

Digitized by Google

PROVINCIA LVSITANIA.

Complectitur hæc Prouincia Socios ſexcentos ſeptuaginta. Mortui ſunt tredecim: Suſcepti vndeuiginti.

	Vniuerſim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholaſt.	Adiutores
Oliſipone Domus Profeſſa	LIX.				
Oliſipone Collegium	LIX.				
Coll. Conimbricenſe	CCXXXVI.				
Eborenſe	CL.				
Portuenſe	XVIII.				

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Bracarenſe	XXXVII.				
Brigantinum	XXII.				
Funchalenſe	XXII.				
Angrenſe	XI.				
Farenſe	VIII.				
Dom. Villauicoſana	IX.				
In Reſidentijs	XL.				

Digitized by Google

Mauri, Iudæi per baptiſmum : Hæretici errore depoſito ad fidem venerunt centum ſeptendecim.

Pax reſtituta inter diſſidentes tercenties bis.

Exomologeſes ſuper vniuerſa vitâ factæ duæ ſupra mille.

Ab inhoneſta viuendi licentia retracti quinque.

A nece violenta ſeruati quinque.

Attactu reliquiarum vel inuocatione B. Ignatij curati tredecim.

Digitized by Google

DOMVS PROFESSA ET COLLEGIVM OLISIPONENSE.

I.

HINC in cœlum alij, alij in Indiam abiêre; vtrique remotas sanè in oras. Illò ex Domo Professa tres. P. Gaspar Ferras vberi cum animorum messe, quam more solito oppidatim collegerat; domum vbi reuertit, extinctus non sine suspicione propinati veneni, quo liuor infensus virtutibus, conatus egregios solet euertere. Vir fuit niuei planè candidíque pectoris; moris antiqui, aliorum peramans, sui hostis: annum Societatis initæ quadragesimum attigit: sexagesimum ætatis excessit. Secutus hunc est P. Gondicallus Borges, qui recèns Conimbricâ hospes domum hanc cœli mutauit hospitio. Sideratio enim repentina illum afflauit, nec tamè impedijt, quo minus animum identidem expiatum, mutuo de rebus diuinis colloquio ad supremum illud iter accingeret. Expleuit annos quinquaginta: in Societate, quam quadruplici

voto

voto erat professus, triginta vixit. Eandem viam ingressus est votorum eorundem compos, P. Petrus Lopes anno climacterico, Societatis quadragesimo sexto, qui morbum diuturniorē insigni patientia mitigauit: vultu, verbis, factis ad portum cœlestis patriæ, quem prope esse videbat, anhelans; atque vt minimus in magnis, ita vir magnus in minimis. Collegia rexit Conimbricense, Olisiponense, Angrense: in quibus charitatis, candorisque eximij reliquit expressa multa vestigia. In Collegio duo obiêre. Octogenarius vnus, P. Petrus Barreira, qui suam adeò senectutem laboribus assuefecerat, vt extremo in morbo cùm iam esset oleo sacro ritè perunctus, excipiendis confessionibus iuuenili alacritate se offerret. Annos egit inter nos spiritualis adiutor vndetriginta. Subijt Melchior Darauio Indicæ rei curator in ipso robore ætatis fractus, cibi ad stuporem absimens, non perinde pietatis; quam eximiam præ se tulit.

II. Ad Indos lectissima Sociorum manus è Conimbricensi & Eborensi Collegijs designata, & duas in naues imposita, vnus & viginti; plures, si animos spectes, in eam expeditionem scribi voluissent; quod lachrimis, & sancta quadam ob repulsam indignatione testati sunt. Antequam soluerent, qui ad Rempub. sedet, vt est Nostri amantissimus, eos in aula regia gratulabundus excepit, singulósque tacitis pererrans oculis, omnia bona dicere, & spe præsumere fortunam gentium barbararum, quibus tam lecti contingerent milites. Singulos deinde amplexus

plexus ea de Societate prædicauit, quæ cõmemorare modestia vetat. Huic gaudio interces-sit acerbissimus obitus Margaritæ Reginæ an parentis Hispaniæ vniuersæ, cui quantum debeat Societas nostra, multis dici non posset. Illud certè grauissimè perculit reputantes, quantum præsidium Lusitania, quantum perdiderit India. Nam præter interiora consilia, quæ de Indis ad fidem adducendis pijssima Regina voluebat, quoties expeditio eò pararetur, Nostros Proregibus commendabat tanquam suos. Defunctæ omnes ex hac domo accitis etiam Collegis, vt par erat, mœrentes parentauimus.

III. DIEM B. PARENTI nostro IGNATIO festũ celebrauit omnis ordo, auctiore in dies cultu & veneratione. Adolescens repentè tam præcipiti corripiebatur morbo, vt sensim vitæ spem omnem amitteret. Maior natu, qui aderat, frater, clarus in Academia doctor, votum B. IGNATIO faciendum suggerit; facit ille, & mox, *Viuo*, inquit, *& valeo*; correptis ad eam vocem sacrõ quodam horrore, qui astabant. Postridie ante aram voti reus fidem exoluit, & in circulis Academiæ gratus acceptum beneficium cantare non cessat. Alij pietati addidere magnam in nos liberalitatem: vnus vestiendo altari aureos bis mille.

IV. LABORATVM porrò cum externis non segniter. Mauri, Iudæique circiter viginti fugâ voluntariâ à suis elapsi per baptismum nostro in templo salutis spem acceperunt. Anglis septem eadem sors obuenit. Ad eos, qui deser-

Digitized by Google

desertæ fidei pœnas dabant, quæsitorum iussu acciti Nostri, bonam operam fecerunt: resipuêre eorum nonaginta, in quos & clementiùs actum: quatuordecim alij igne consumpti. Et priore numero religiosus vnus suis redditus gratias nobis immortales agere & habere nunquam cessat. Feminis quoquè in deteriora ruentibus frenum iniectum: coactíq; à Nostris aurei quingenti virginibus honestè elocandis; octingenti iterum ad pascendos eos, quos ingenuus pudor à stipe petenda arcet. Frumenta Sanctimonialibus, vestimenta pauperibus impetrata: nobis verò inde ab vsque Anglia venére eleemosynæ non contemnendæ. Tres enim aureos è patria recèns profectus Anglus ianitori obtulit domûs Professæ: visus ille animi falli, & viæ pro Britannico forsan Collegio ad domum hanc errore delapsus; sed monitus prudentem se atque scientem id facere respondit: feminas enim in Anglia duas fortunæ tenuioris, memores, quantum Societas patriæ suæ prodesset in Lusitania, pauculos hos nummos mittere: proinde mnemosynon hoc accepimus, re tenue, æstimatione grande: seruatíque aurei illi pro monimento, & tam peregrinæ pietatis ratio habita in posterum est.

V. CERTAMEN scholis elementarijs indictum & præmia victoribus, ab ijs scilicet ferenda, qui encomio DEIPARAM insigniori afficeret. Cerneres totam vrbem intètam carminibus puerorum, VIRGINIS laudes meditantium: ipso Conceptæ VIRGINIS die, qui sacer est Catechismo,

Digitized by Google

chismo, concurritur ad theatrum in medio templo extructum: texitur corona duplex; è stellis vna, è floribus altera, singulis ad singulas DEIPARÆ laudes alternâte choro regio intertextis; perfecto opere coronata VIRGO est, ipsiq; pueri opimis donis, & quod pulchrius, pietate insignes plausum domos suas retulêre.

VI. QVI COLLEGIVM constituunt, non sic iuuentuti adfuêre, vt deessent ciuibus, aliorum sartâ tectáque innocentiâ, aliorum iniurijs consopitis. Hera falsis ancillæ criminibus infami damnanda supplicio fuerat, nisi quæ dolum texuerat, in confessione retexuisset. Vxor à marito malè habita, Nostrorum suasu ignouit: parêtes occisi nati veniam reo dedêre: arma furtiuæ artis abiecit, qui grandem pecuniam interuerterat. Societatis operam foras extulêre duo.

COLLEGIVM CONIMBRICENSE.

VII. DVOS CONIMBRICÆ mors aggressa est: P. Franciscum Alurs vigesimo, Laurentium à Fonseca tertio Societatis aditæ anno. Prior Ministrũ egit in Collegio, magno exemplo; periitque morbo contracto iam inde ab eo tempore, quo Brigantinam vrbem, pestilentiâ æstuãtem, sponte adijt, nouissimámque opem morientibus tulit. Posterior tantæ fuit modestiæ, vt cùm ad alia omnia vi morbi, in hoc vno deliraverit nunquam. Inuentus interdum (qua erat precandi consuetudine) extra lectum nixis genibus

Digitized by Google

nibus, sublatisque manibus alienatam mentem DEO intendere. Aliquem ab ipsis mortis faucibus eripuit ossiculum B. Gonzagæ haustum in potiúncula, cùm iam in spe deplorata ad extrema properaret.

IIX. SVPPLICATIO antecineralis solito apparatiùs celebrata, pyramide, quæ sacram Synaxin sustentaret, trecentis aureis confecta. Ædificium Gymnasij procedit iterum, Academiæ liberalitate viginti aureorum millia impendentis: quæ vt non parietes tantùm, sed animos etiam discentium excitaret, coëmendis præmijs constituit eadem centum præterea in annos singulos.

IX. FORAS susceptæ expeditiones septem: trimestris ab vno, qui decem supra centum leucarum spatia peragrauit, lustratis nouem oppidis, & ad vnum expiatis incolis omnibus: Confessiones de tota vita auditæ supra mille: repetitæ, quæ fuerant irritæ, ampliùs septingentæ: eradicata odia vel insignia vel annosa centũ octoginta. Femina quædam oculorum vsu priuata cùm DEIPARAM precibus fatigâsset, Nostros templũ ingredientes aspicere potuit, à Confessione visum omnino recuperauit. Tantum autem fuit passim desiderium Nostrorũ, vt in aditu cuiusdam oppidi longa feminarum series nixis humi genibus & sublatis ad cœlum manibus eos tanquam cœlites aliquos expectarent. Quidam spreta concione agellum suum reuiserat pœnamiox sequente: Inter manus enim semimortuus inde relatus paucis pòst diebus expirauit.

Digitized by Google

Aliò flagellorum vſus importatus, aliò pax & pietas. In Viſenſem vrbem hæc omnia: & Illuſtriſſimi Præſulis, Noſtri peræque ac virtutis amantis amicitia iam antè nobis comparata, inſtaurata iterum; qui mira comitate vigilantiáque paſtor ouibus ſuis præeſt, ſolatúrque alias ope, alias ſpe, cunctas alloquio & cura paterna.

X. TIROCINIVM pars Collegij, pergit in exemplis conſtantiæ & pietatis ſtatuendis. Vnus, qui anno ſuperiore victoriam à ſuis bis reportárat, hoc rurſus carnem & ſanguinem triumphauit. Experiuntur ceteri præſens DEIPARÆ ſubſidiũ, ſueti aduerſus morbos oleum è lychnucho ſacelli hauſtum adhibere, indéque conualeſcere. Tres in excurſiunculâ ad ripam fluminis conſederant intenti amantiſſimæ VIRGINIS laudibus. Eò taurus immanis horrendo mugitu decurrens irruit, & furibundus cis flumen interceptos magno in periculo conſtituit. Quid faciant? Ex metu conſilium capit vnus, & precatorios globulos belluæ obijcit: qui ſimul cum appenſa ſtrepuêre imaguncula, velut telo ictus bos ſubito retorquetur in fugam, multo quàm venerat trepidantiùs. Hoc ope VIRGINIS, illud B. Patris noſtri creditum euenisſe. Sacerdoti nouitio fauces penetrauerat ſpina, & cùm medendo ægreſceret magis, occurrit tandem B. IGNATIVS ſimile quoddam periculum cuidam amolitus alibi: quæ cogitatio fidéſque illi ſtatim etiam pro medela fuit, excidente vltro citra noxam vllam ſpiculo.

XI. In

XI. IN PEREGRINATIONIBVS certauêre cum Veteranis Tirones, quibus de parto fructu ne tantillum quidem ceſsêre. Suſtulêre odia, quæ altiori radice ſtabãt, circiter octoginta: quà incedebant, agricolæ ſata bouéſque deſerebant, ne meliore fruge & diuini verbi ſemente carerent; quà nauigabant, vectores à procacitate verborum, morúmque licentiâ abſtinebãt, ſecũdiori tempeſtate vſi nonnunquam Tironũ, vt credebatur, precibus impetrata. Rudium informandorum nulla quies: fuit, qui aures ita ignorantiâ, an malitiâ exurdauerat, vt ſermocinantes de rebus diuinis ne audire quidem poſſet, cùm interim num DEVS eſſet, aut penitus ignoraret, aut horrenda quædam deliria illi affingeret. Excuſſa huic à Tironibus mentis caligo; quos præceptores diuinitus ſibi obtigiſſe, homo ille denique confeſſus eſt.

COLLEGIVM EBORENSE.

XII. ET HIC funera aliquot. Primum Dominicus Rodriquez quatuor in Societate annos innocenter verſatus, certáque ſpe moriendi in hoc Ordine, quem tam cupidè fuiſſet amplexus. Secũdum P. Antonius Perreira, facto vir ad virtutem ingenio, ad cuius quidẽ apicem per trienniũ non ſine lachrimis multíſq; precibus conatꝰ eſt euadere. Tertium Antonius Mendes, tertiũ decimũ Societatis annũ emenſus: ſextum docuit literas humaniores, eo in DEIPARAM ſtudio,

Digitized by Google

vt eius præcepta ex æquo discipulis instillaret. Quartum denique funus fuit P. Georgius de Campos, anno Societatis aditæ vndecimo, charitate in omnes summa, atque ad astra solum, quorum scientiam profitebatur, anhelans.

XIII. PERREXERE eôdem in cœpta iam via reliqui, omne genus vitiorum ab omni ætate sexúque remouentes. Feminæ à transfugio, ab adulterio, & carcere reuocatæ. Cibaria à Rectore & Magistris nostris, egentibus delata. Excurrerunt Quadragesimæ tempore in vrbem, in suburbia, duodeviginti; in loca remotiora alij; vbi non minùs quàm domi allaboratum contra odia, factionúmque dissidia multa in cõcordiam versa. Integra oppida iras posuêre, & arma Nostris intercedentibus. Crux alicubi comportatâ stipe posita, ad cuius aspectum Christi vapulantis dolores deflerentur: eáque fuit ad hoc opus omnium liberalitas, vt non effigiem modò, sed ædem præterea Caluariæ cognominem statuerint: feminis etiam, quæ erat religio, saxa humeris subuectantibus. Anisij præter illa communia persuasum clericis ordinis militaris, vt Ianuario ineunte sortirẽtur Virtutes singuli singulas, quibus per annum exercẽdis operam singularẽ darent. Votis demum nostris, DEO laus, adeò vbique respondit cultura, vt cùm impeditâ operâ ægrotare cœpisset Noster, turmatim viri feminæque ad templa properarent, precibúsque apud DEVM communibus contenderent, quò agricolam agro & frugibus adhuc immaturis diutius conseruarent.

HÆC

XIV. Hæc dum foris strenuè geruntur, Diœcesin inijt & Collegium creatus Archiepiscopus Illustrissimus Dominus Iosephus de Mello, exceptúsque oratione peropportuna est in Academia: qui & scholas obijt magna beneuolentiæ significatione, Magistrorúmque iuxta ac discipulorum lætitia.

COLLEGIVM PORTVENSE.

XV. RECTOR huius Collegij vt ceteris loco, sic etiam præiuit exemplo: in Indiam, cuius diu fuerat candidatus, proficiscens, secunda ciuium, Nostrorúmque pariter admurmuratione. Ad templum concionis audiendæ frequentior concursus & lachrimæ. Fuit cùm mille vno die Christum sumpserunt. Carcer & à Nostris sæpe aditus, & vt aliarum Religionum familiæ nos subinde impeditos in eo Christianæ pietatis officio subleuarent, effectum. Aduenis, qui merces in vrbem aduehunt, erepti errores Ecclesiæ aduersantes. Magnus B. N. parenti honos accessit, & ab oratione, quam publicè festo eius die habuit Franciscanæ familiæ Prouincialis, & à priuato ciuium cultu. Vir ætate grauis & pietate alterum oculum penè amiserat, tumore ita lumini officiente, vt eo vel nihil vteretur, vel si quãdo vi aut arte dehisceret, res redderet geminatas. Medici cùm in eo curando quidquid arte valebant, excussissent, diuinæ curæ eum relinquendum censebant.

Digitized by Google

Prouocat igitur ad IGNATIVM æger; sacrificium vouet nostro in templo nouēdiale: eo soluto, soluitur & morbo. Testatum inde publica auctoritate miraculū excepit aliud. Feminæ sacris Virginibus ancillanti, alterum vber sic intumuerat, vt cum summo doloris sensu summam animi ęgritudinem extorqueret. Laboranti Virginum vna consilium suggerit, IGNATII voto conciliandi: nouemdiale item suscipiūt omnes; quo impleto subsidit vber, atque omni prorsus dolore defungitur Virgo: quæ extemplo socias voti bono exhilarat nuncio; coēunt, vnáque pro manifesto hoc beneficio grates DEO & Beato dicunt. Ecce aliud ex alio. Viro Senatorio Chiragra manum ita obsederat, vt humore se insinuante tuber esse non manus videretur: qui quamprimum crucem ex ea tabula, quæ dormientem excepit IGNATIVM, manui admouit, dolorem amouit, tumorémque repressit.

COLLEGIVM BRACARENSE ET BRIGANTINVM CVM DOMO Professâ Villauicosanâ.

XVI. Et Bracarensis Collegij Rector in Indias contendens vrbem desiderio, Prouinciam accēdit exemplo. Diu in votis habuit eam profectionem: cui quidem consanguinei pollētes opibus, omnes in illas partes aditus intercludere conabantur; caussantibus medicis ancipitē valetudinem, marisq; iniurijs imparem. Sed currentem exag-

Digitized by Google

exaggerata pericula inuitârunt magis, grauioribus, vt aiebat, terrâ defunctum periculis, quàm quæ à fluctibus imminerent. Ciuitatis beneuolentissimæ in nos fauorem auximus, extincto seditionis incendio inter senatũ & plebem, curantes, vt hæc illi obsequens, ille huic clemens esset. A sacrorum nundinatione deterriti alij; aliorum inopia subleuata, quibus grauior fama quàm fames erat. Virgo à parentibus deserta, matronæ nobili cõmendata & suscepta. Genere non minùs quàm vitijs nobilis quidã in pago, vbi Noster verba fecit, Curioni suo, à quo iure merito castigatus erat, gladio imminens retractus est. Puella grauissimo cum morbo conflictata biennium, rem simul exhauserat, & medicorũ artes. Parens morbi pertæsus ac sumptuũ superstitiosã mulierculã adit, impetrátq; ab ea subuculã ambiguo carmine medicatã; negat filia indueturã se, nisi priùs bene diligentérq; eluatur: factũ; induit, & morbũ simul induit grauiorẽ, vt prope iam à morte abesset. Accitur alius eiusdẽ superstitionis artifex, qui & ipse blandis falsísq; verbis eam bene sperare iubet, & arti suæ fidẽ habere; illico morbũ in mare concretum (sic aiebat) exterminandum: pater eadẽ ingerit: filia verò, valetudinem se non nisi à Christo, in cuius crucẽ ex aduerso pendentẽ digitum intẽderat, sperare dicebat. Interim nos per internunciũ consulit, & in propositio illo cõfirmatur: illi rem deniq; per vim acturi in proximũ cubile secedũt: hæc animo angi, vt quæ vim non posset auertere, ostiumvé occludere, alienis manibus, pedibúsq; semper vsa.

Digitized by Google

Subit IGNATIVS vltimò, quem Patronem sibi adoptauerat: *Sancte*, inquit, *IGNATI fer opem, fer opem Sancte IGNATI.* Eâ fiduciâ nitens è lecto in pedes se erigit, perreptánsque ad fores pessulum obdit, maluitque deinde immeritò sibi iratum parentem, quàm impiè mitem experiri. Clauda alia ab eodem Beato precibus impetrauit, rectèvt incederet: alia panicis exagitata timoribus melius vt valeret, ipso genio malo, qui eam infestabat, IGNATII precibus id tribuente.

XVII. IN OPPIDO alio iam inde à ducentis annis increbruerat concubia nocte excursio vulgi in sacellum non valde dissitum. Suspecta pietas erat, cuius specie multorum flagitia velabantur: extirpata igitur penitus ea consuetudo, ac ne regerminaret in posterum, Ecclesiastica auctoritate cautum est. Similis quædam alia pietas nocturna, ob easdem causas in diurnam versa, præcedente Nostro, proceribúsque cum reliqua multitudine sequentibus. Alea, quæ multos occupauerat atque exhauserat, contracta; actores Catechismo fabulis suis obstrepentes inhibiti. Qui in custodia tenebantur cœlesti primùm, deinde lauto alio excepti sunt conuiuio; gratissima fuit in vulgus pompa nobilium, qui positis togis Nostri Patris exemplum secuti sarcinas ad carcerem detulêre, sua dignitate nequaquam inferiorem rati charitatem Christianam.

XVIII. BRIGANTINORVM, eorúmque, qui è vicinia sub Quadragesimæ initia ad supplicatio-

nem

nem institutam confluxêre, tanta fuit religio, vt cùm alij vrbis Sacerdotes æquè ac Nostri confitentium turbæ succumberent, ad eos irent, qui carcere attinentur, vt ibi quoque animorũ vincula ponerẽt: quæ res Cacodæmonem malè habere visa, vt quoquo modo turbas excitaret: pridie cùm templum vestiebatur, sacrificante vno è Nostris, scala procera & grauis repentino præcipitat casu, atque eius, qui ministrabat, inserta ceruicibus, altare tribus à consecrato calice digitis ferit, impetu tanto, vt nisi Numen auertisset, ruentem subiectam turbam aut grauiter læderet, aut penitus opprimeret. Viro conciliata vxor adultera, hoc pio strategemate. Cùm operam omnem diu precésque pro illa ad maritum adhibitas perdidissent quidam alij, nobiles alioqui potentésq; Oratores, hominem Noster ad eam templi deducit partem, vnde liberiùs in eminentem Eucharistiam prospici poterat. Hîc illius ad genua accidens orat & obsecrat, per si qua est pietas, & cultus erga DEVM occultè ibi omnia nostra arbitrantem, veniam det coniugi, accusatorisque personam deponat. Peruicit obstinatum animum hæc oratio, sentẽtiam vt mutaret, se vxori, bona verba, & veniam redderet.

XIX. IN PAGO quodam reperiebatur á Catechiste nostro, qui diceret auorum manes colloqui secum, luporum videlicet, ouiúmque specie, annos iam plures. Inde ad Sacerdotem nostrum se confert, refértque idem. Inter fabulandum, *En mihi*, inquit, *etiamnum ad aures vlulant*: quid narrant ait Pater: ille; *Narrant tibi*

Digitized by Google

proxima die Dominica leuum quid, cùm sacrificaret, accidisse. Hæsit attonito similis Noster, vt cui eo die sacrificanti memoriæ lapsu animus inquietior fuerat, ac planè pendens. Agni cœlestis effigie, aliisque piacularibus amuletis fascinato homini occursum. Acceptam B. IGNATIO referunt vitam iam fugientem feminæ tres.

XX. E VILLAVICOSANA Professorũ domo nihil hoc anno accepimus, præter vnum mortuum, Antonium Alurs, concionatorem egregium, quod dicunt; ingenio bonum, eloquentiâ promptum, multæ operæ & fructus socium. Rogatus sub mortem, essétne quod pœnam vllam aut molestiam crearet? *Esse ne vmbram quidem*, respondit: neque multo pòst extinguitur ingenti oppidanorum luctu, quadraginta annorum labores vitæque tædium emensus.

RESIDENTIA IN INSVLA S. MICHAËLIS.

XXI. QVATVOR in hac Residentia Sacerdotes ita paucitatem labore compẽsant, vt multorum fructus exæquẽt. Incolæ sui facti dissimiles, aliam nunc Insulę mirantur speciẽ. Narrant ante Societatis ingressum mõstrari digito solitos tres quatuorvé, qui animorũ maculas crebriùs eluerent; nunc eam in sacra tum mensa, tum concione frequentiã, quæ laxius templum, cùm hoc sit capax, & Nostrorũ plures desideret. Vni sacrificanti quiddã accidit memorabile. Vltimo sacro peracto, minores hostias aliquot, in patina consecra-

Digitized by Google

secratas, in diem posteram reponit in tabernaculũ: vis formicarum cõmunis insulæ corruptela, eò fortè per rimulas insinuat sese. Vbi illuxit, alter Euchariſtiã diuisurus, stragẽ nigri agminis perspiciens, admiratur; superstitẽ videt ex tanto formicarũ numero nullam: sed omnes subter & circum patinã illęsam & inaccessam exanimatas, vt facilè appareret tentati accessûs audaciã pœnâ luisse. Ab hac mensa animũ hausit, ne spiritũ laqueo exprimeret adolescens, quem desperatio nequitiæ comes œstro stygio in se efferauerat. Alius, cui domesticæ rei dãno vilior vita, in eandem præceps amentiã ruens laqueum intra vestem, & se in locum secretiorem abdit. Suspendium ineunti visa vox ad aures accidere; *Quo te præcipitas miser?* qua voce retractus à scelere, saniora cogitauit.

SEDES IN VIRIDI PROMONTORIO.

XXII. Quæ ex Viridi Promontorio ad nos allata sunt, expressiores vendicant annales: tam multi Æthiopum ad fidem accedunt, optimatibus, regibus, oppidis ipsis sacrũ fontem sitientibus. Eo tincti nobiles plurimi; in quibus filia regis omnium, qui genti imperitant, potentissimi: idẽ lachrimis patruelis expressit. Baptismi celebritati aderat ipse loci Dynasta, magna pars fidei propagandæ; neq; tẽperauit, quin domũ reuersus pastorẽ ageret, gregémq; famularum etiam tum aberrantẽ ad fidei pascua duceret: quo minꝰ ducantur & alij, facit dispar vestiũ cultus, quas exuere,

Digitized by Google

exuere, qui Christum induerint, interest Fidei vegetandæ. Inter alios Christianorum partes amplexi sunt duo nobilissimi: alter ipsi Regi ad idem audēdum cupiditatem iniecit: vestem hic sparsis oculatam bullis à Mahumetico plano acceperat, affirmante qui eam indueret, futurum ferro impenetrabilem: qui vbi fidei oculos aperuit, non modò irrisit vana ludibria, sed vestem in corona multorum combussit. Alter, ad cuius edictum præsto adesse solebat turba Dæmonum, ferali commercio renunciauit. Regi sanguine proximus quidam, satis non habuit, corpus animúmque expiásse baptismo, nisi in matrem filiámque id boni etiam deriuaret. Ea mente patriam petenti dentes imprimit coluber ex ijs vnus, quorum venenum remedia omnia anteuertit noxia velocitate: quare neglectis medicis in genua procumbit homo, se Deo vulnúsque committit, à quo & curatus est. Lepidum quid cum primario Æthiope contigit. Vxori partus instabat, cui ille significauerat, filio, qui nascerētur, Xere nobilissimæ nomen gentile familiæ, imponēdum: cùm verò acerbissimi doloris sensu diu parturiret mulier nec pareret, vir fœtui timens atque vxori, subitò cubile parturientis ingreditur, & in cœtu aliorum, qui aderant, has tantùm voces ingeminat: *Nomen Patris, nomen Patris,* ratus omnibus Christianis id nominis esse commune. Mirum dictu! Vix hæc audita, cùm vxor incolumis incolumem filium edit; qui deinde Pater, illa Patris audijt mater, festiuo

Digitized by Google

ſtiuo errore vocabuli. Omnes baptiſmi aquâ propediem inſpergendi.

XXIII. VNVM è noſtris recèns appulſum vt hoſpitaliter exciperent pueri, idola vndique conquiſita pro Xenio obtulerunt, iuſſíque ea quibus digna forent, modis accipere, alacriter obtemperârunt: & fuit inter eos, qui ex Idolorum inimico affectu imaginem D. Petri adoriretur, arcúmque contra rem intentaret; ſed impunè non videtur tuliſſe imprudentem audaciam, qui mari paulò pòſt ſubmerſus miſerè interijt. Indigenarum vnus, cui neceſſe fuerat commeare in pagum, vbi necem ei moliebatur inimicus, lipſanothecâ pro gladio ſe accinxit: factúmque diuinitus creditur, vt cùm præter hoſtem iret, aut ſtaret, fefellerit oculos, vt à videnti non videretur; adeóque incolumis domum rediret.

XXIV. REGNI ſucceſſorem nuper defunctum religionis cauſsâ veneno ſublatum ſuſpicantur quidam: cuius quidem funeri adeſſe Noſtris ob diſtantiam loci non licuit, eíq; conſanguinei funus pagano ritu apparârunt, dedecus familiæ rati, ni tantæ vmbræ eiuſmodi exequiæ fierent, vxore necquicquam Chriſtianam cærimoniam deſiderante. In medium igitur adduci iubent puellam (quod parêtandi genus ſolemne nobilibus) accuratiſſimè exornatam, cuius ſanguine tumulus imbuatur. Dum victima Diti conſecratur, & cultrum miſera expectat, ſubitò euaneſcit ex oculis multitudinis circumfuſæ, qua vi erepta, quové abſtruſa demiſantis.

Con-

Digitized by Google

Consulti Dæmones, ecquid factum de puellâ fuerit, nescire respondent: fatigatis iterũ & tertio super defuncti manibus, hoc vnum exsculpitur; Album quendam (ita gens nostrates appellat) illac transijsse, qui se ludibrio habuerit; porrò ea de re ne pergãt odiosi esse. Quo oraculo nõ pauci idolis amicitiam & cultum renunciárunt. Rex quamuis amici mortem vnicè doluit, crescentis tamen fidei gaudio triumphabat. Porrò miris delirat modis gens imbuta superstitione. Sinistra omnia morbósq; imputat inimicis. Architecti nugarum cùm accersuntur curandis ægrotis, primùm suadent, esse à quo deuorentur; neque ignorare se, vbi semesum vorator ille nescio quis abdiderit animum; in ventum deinde comminiscuntur sub quapiam rupe vel latebra, quem in vrceo propinandum referant: ita miscllos ductant atque emungunt doli artifices.

Mortui efferuntur capite domum spectante, & vt credunt, respectante, quasi vocentur superstites prætereuntem subsecuturi. Cùm terræ mandantur, injcitur gleba, additá hac verborum formulâ; *Centum ibi annos iaceas, sine nobis*; pluráque id genus insaniunt, seruantissimi superstitionum, diuiníque iuris imperitissimi. Neque DEVS profectò conniuet in tanta scelerum licentia.

XXV. FAMES cœlo pluuiam differente vsq; eò grassabatur, vti fecerit solitudinem in insula nuper frequẽtissima, stratis per vias publicas cadaueribus, inediáq;, qui superauerant, contabescẽtibus. In tam graui annona viles erant solæ discor-

Digitized by Google

scordiæ, Sacerdote cum quæstoribus altercante de stipendio, cui soluendo non erat ærarium: & nisi Nostri intercessissét, prope erat, vt sacra deserererentur. Secuta grassatorũ manus per omnes aditus rem, & quæ iactura grauior, pudicitiã deprædantium. Excepit muscarum pestis sanguiné pecoris ad nouissimam vsq; stillam insatiabiliter exsugentium, adeò extimulante siti, vt ne hominibus quidem parcerent. Inuenta puella est cum viridi ramo, quo tanquam flabello vsa, quæque abigendo fessa semianimisque in via ceciderat, vbi educentibus omnem sanguinem muscis miserabili morte perijt. Neq; adhuc offensi Numinis ira detonuit. Serpunt pustulæ venenosæ ac bonam insulæ partem contagione peruadunt. Ita cùm damna damnis continuarentur, atque omnis domus cladibus vrgeretur, ad templum confugere, Deumque votis supplicibus venerari cœperunt: nec frustra: respexit enim Deus, & prementia mala benignus auertit: non item ab illo. Sub initium diei Dominicæ piscatum iérant aliquando duo; interim signum datur pro sacro audiendo: alter rebus diuinis concionibúsq; assuetus prędam prę illis negligendã putat, & obtemperandũ campanæ vocãti: alter nisi capto pisce iturũ se negat; obfirmato animo. Vix ille ad templum discesserat, cùm istum capturæ intentum fluctus abripiunt, atque submergunt.

XXVI. Nec adeo tamen malorum exemplorũ ferax est hoc solum, quin etiam sit bonorũ. Animam agenti filio parens à nobis impetrârat crucem ex ea tabula, de quâ suprà memorauimus.

De

Defixis in eam oculis nouissimum somnum, tam placidè inijt, vt post illum viuere adhuc & animam retinere crederetur: cùm efferendus esset, eãdem crucem mortis & funeris sociam amiculo filij insuit mater, dato ijs, qui comitabantur, negotio, vt ante humum iniectam ablatam ad nos reportarent. Curam hanc alijs traditam, temeraria quædam femina occupat: quæ vbi redijt, sinum inspicit, in quem abdiderat; excutit, versátque iterum; comparet nulla crux. Mittuntur, qui viam relegant, & scrutentur vestigando; ij nullo non moto lapide mœsti redeunt. In ipso reditu, procul à tramite summis frutícibus imminens tandem obijcitur oculis: quà domum perlatâ, affirmauit defuncti parens, non amissam temerè crucem, sed velut aufugientẽ ab impuræ sinu mulieris, quæ turpitudini assuêsset, in frutices desiluisse; ac ne pretium illud periret, monstratam fuisse diuinitus. Aliæ à partu, alij à morbis impendens periculum euasére. Canonicus quidam noctu se domum agebat: rem intuetur in platea sub tenebris albicantem: tollit, examinat ad lucernam, & imaginem B. IGNATII è subscriptione cognoscit, nec tamen agnoscit, rerum nostrarũ ignarus & apud nos planè peregrinus. Edoctus verò ab alio, quantum sors thesaurum obtulerit, cõdit venerabundus inter pagellas libri precatorij: oculos identidem aspectando delectans atque animum, spe tutelæ; quæ præsenti in periculo illi sanè non defuit. Prandenti enim cuspidatum osticulum inter fauces hæserat, vt parum abesset, quin iugulatus caderet:

Digitized by Google

ret: iam certè oculi rigescebant, & ore sanguis erumpebat: affertur properè imago B. IGNATII, quæ simul contigit fauces, expulsum periculum & os ex ore est. Quendam alium virum primarium, qui sæpe tentatus à lethali morbo, superesse tantisper, dùm grande contractum æs alienum dissolueret, vnicè cupiebat, B. N. IGNATIVS ita fouisse perhibetur, roborâsséque, vt institutâ omnis anteactæ vitæ confessione, viuus non modò rationes omnes expediret, nominibúsque satisfaceret, sed ab ea die & valetudinem ipsam, & rem domesticam vbertate prouentuum miro modo excreuisse miraretur. Vnus è Nostris, in flamma febris cùm æstuaret, sacrum honori eiusdem Beati faciendum curârat; sacrificij finis, fuit & febris.

XXVII. AGRESTES per literas nos quoque ad se euocauêre, testati, Iaponem, & extremas terras in proximo nos habituros: incensi videlicet adhuc desiderio P. Emmanuelis de Barros, quem inter Sanctos nominare nihil dubitant, eâmque illi opinionem peperisse aiunt edita ab eo opera, quæ sint miraculis propiora. Eius precibus atque ieiunijs exactum narrant à femina Dæmonē inquilinum, qui eam multis añis insederit; eum, cùm se colligeret ad exitum obfirmatus, negarétque è veteri deijciendum possessione, Patrem eatenus restitantem vrsisse, vt discessum tandem promitteret, quocunque signo juberetur. Agebantur hæc in loco, qui distat ab altari passus ferè triginta. Lucentes igitur in eo cereos iubebatur extinguere: iussum, factum: tam longè ab-

Digitized by Google

sentes extinguit vno spiritu femina concitatior, & domesticum simul expurat Dæmonem. Idem Pater strumosum puerum, cui omnia alia remedia frustra adhibebantur, post preces, oleo ante sacram Eucharistiam pensili illitum restituisse sanitati ab ijsdem memoratur. Vallem ipsam crebris frequentem prædijs mali lemures infestauerant, terribilibus modis insultantes: suppetias ierant Sacerdotes alij nullo euentu. Accitus Pater Emmanuel domos obit, piacularē spargit rorem, repetēnsque salutare IESV nomen vallem omnem lustrat: quibus armis infestam lemurum turbam ex loco penitus proscripsit & fugauit. Situs quoque iacet in eâdem regione P. Ioannes Delgado, cui super Guineam nobile sepulchrum virtus condidit, vulgata per eas gentes sanctitatis opinione, quam in eius cineribus incolæ odorantur, hodiéque suspiciunt. Vnus, qui lento ciborum fastidio paulatim extabescebat, adito eius sepulchro ad robur & sanitatem famere iterum & comedere cœpit, non sine miraculi specie.

††*†*

†

PRO-

Digitized by Google

PROVINCIA TOLETANA.

Numerati sunt in hac Prouincia Socij supra triginta tres quingenti. Mortem obiere vnus & viginti. In Societatem recepti triginta & vnus.

	Vniuersim.	Sacerdotes.	Precept.	Scholast.	Adiutores.
Toleti in Domo Professâ	XLII.				
Toleti in Collegio	XII.				
Madriti in Collegio	LXXX.				
Madriti in Tirocinio	XXXIII.				
in Collegio Complut.	LXXVI.				

Digitized by Google

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Murciano	LIX.				
Oropeſano	XL.				
Huetenſi	XXIIX.				
Placentino	XXI.				
Belmontano	XVII.				
Ocanienſi	*XVI.*				
Carauacenſi	XVIII.				
Conchenſi	XIII.				
Seguritano	*XV.*				
Almagrenſi	X.				

Digitized by Google

	Vniuerſim.	Sacerdotes.	Præcept	Scholaſt.	Adiutores.
Talabricenſi	XII.				
In Tiroc. Villaregienſi	XLI.				
In Reſid. Naualcarnerienſi	III.	III.			

B. P. N. exercitijs ſpiritualibus exculti centum quadraginta ſex.
Ab annis primis, præter duo oppida, crimina confeſſi viginti.
E turpitudinis cœno exempti ſedecim.
Diſcordiæ ſedatæ vndecim.

Digitized by Google

DOMVS PROFESSA TOLETANA, COLLEGIVM ibidem, & Complutense cum Sede Naualcarneriana.

I.

IN DOMO PROFESSA P. Hieronymus dela Higuera, absolutis religiosè quadraginta nouem in Societate nostra annis, nuncupatisque quatuor solemnibus votis, hoc anno vitam mortalem finiuit, literarum, quas humaniores appellamus, Historiæque peritissimus. Decessit & P. Iacobus de Castilla ijsdem votis Societati astrictus, nobili clarus sanguine, clarior virtute, & facundia dicendi, qua auditorem facilè ad lachrimas compellebat: quo & factum, vt tanti concionatoris iacturam externi non minùs dolerent, quàm Nostri. Michaël de Lapaz è Coadiutoribus vnus, viuúmque charitatis iuxta atque obedientiæ exemplum, eadem via hos duos secutus est.

II. TRA-

Digitized by Google

II. TRADITA à ceteris B. P. noſtri aſcetica, tum alijs multis, tum præcipuè ijs cum fructu fuêre, qui ad primam DEO hoſtiam offerendam ſe præpararunt. Lites magno numero reſciſſæ: captiuorum & ægrotantium grex cibo & pharmaco curatus: Saraceni tres errorem dedocti: concio forenſis poſt Catechiſmum coacta frequenter. A Quadrageſima ad Aſcenſionem vſque Domini in oppido de Valdemoro adminiſtrata res Chriſtiana à Noſtro, more noſtro: quod item quinque alia loca diuerſa in ſe vtiliter peractum fatebantur, è quibus pellices & diſcordiæ Noſtris ingredientibus profugêre.

III. IN COLLEGIO literis & pietati vacatur. Pictura elegans, quâ Parthenium ſacellum exornatum, auxit & virtutem Sodalium.

IV. COMPLVTI duo e Noſtris deſiderati; P. Frãciſcus Ramirez rerum humanarum magnus contemptor, triginta trium annorum, duodecim Societatis: & Alphonſus Ordonriez trium item & quadraginta, quorum duos tantùm Societati vixit, Canonicus antè & Archidiaconus Calagurritanus, magnis negotijs tum ab Epiſcopo ſuo, tum ab alijs Eccleſiaſticis præfectus; quibus omnibus cùm ſalutis negotium antehabendum cenſeret, à Societatis Præſidibus contendit, vt ſuſceptus excurſionibus operam dare permitteretur, quo in tam ſancto miniſterio mortem oppeteret. Impetrauit. Nam cùm è Domo probationis Madritanæ cum alio Sacerdote in pagos Euangelio erudiendos mitteretur, veniſſétque Complutum, breuis

Digitized by Google

laboris diuturnam, imò æternam accepit mercedem.

V. PER VERNI iciunij interuallũ in hoc Collegio exercitia sacra iniuêre septuaginta, eóq; plures, docti plerique & magnæ expectationis viri. Itum ad finitimos. Templi res aucta Sacerdotis veste vna, & pyxide reliquijs asseruandis apta: nec vnquam magis splenduit atrij templíque facies, peristromate, aulæisque, & carmine instrata, quàm cùm Philippus Rex Catholicus & Sereniſſima Regina Margareta Collegium ingressi, præsentiâ suâ voluerunt conclusiones etiam Theologicas ornare.

VI. E CIRCVMFVSIS pagis ad Sedem Naualcarnerianam plurimi hominum accursus, tribus Nostris, qui ibi curant, parum concedunt otij.

COLLEGIVM MADRITANVM.

VII. TRES VITA functi in hoc Collegio: P. Petrus Ribadeneira Toletanus, qui socijs se adiunxit quatuordecim annos natus, à B. P. IGNATIO Romæ susceptus, nouem diebus antequam Societas à Sede Apostolica cõfirmaretur. Septuaginta annos & quatuor præterea dies in Societate vixit: multos perpessus labores ad varias Academias studiorum caussâ peregrinando: bis ad Belgas, semel ad Anglos penetrauit, grauia Societatis negotia pertractando. Proùincijs Thusciæ & Siciliæ præfuit. Lombardiam obeundo lustrauit: bis Assistentis officio functus est: primùm

mùm quando P. Iacobus Laynes abijt in Gallias, Patrémque Salmeronem Romæ Vicarium generalem reliquit: deinde etiam cùm P. Franciſcus de Borgia Hiſpanias adijt, ſecúmque inde Aſſiſtentes Hiſpaniæ & Luſitaniæ adduxit, in quorũ locum Romæ ſuffectus eſt. Ad ſecundam Congregationem generalem venit pro Sicilia, & ad tertiã pro Romana Prouincia, paucíſq; pòſt annis omnibus domicilijs, quę Romæ habebamus, Superintẽdens fuit: atq; in his laboribus triginta tranſegit annos, viréſq; ac valetudinem nõ mediocriter labefactauit. Quam vt recuperaret, ad Hiſpanos redijt, anno milleſimo quingẽteſimo ſeptuageſimo quarto; à quo tempore cùm valetudinem curare poſſet, maluit vel ſcribendo, vel alijs laboribus ad DEI gloriam maiorem obeundis attineri. Primus omnium B. P. Noſtri IGNATII vitam literis conſignauit, latinè primùm, deinde in Hiſpanum ſermonem tranſlatã, varijſque editionibus auctam & illuſtratam.

Scripſit res geſtas etiam à P. Franciſco de Borgia, P. Iacobo Layne, aliiſque Patribus, qui noſtræ Societatis principes extitére. Vnius præterea libri de Principe Chriſtiano, & alterius de Tribulatione auctor fuit. Tribus Tomis complexus eſt Sanctorum hiſtorias, non eorum modò, qui Eccleſiaſticis faſtis inſerti, ſed aliorum etiam non paucorum. Ipſius opera eſt Enchiridion ſeu Manuale orationum, Index de Scriptoribus noſtrę Societatis; & Liber de Inſtituto noſtro, in quo calumnias Societati noſtræ aſperſas inducta velut ſpongia detergit.

Digitized by Google

Postremò deniq; aggressus est scribere res vniuersæ Societatis Hispanæ: quibus curis intentũ occupauit mors X. Calendas Octobres anno CIↃ. CIↃ. XII. ætatis LXXXV. Æger non minore comitate animíque æquitate omnes excipiebat, quàm dum sanus esset; pauca locutus, vt plura de DEO cogitaret. Cùm P. Prouincialis, ceteríque nostri à moribundo peterent, vt omnibus qui adessent, totíque Societati bene precaretur, manum attollens (quoniam loqui non ampliùs poterat) digito commonstrauit Imaginem B. N. Patris, quo signo declarare voluit ab illo expectandum, quod à se postularemus. Itaq; facta totius vitæ exomologesi, sumpta Eucharistia, extremáque vnctione, decessit lætissimus, videlicet quòd eum diem videre licuisset, quo Patrem nostrum IGNATIVM Beatum dici audísset. Quanti fieret Petrus ab omnibus, in funere ipsius declaratum est, quod multi regni proceres, multi è religiosis familijs insignes viri cohonestárunt, oscula manibus impresserunt. Nota est illius in B. IGNATIVM reuerentia singularis, cui tantum se debere solebat dicere, vt si caussà illius membratim incideretur, ne sic quidem vel minimam debiti partem exolueret, à quo tantà curà patientiáque puer fuisset educatus. Vocationis beneficium, Societatémque maximi semper fecit, vt si, quod aiebat, fieri potuisset, in eam ab ipso partu effusum se optaret. De virtutibus eius dicere operosum hic foret & longum: linguæ moderator tantus, vt neque ipse de alicuius hono-

Digitized by Google

honore vnquam detraheret quicquam, neque alios de quopiã malè loqui permitteret, sermone ad alia opportune deflexo, quod & in scriptis suis obseruauit. Memoriam acceptorum beneficiorum effluere nunquam sibi sinebat, gratum se verbo, vbi poterat, exhibens & facto: vt neminem pœniteret, beneficium apud eum collocâsse: quin malefacta officijs rependebat, & bene loquebatur de ijs, à quibus iniuriam acceperat, quæ fomenta pacis fuere, charitatisque fraternę. Dignus prorsus, qui & cum primis nostræ Societatis luminibus vixerit, & cuius vestigia posteri quoque sequamur. Pater alter ex hoc Collegio migrauit Christophorus de Collantes sextum & sexagesimum agens ætatis annũ, è quibus quadraginta Societas sibi vendicauit. Artium & Theologiæ cursu feliciter absoluto Complutí, Sacerdos Madritum venit, vbi assiduam operam fecit ipsos triginta quinque annos, cùm & exemplo virtutis, & literarum studio omnibus tum domesticis, tum externis pleniſſimè satisfaceret. Ad Societatis fortunam animo afficiebatur vertebatúrque; vt si quid ei prosperi euenisset, gaudio gestiret; si aduersa pateretur, dolorem vultu non dissimularet. Sanctos, & ex ijs præcipuè Martyres Societatis pietate singulari venerabatur, multámque operam posuit in eorũ res gestas & agones inquirendo, adeò vt ne ea quidẽ negligeret, quæ ab illis ante Religionis ingressum acta comperisset; & spes est aliquem fore, qui operi inchoato aliquando succedat. Tertius, qui hinc eodem abijt, Domesticæ rei fuit administer, Ioannes de Vastidâ; qui coqui munus

Digitized by Google

munus, & promi-condi tribus apud nos annis gnauiter & multa cum charitate administrauit. Alias eius virtutes, alij quoque Socij expressêre.

VIII. OCCASIONEM laborum dederunt mali mores, quibus abolendis pro virili collaboratũ, nec nihil pertinaci industria effectũ. Noctu quo tempore per compita turpes cantilenæ personari consueuerant, nunc operâ Nostrorum, de SS. Eucharistia, de laudibus DEIPARÆ, de virtutibus voces audiuntur. Dederunt & boni. Instituta enim altera Congregatio Sacerdotum in maxima spe est, quæ post decimum ab origine sua mensem numerat iam Sodales centum & quadraginta, qui suapte sponte adeunt hospitia pauperum, lectos sternunt, eleemosynas offerunt. Sed & in alia Religiosorum cœnobia eiusmodi cœtus inducti, fructum in flore promittunt.

IX. REX ET REGINA ter hoc anno templum nostrum illustrârunt sua pietate & præsentia; in Circumcisione Domini; in Bachanalibus; & B. Aloysij nostri sacra luce, quam eius frater Princeps Castellionis celebrem egit, facultate sibi à Romano Pontifice concessa, & ad sacrificium, quod de Sanctissimâ TRINITATE fiebat, præter Regem & Reginam confluente tota nobilitate.

X. IN MONTES è Tirocinio & Collegio Madritano Illustrissimi Cardinalis & Archiepiscopi Toletani voluntate profecti duo, grande æs pauperibus diuidendum ab eodem, aliisque viris Principibus acceptum, secum detulêre: calices item argenteos, vestes pro Sacerdotibus, aliáque

Digitized by Google

liáque id genus sacra ornamenta & indumenta, sacellis passim tribuenda, quòd totus ille tractus multa laboret inopiâ. Quarundam feminarum impia pietas detecta, quæ spasmis quibusdam & vanis ad ecstasis modum stuporibus, in sublime elatæ, spectantes miraculo suspendebant; sibiq; opinionem sanctitatis vulgò iam contraxerant. Marchionissa Camarasæ mille & centum aureos dedit, ad extruendam Tironibus nostris domum in Villula relaxandis animis exædificata.

COLLEGIVM BELMONTANVM, ET QVÆDAM ALIA.

XI. BELLOMONTE Collegij nostri fabrica, hoc anno cœpta, toto populo applaudente consurgit: qui vt est nobis deuotissimus, famulos subinde & currus materiæ conuehendæ suppeditat perlibenter. Accursus ad Sacramenta omnium multus; eorum solito etiam maior, qui ceteris auctoritate antestant. In finibus duo oppida integra omnes antecedentis ætatis sordes abluêre, demptis duntaxat viginti oppidanis: viginti annis roborata duarum factionum dissidia mutuis amplexibus finita.

XII. OROPESÆ amplior quàm vnquam confessorum census, morúmque mutatio, quantam prior ætas se vidisse nunquam meminit. Quadraginta ampliùs domi nostræ diuina meditati sunt: quorum aliqui varia Religiosorum instituta amplexi.

XIII. TALABRICÆ Sodalium sollicitudo, qua quoti-

Digitized by Google

quotidie ad tribunalia iudicum pro pauperibus agant, mirum est, quanto sit exemplo toti vrbi, quòtque inopum causæ expediantur, quibus actores defuissent. Referunt & virgines sacræ aliquem fructum, ad quas in Cœnobijs dicitur: referunt & pagani & parochi, quorum alij concilij nobis, alij DEO.

XIV. IOANNES GARCIA noster, Coadiutor temporalis formatus Conchæ obijt post sexagesimum ætatis annum, quadragesimum Societatis. Triginta totos ea in vrbe pueritiam literas formare docuit, & legere, magna cum domesticorum & externorũ approbatione: sibere, obedire, infra omnes se abijcere illi tam fuit facilè, quàm familiare. Minutus itaque Collegarum numerus vno, auxit duobus, qui negotiorum multitudini necessariò videbantur sufficiendi. Quadraginta horarum supplicatio felicia hoc anno habuit auspicia; quando & Bacchum oppressit, & multorum animis Christum conciliauit. Sacellum Congregationis Prætoris vrbani dono & pecunia instructum, Sodalium excitat feruorem, auget numerum. Est Episcopus vrbsque tota animata in nos quàm optimè. Quidam minore, quàm par erat, modestia, cum dedecore agebat vitam: id cùm eius offendisset cognatos, suique cedere in contemptum arbitrarentur, duos Assassinos seu grassatores aut sicarios pretio conduxerunt, à quibus ille necaretur, quem sibi opprobrio esse iudicabant. Aduertit hoc vnum è Nostris, cuius intercessione res tota composita, necisque sublata occasio est.

XV. HVE-

Digitized by Google

XV. HVETENSES funere amiserunt Ioannem de S. Maria formatum adiutorem domesticum, qui post multos annos Compluti exactos, in hoc Collegio infirmis operam dedit annos omnino triginta. Charitate eius, quæ eiusmodi in officio perneceſſaria, cõmendant ſingulariter domeſtici; tum etiam precãdi vſum frequẽtem, vt cui ſolemne eſſet, poſt expeditũ opus, quamprimũ in templũ ſecedere, & coram SS. Euchariſtia quod ſuperaret tẽporis in ſupplicando ponere; quambis ſingulis hebdomadis ſolitus fuit percipere.

XVI. LAMPAS argentea à liberali amico coram eãdem accenſa, donatáq; tẽplo noſtro Ocanienſi; vbi mira facere B. Pater noſter perhibetur. Nam vt prætereamus feminas quatuor, quæ vel ſyngraphâ ipſius, vel particulâ aliquâ de tibialibus adhibitâ fœtus incolumes edidere, primaria quædam ſurda, promiſsâ præter confeſſionem nouem dierum in eius ſacello vigiliâ, poſtero ſtatim die voti damnata eſt, vt iam vel minimum ſibilum exaudiat, quæ priùs bene ſonorum æris campani tinnitum non percipiebat. Vir contractis cruribus deſperata per medicum valetudine, vouit ſe crura cerea cum baculo in ſacello ſuſpenſurũ, ſinguliſq; diebus in Beati honorem recitaturum certas quaſdam preces: emiſſo voto protinus erectus in pedes eſt, dieque ſequenti inceſſit ſanus & ſolus, qui antea ne tribus quidẽ aut quatuor adiutoribus ſe loco mouere poterat. Sodalitas Aſſumptæ VIRGINIS ad conſueta pietatis officia hoc inſtituit, vt ſingulis D. Patronæ celebritatibus & perbigilijs in-

domum

Digitized by Google

domum quãdam honestam cogat feminas, quibus pudor in quæstu, ibíque ad frugem & pœnitentiam institutas suis sumptibus honestæ alicui conditioni applicet.

XVII. SACERDOTVM Placentinorum Sodalitas nuper in lucem edita æmulo studio adolescit. Sacellum B. IGNATII ibidem opere picturato rerum ab ipso gestarum & miraculorum illustre celebratur. Legauit testamento nobis Episcopus vrbis D. Petrus Gonzales de Aceuedo aureos mille. Ad fabricam Aquilonem versùs educendam afflictę alioqui Nostrorum saluti materia parata est.

XIIX. ALMAGRVM prætereo, vbi lis vna à quæstore ad priuatas conditiones & pacta deuoluta. Villaregij è viuis abiêre Coadiutores formati duo; Petrus de Abriaguĩ, & Ioannes de Velasco, qui bono virtutis odore & exẽplo rem nostram curârunt. Laboranti in partu feminæ hîc quoq; B. Pater noster succurrit. Quàm primum enim epistolam eius manibus exaratam adesse nunciatum est, egredi puer cœpit, quem & propius admota omnino eduxit: & cùm lis ante baptismum orta cognatos distraheret, alijs IGNATIVM; Laurentium alijs (quòd S. Laurentij peruigilio natus esset) appellare certantibus, sortitó decisum est. Ter missa sors vocari Ignatium iubebat. Sed necdum contentis sat aduersarijs sorti commissa res quartùm, quæ perinde rursùs Ignatij nomen suggessit, quod & puero impositum. Eleemosynæ domui huic à D. Ioanna

anna de Castilla factæ, æstimatæ sunt aureis plus quàm trecentis quinquaginta.

COLLEGIVM MVRCIENSE, SEGVRITANVM, CARAVACENSE.

XIX. MVRCIÆ cùm alij, tum maximè illi, qui à Saracenis genus ducunt, & regio edicto solum Hispanicum vertere iussi, opem à Nostris accepêre. Ter peregrè curatum opus: in Valle de Vicote, ad Cartagenam, & cum Episcopo diœcesin obeunte. Vbiq; cum fructu magno collocata opera; sed tertia cum maximo. Cùm enim aduerteret Diabolum ingēs animorum lucrum, quod in Diœcesi suis ministerijs essent facturi Nostri, passim talia per pagos de Nobis, Societatisque hominibus mendacia disseminauit, vt non aliter exosos nos haberent Pagani, quàm ministros & prodromos Antichristi (ita certè vocabant) aut Diaboli satellites: percrebruerat videlicet, Nostros audita in Confessione crimina prodere, nec absoluere Cōfessos, nisi prius Episcopum, aut eius Vicarium adijssent, corámque his ipsorum delicta enarrâssent, pœnas pro culpis iniungere intolerabiles; strictis quoque ad pectora pugionibus agere, & peccata per vim summámque iniuriam extorquere: ac demum idcirco cum Episcopo venisse, vt quicquid per Confessiones comperîssent, ad eum illico referrent. His aliisque id genus portentis de nobis sparsis tantum effecerat animarum hostis,

Digitized by Google

vt Nostri iam ferè de reditu cogitarent. Sed enim DEI misericordis bonitate factũ, vti calumniarum strues recideret in caput ipsius auctoris, tantóque maior fructus sequeretur, quantò ſẽ maiori conatu oppoſuerat Cacodæmon. Initium matrona fecit primaria, nobilis item ac prædiuitis mariti vxor: quæ quidem & ipſa primò cunctabunda maléque fidens ob ſparſos illos rumores, adijt Noſtrum confeſſionis cauſsã, ſed cùm experta fuiſſet in ſemetipſa rem aliter, longè ſe habere ac vulgò ferebatur, alijs eſca fuit & hamus, quibus Noſtrorum in audiendis confeſſionibus deprædicauit peritiam & humanitatem; *nihil eſſe*, dictitans, *ipſis religioſius, quàm arcanum fidemque confeſſionis ſeruare illæſam; nihil falſius, quàm illos agere per vim aut iniuriam, cùm omnia conſilia ſua referant ad gloriam DEI, & animorum ſalutem*. Hac fœminæ oratione excitati nõnulli explorandi ſaltem gratiâ, vadúmque, quod aiunt, tentandi, Noſtros accedere, ſunt auſi: qui cùm non minùs technas Diaboli, quàm illa, impoſturáſque, quibus à nobis auertebantur, deprehendiſſent, mirum eſt, quantam ad conciones noſtras confeſſionéſque exciuerint multitudinem, vt nęque dies, neque noctes ſufficerẽt, & ad auroram vſque aſſidendum nonnunquam fuerit confitentibus. Tum enimverò priorum conuitiorũ ignominioſæ appellationes in perhonorificas ſalutationes vertebantur. Audiebant iam paſſim Noſtri, Angeli Pacis, Sancti, Apoſtoli, Patres, & ab ijs ſibi benedici ſummam felicitatem exiſtimabant. Ita in oppi-

dis

dis quinq; instituta Congregatio B. VIRGINIS. Monasterio feminarum reddita disciplina, & de triginta Virginibus viginti quinque sacris meditationibus excultæ. Clerus quoque reformatus, & inducta cõsuetudo post sacrificium DEO grates dicendi, quod ita insolens visum, vt ne eius quidem rei antea meminerint. Sacerdos notissimæ in populo nequitiæ, qui vix vnquam nisi cum infamia nominabatur, ad exercitia spiritualia pertractus tantam morum instituit mutationem, vt sanctus iam vulgò appelletur cum omnium admiratione. Alius pellicem, cum qua octodecim annis consueuerat, domo exegit; & quos malè viuendo offenderat, nouis virtutum exemplis sibi rursus conciliauit.

XX. PAR FERE in agro labor & fructus Segurensium fuit, vt nisi in audiendis confessionibus ab alijs presbyteris subleuati fuissent, operi non suffecissent operæ. Domi hortus cum stagno paratus; cœptæque à Magistro vno humaniores literæ doceri magna populi gratulatione & applausu.

XXI. QVI CARAVACÆ pueros characteres pingere & legere docuerat Franciscus de Morâ, in cœlum, quod speramus, abijt, minerual industrię suæ accepturus, vt qui laboriosæ illius prouinciæ munus sustinuerit annos triginta quinq;. Duo externi (quod inusitatũ hoc loco) domi nostrę cõmentationibus excoli voluerunt. Sodalitas Mariana, à quo die Romanæ adiuncta est, pauperes ita fouet, & qui in hospitali domo ægrotant, vt re nulla indigere eos patiatur.

Digitized by Google

PROVINCIA FRANCIA.

Numerauit hæc Prouincia Socios triginta octo ſupra quingentos. Morte ab his abiêre ſex. Quadraginta acceſsêre.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Pariſijs Dom. Profeſſa	XXX.	XX.			X.
Pariſijs Collegium	XX.	X.		IV.	VI.
Pariſijs Dom. Probation.	XXXIIX.	VIII.		XXVII.	III.
Collegium Flexienſe	LXXVI.	XX.	V.	XL.	XI.
Collegium Muſsipontanum	LXXXV.	XXIIX.	VI.	XXXV.	XVI.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Virdunenſe	XXVI.	XI.	V.	II.	IIX.
Biturícenſe	XXXIV.	XII.	VI.	X	VI.
Niuernenſe	XIIX.	VII.	VI.		V.
Augenſe	XV.	VI.	IV.		V.
Rothomagi Coll. Rothomagenſe	XXV.	X.	VII.		IIX.
Rothomagi Dom. Probationis	XXXVI.	IV.		XXIX.	III.
Coll. Rhedonenſe.	XXIIX.	X.	VI.	V.	VII.
Molinenſe	XXII.	X.	VI.		VI.
Ambianenſe	XX.	IIX.	VI.		VI.
Rhemenſe	XIX.	VII.	VI.		VI.

Digitized by Google

	Vniuerſim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholaſt.	Adiutores
Colleg. Cadomenſe.	IX.	V.	I.		III.
Dom. Prob. Nanceiana	XXXIV.	VI.		XXI.	VII.
Miſsio Canadenſis	III.	II.			I.

Hæreſi exuta Eccleſiæ Catholicæ candorem induerunt octuaginta ſeptem.

Animi receſſus à prima pueritia replicârunt mille ducenti ſeptuaginta tres.

Inimicitias depoſuerunt octo.

Ad B. Ignatij inuocationem ſalutem deſperatam recuperârunt ſex.

Digitized by Google

DOMVS PROFESSA PARISIENSIS ET Collegium.

I.

IN EO NIMBO GALLICANÆ tempestatis, quo inuolutæ res nostræ fuerunt, complurium dynastarum eluxit in nos beneuolétia singularis, sed præsertim Ludouici Regis XIII. in quem ille Henrici magni amor & eximia in Societatem charitas hæreditario veluti iure trâsijt. Calend. Ianuarij, qui dies apud nos anniuersario cultu celebratur, nostrâ ædem inuisit magno cœtu purpuratorum comitatus: neq; priùs è loco sacro pedem extulit, quàm vnius è Nostris concionẽ & vespertinas preces audijsset. Inchoata est hoc anno felicibus auspicijs quadraginta horarũ supplicatio, Põtificis pia largitione diues, & solemnis. Viri sumæ auctoritatis nostro in tẽplo conciones habuêre magno hominum concursu; quem etiam Rex, Regina parens, & palatij lumina cohonestárunt. Magni ieiunij tempore quinque de Nostris in maximis vrbis templis ad populum verba fecerunt, magno animorum fructu, & omnium approbatione.

Digitized by Google

II. IN CONVENTV Prouinciali cùm noſtrorum Patrum numerus bene magnus veniſſet Pariſios, multorum in noſtra inopia ſubleuanda enituit benignitas: cui vt quoquo modo reſponderemus, nihil prætermiſſum fuit à nobis, quod ad ciues iuuandos minimè à Societate noſtra alienos pertineret. Et fuit operæ fructus. Nam multi hæreſi exuta Catholicæ Eccleſiæ candorem induerunt, multi diuinorum myſteriorum vſu purgati, ad frugem ſe bonam recepêre. Adiuta nobilis quædam femina morbo graui & periculoſo decumbens, quæ ſeu vi morbi, ſeu malorum ſpirituum impulſu, ſic domeſticos auerſabatur, vt congreſſum vix vllius ferret, ac ne aſpectum quidem, magna totius familiæ perturbatione & mœrore. Sed tandem ab vno è Noſtris ad ſaniorem mentem reuocata, vitæ omnis maculas confeſſione primùm delet, tum ſuos peramanter complexa, feliciter migrat è vita. Ab eo tempore eius maritus vir nobilis atq; primarius, qui priùs à nobis abalienato erat animo, haud vulgari beneuolentiæ ſignificatione nos proſequitur.

III. INVIDORVM, quorum hoc anno magna fuit ſeges, in ſtruendis nomini noſtro calumnijs & rumoribus ſpargendis, fuit inſignis expromptáque audacia, quæ calumniæ tamẽ omnes diuinæ opis aurâ euanuerunt. Moleſtiſſima fuit cenſura Sorbonicę ſcholæ aduerſus tres conciones habitas in Beatificatione B. P. Noſtri à Patribus Dominicanis duobus, & Auguſtiniano vno, iiſque Hiſpanis, ſed veritas tandem ſuum locum habuit,

Digitized by Google

habuit, & ex ipsis doctoribus Sorbonicis nō nemo tali censuræ interceſſit. Excepit eam horribilis quædam tempeſtas, quæ ob Collegium excitata hoc habuit initium.

IV. REX HENRICVS auguſtiſſimæ memoriæ cùm poſtliminio nos in regnum Galliæ ſummâ beneuolentiâ reuocáſſet, certas quaſdam & honeſtiſſimas ob cauſſas vetuit ſcholas hîc aperiri, quoad ipſe de ea re ſuam voluntatem aperuiſſet: Flexienſe nimirum Collegium, in quo ornando & regiâ magnificentiâ inſtruendo tum erat, ſtabilitum priùs, ſuiſque partibus abſolutum eſſe cupiebat: quod quia iam effeciſſet, in magna expectatione verſabamur, cùm dignus immortalitate Princeps, immaturo fato occubuit. Honeſtiſſimi viri, noſtríque Ordinis peramantes, dignitatéque pollentes, qui iuuentuti bene conſultum volebant, multis & grauibus rationibus nos impellunt, vt Reginæ Galliam moderantis auctoritate vtamur, & de more codicillos petamus. Nec fuit operoſum id ab optima Regina conſequi: diploma ſcriptum eſt, & à Cancellario viro illuſtriſſimo ſignatum, adeóque reſtabat id vnum, vt ſupremæ iudicio Curiæ vim ſuam obtineret. In quo iam animo prouidebamus, quanta futura eſſet difficultas, quòd in eo Iudicum ordine multi non æquo eſſent in noſtrum Ordinem animo. Non defuerunt tamen quidam etiam ornati Magiſtratu, qui prona omnia atque procliuia eſſe dicerent, proinde bene rectéque nos facturos, ſi negotium vrgeremus Academiæ honorificum, communi rei ſalutare.

Digitized by Google

Sub finem igitur superioris anni diploma regiũ senatui obtulimus: sed quoniam pauci dies ad agendum restabant, & appetente vacatione res proferebantur, illius rei cognitio in sequentem annum est dilata. Nihil gratius potuit hæreticis dubiæq; fidei hominibus accidere, & illi hominum generi, qui nostrum Ordinem Vatiniano odio prosequuntur. Nam quasi diuinitus id nacti forent tempus vacuum atque liberum ad instruendam Societatis accusationem, & abalienandas Senatorum voluntates, omnes industriæ ingeniique neruos intenderunt.

Itaq; famosos libellos omnes excutiunt, vniuersæ Galliæ rumusculos legunt, scribunt in Angliam, Germaniam, in remotissimas oras terrarum: si quid sit, quod deformare Societatem, nomen nostrum violare, conflare inuidiã queat, studiosissimè congerunt. Syndicus Academiæ homo acer & infestus nobis, Ecclesiæque hostis, qui deinde propter scriptorum impietatẽ communi Antistitum iudicio fuit notatus, Rectorem excitat, doctores alios, si qui factiosi esse videantur, subditis aculeis commouet. Communi consilio multi eiusdem mentis & improbitatis inuectiuam struunt, ex omnium mendaciorum colluuione, & fæce veteris calumniæ concretam & coagmentatam. Deligitur vnus ex omni fori acerbitate causidicus, qui multorum mensium quotidiano studio se paret ad ea fundenda, quæ tam multi scelerum architecti excogitâssent.

Iam certum apud illos erat nos omnium ludibrio obiectos, tantáque nube calumniarum circumfu-

Digitized by Google

cumfusos, non Parisijs modò, sed ex omni Prouincia exturbandos Senatusconsulto videri. Nec latere poterant hæc illorum aduersus innocentiam nostram consilia. Quare monent nos amici, tutius quidem fore hoc tempore atque vtilius, si regios codicillos in pluteis contineremus, & tantisper scholarum hoc negotium in feliciorem quandam lucem, pacatioremque differremus; quod & fecimus.

V. ANNVS prope à nostro primo illo conatu effluxerat: interea mirari aduersarij, cur quieti sileremus; dolere, frustra à se suspensos arietes, sumpta arma: igitur & ipsi animo inimico subsident, consilia nostra explorant, dicta in concionibus, nutum pœnè omnem aucupantur; per rimam, per nebulam, per somnium etiam, si quid videre possint, carbone notant. Syndicus Academiæ, qui pridem vt miluus cadauer quærebat, videt in Collegio tandem adolescentulos ab externis pædagogis priuatim doceri, sicque existimat accusationem suam, nec colore, nec ratione carituram, si regium edictum violatum à nobis dicat, quo publicæ apud nos scholæ prohibebantur. Rem communicat cum principibus factionis, probantibus maximè, & hominem collaudatum ad aggrediendũ hortantibus. Itaque diem nobis dicit, quo sisti nos oporteat in Senatu, vt factum nostrum tueremur. Res erat nec dissimulanda, nec contemnenda, in qua de honore Societatis, & de nostra Parisiensi commoratione ageretur: quæ caussa fuit, cur de sapientum consilio P. Prouincialis cum delectis quin-

Digitized by Google

quinque Patribus in curiam venerit. Ibi ſubitò mixta comœdia inducitur, in qua texenda iam ferè annum integrum elaboraverant; de togatis vnus pleno plauſtro in nos genus omne conuitiorum euomit, cuius tres in actus diuiſa maledicentia fuit; tot enim continuos dies declamauit. Cúmque legitima eſſet quæſtio de Conuictoribus noſtri Collegij, de ea re mirum ſilentiũ. Dictum eſt autem de Gallia, de Anglia, de Germania, Polonia, Trãſiluania, de perturbato à Ieſuitis vniuerſo orbe terrarum. Regius Aduocatus, cùm haud obſcurè cum aduerſarijs ageret, nos grauiſſimè onerabat, qui tamen priuſquam concluderet, ad nos verſus, ex animi noſtri ſententia pronunciaturum ſe dixit, ſi modò capita doctrinæ tria quatuorvé admitteremus. R. P. Prouincialis, qui rem antè præuiderat, de communi Patrum conſilio reſpõdit, non ſolere nos vllam nouam doctrinam inuehere, ſed à Catholica Eccleſia, & Catholicis Academijs capere, & hoc eſſe in Regulis noſtris & inſtituto (Regulam ipſe protulit) proindéque minimè verendum eſſe, ne in ijs doctrinę capitibus, aut quibuſlibet alijs Catholicis, à Sorboneo cœtu Catholico diſſentiamus. Mittuntur inde in conſilium Patres conſcripti, conferunt capita; ampliſſimi ordinis princeps colligit ſententias, magnáque tandem omnium expectatione pronunciat (& fuit perſcripta Senatûs auctoritas) placere Senatui, vt quamprimum Ieſuitæ Conuictores omnes dimittant: de Collegio verò in Pariſienſem Academiam cooptando nihil decerni placuit.

Atque

Digitized by Google

Atque hic finis fuit illius iudicij tanta omnium inuidorum cupiditate expectati, singulari malitia & nocendi libidine inducti. Nos subitò Conuictores omnes dimisimus, qui magnam partem in Collegia nostra vrbium aliarum iuerunt. Aduocatus, qui sibi nomen maledicendo quæsierat, actionem illam suam mendacijs clarissimis distinctam euulgat, sed eo successu, vt qui dicentem aliquo modo laudauerant, scribentem improbarent; erat enim actio omnis perturbata, & ieiunâ maleuolentiâ fluctuans, iudicio vacua, quæq; iam inde ab initio veteratoriam fraudem cum imperitia iunctam proderet. Noster item aduocatus respondit, & quæ breuiter in Senatu dixerat, in lucem dedit. Is liber tanto omnium ordinum applausu fuit exceptus, tanta veritatis approbatione, vt non modò de existimatione nostra nihil sit illa declamatione infami & impuro scripto minutum, sed iusta etiam in auctores & buccinatores calumniarum odia exarserint: hinc bonorum omnium ingens lætitia cõsecuta, & nostrorum inimicorum examinatio tanta, & consiliorum omnium perturbatio, vt inuentus planè sit nemo, qui aduersus illam defensionem hiscere sit ausus.

Atque ex hac inquieta quiete, scholarúmque silentio hoc interea habuêre Nostri, vt alijs operam suam locarent; & tres è Collegio Sacerdotes varijs in vrbibus per Aduentûs & Quadragesimæ tempora ministerijs Societatis obeundis distinerentur.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM FIXANVM SEV FLEXIENSE.

VI. PHILIBERTVS Morellus ingenio præstanti, & felicissimæ memoriæ adolescens diem extremum obiit, cuius præclarissimas animi dotes in multorum vtilitatem aliquãdo expendendas multi sperârant, immaturo tumulo inferri doluerunt. Bellârat egregiè cum parente, qui eum è Tirocinio, ipsõque Religionis aditu reuocare, irritis conatibus moliebatur. Illustrauit hoc Collegium anniuersaria funeris pompa, quam ad Henrici IV. cohonestandam memoriã Nostri apparârunt, tam vario ingeniorum artiúmque certamine, ei vt simile nihil se vnquam in vita vidisse Principes viri palàm dictitarent. Tres integros dies ea summo concursu atque frequẽtia omnium oculos animósque tenuit. In primo supplicatum est ad nostrum sacellum frequentissimo & clero & populo, è pagis etiam confluente, vbi regij amoris exuuiæ cor ipsum aurea in vrna seruatur. Habita inter res diuinas à Rectore Collegij grauis & diserta concio, quæ in vulgus postea emissa optimi Regis venerationem latiùs propagauit. Die altero è Lycæo & Academia prodeuntes periti & exercitati iuuenes de Philosophiæ parte cum laude, responderunt. Post meridiem explicata in cœtu maximo quatuor ænigmata basi ingentis pyramidis ante ædes Patrum erectæ inscripta, non sine magna præsentium voluptate; cùm omnes animaduerterent, arcanorum sensum

ad

Digitized by Google

ad ipsius Henrici laudem ingeniosè deuolui.

Denique die tertio in cothurno camœnæ spectatæ, dramate ad tempus accommodato. Prodibat in scenam Gallia regiarum virtutum choro circumsepta; quæ cùm ea dixisset, quæ pius dolor exprimebat, in eundem cum Henrico tumulum concessura videbatur, nisi Angelus tutelaris Michaël, Religióque reuocâsset, atque adeò monuisset, vt se potiùs ad Ludouicum XIII. Henrici successorem suo cum comitatu conferret, qui fuit extremus actus anniuersarij muneris: selecta verò deinde poëmata vnúmque in volumen congesta digna iudicabantur, quæ in lucem prodirent. Cætera in scholis communia reperio, hoc tamen non vbique, quòd vna in classe, quæ ducentos numerat auditores, demptis non ampliùs duodecim, ritè omnes expiati sunt totius vitæ apud Sacerdotem instituta Confessione. Duo è Nostris in Decembri concionibus & ieiunio deinde verno duas ciuitates erudiêrunt; quorum alter ad alios labores circa Natalitia octoginta pœnitentes super tota vita audiuit.

COLLEGIVM MVSSI-PONTANVM.

VII. AVCTVS hoc anno Magistrorũ numerus accessione Matheseos, quæ præter statas quatuordecim scholas cœpta etiam est doceri. Auditores Academia censet vniuersim mille quadringẽtos; in-

in his duos Principes Carolum & Franciſcum à Lotharingia, qui vt genere, ita virtute atque indole facem reliquis prælucent. Studium verò Chriſtianæ inſtitutionis exuſcitauit atque excoluit tum venuſtum in virtutis commẽdationem drama vernaculo carmine adornatum, frequentiſſimóque ſpectatore approbatum; tum pompa puerorum & infantium ducentorum poſt diuturnam exercitationem indicta, & per vrbem in templum noſtrum niueis amiculis fulgens deducta, ſacróque ferculo magna pars eorum à Catechiſte excepta; cui parem in ea ætate pompam ciues vidiſſe nunquam ſe conteſtabantur.

VIII. TVLLENSIS Antiſtes Diœceſin ſuam luſtraturus in muneris illius Societatem duos è Noſtris aſciuit, quorum labore multa perfecta ſunt, quæ faciliùs dicantur quàm fiant. Eccleſiaſticæ cęremoniæ pœnè iam intermortuæ, reuocatæ; internecina diſſidia compoſita: libidines euerſæ: nonnemo à religionis prauitate liberatus: Sacerdos inceſto flagitio ſæpius in hæreſin miſerabili caſu reuolutus, antequam expiraret, ſingulari DEI beneficio vitam omnem à teneris annis Noſtro relegit, ſéque DEO, Eccleſiæ, &, vt ſpes, cœlo reddidit. Geminum quiddã eodem in itinere contigit cum viro genere quidem atque familia, ſed ſcelere longè nobiliori; aliud item cum virgine paris ſanguinis, quæ cum lacte nutricis imbibitum hæreſeos venenum reiecit. Qui ad Vallicolorenſes tempore Quadrageſimæ è Noſtris profectus, ternas ſæpe conciones ad oppidanos, binas quotidie habuit;

Digitized by Google

habuit; vbi vis & efficientia diuini verbi quibuſdam argumentis atque indicijs non obſcurè ſe prodidit. Vir in vrbe fuit armis ferox, & apud ſummum Magiſtratum gratioſus: hunc, cùm domi ſcortum aleret impudentiſſimo flagitio ſummáque totius ciuitatis offenſione, molliùs primùm Noſter pro concione & per cuniculos quadamodo eſt aggreſſus; at vbi vidit nullo vulnere ea tela præteruolare, omni laterum atque vocis contentione in flagitium eſt inuectus: qui dicentis ardor cum plena ſpiritûs oratione coniunctus tantum effecit, vt è veſtigio Prætor poſthabita grati hominis & amici familiaritate, eductam è penetralibus meretriculam luce palàm ex oppido eiecerit atque exterminauerit. Duobus in mutuam pernicié armatis, ſclopos & ferrum è manibus excuſsêre illa Chriſti verba ab Eccleſiaſte noſtro tractata: *Pater dimitte illis* &c. Nobilis item exarmatus, cui proſápia tantos ſpiritus cõtumaciámque ingenerauerat, vt in Paſtoris ſui necem ferrum ferret. Alius in cœno & ſordibus extremæ paupertatis parentes ſuos malitioſè deſerens, ad officium filij reuocatus.

COLLEGIVM VIRDVNENSE.

IX. MORTI ſuccubuit Virduni rerum domeſticarum adiutor vnus, Antonius Touuenianus, quatuor & viginti annos in Societate Obedientiæ apprimè deditus; qui cùm ægris ſumma

Digitized by Google

charitate inseruiens ipse in morbum incidisset, habuit nihil antiquius, quàm vt iam inde à prima pueritia noxas omnes recognosceret, & plena doloris confessione deleret. Illud pro suo cultu & veneratione à DEIPARA visus impetrâsse, vt vnum ex illis diebus haberet vltimum, qui tantæ Matri ab Ecclesia foret consecratus. Legit hæc VIRGO è suis etiam Sodalitijs identidē quosdam virtute claros, è quorum numero maturioris cuiusdam exemplum iuuabit apponere. Vir erat grauis & in Senatu primarius, qui Sodalitati nomen dederat, cùm ætatis iam sexagesimum esset præteruectus. Is & aliàs verberibus in suũ corpus sæuire solitus, & in eo morbo, qui postremus illi fuit, nullo die statas & quotidianas omisit precationes, vt illa ipsa luce, quâ è corpore egressus est, religioni sibi duceret coram Sodalitatis moderatore, quòd sacram Diuæ Matri corollam nondum pertexuisset. In eadem ægrotatione eius virtus quodam alio in opere eluxit. Nam cùm primâ cuiusque mensis Dominicâ è Sodalium instituto ad Synaxin sit adeundum, idque solemne retinere in omni vita statuisset, fractus iam & effœtis viribus senex, mortique proximus, contra medici omniúmque domesticorum sententiam, qui Eucharistiam ipsi domum deferendam censuerunt, lecto tectóque egressus in parœciam se, suam ægrè sæpiúsque interquiescendo contulit, ibi augusti mysterij communione reficiendus. Obiurganti suauiter Nostro, & intempestiuam religionem notanti, paulò pòst respondens que-

siuit;

fuit; *Conueniretne tantum ad se venire regem, an eum ab se adiri.*

X. MEDICVS non ignobilis medicinam suo morbo apud B. N. IGNATIVM reperit, cui propè iam depolito Noster aliquis suggesserat, huius Beati memoriâ & cultu illustrem imminere diem, à quo multi in morbis dubiisque rebus spem accepissent & opem. Ita monitus, quicquid fuit macularum in animo, quantum mens anteactam vitam potuit resumere, accurata Confessione purgat, sacro & solemni ipso die Angelorum pane reficitur, animam tum (quod ipse postea memorauit) vix retinens. Inclinante iam die meliusculè habere incipit: sero vespere, multò iam quàm ante vegetior, se ipsum mirari, circumstantes corroborata voce compellare. Vixdum Pater in Collegium redierat, cùm subitò nunciatur salutarem fuisse Beati inuocationem, ægrum valere, redditam sibi sanitatem voce & lætitia contestari; iámque ab amicis, eius imperio & cohortatione, Te DEVM laudamus &c. in gratiarum actionem cantari. Et verò licet non depulsa omnis fuerit è vestigio febris, sensim tamen absque alia medicina vires corpori atque robur est restitutum, & exinde rem pro miraculo habere ac deprædicare sanus repetito testimonio cœpit.

XI. SEX (quòd domesticæ industriæ insuper fuit) ex Hæreseos labyrintho & multiplici errore sunt educti. Itúmque extra vrbem, & in octoginta quinque locis diuersis decem ferè

Digitized by Google

& ducentæ conciones ab vno Sacerdote noſtro habitæ: Confeſſiones auditæ minimùm bis mille, quarum pleræque totius vitæ rationem continuerunt. Suſpendiarius vnus ita ad mortem animatus proceſſit, vt ipſi carnifici, non modò populo vberem vim lachrimarum expreſſerit, cùm graui & morata oratione & veniam petijt, & ad fugiendam ebrietatem circumſtantes eſt cohortatus, quam vnam aiebat texuiſſe funem, quo fauces miſerando fato eſſent præligandæ.

COLLEGIVM BITVRICENSE.

XII. E SOCIIS duo rei familiaris curatores deſideratiſunt, ab hominibus dicam an cælitibus? Sanè vterque religioſarum virtutum exempla reliquit. Prior Franciſcus Florentius câ fuit in extremo illo actu patientiâ, vt non in æſtu furentis morbi, ſed molliſſima aliqua roſa aut viola iacere videretur. Fuerat frequens ſi quis alius in geſtandis cilicijs, quæ non niſi flexis genibus ſummáque pietate exorabat: colloquijs rerum diuinarum adeò intẽtus, vt occaſione quauis, vbi loqui licebat, primum ſermonem induceret grata quadam modeſtia & ſuauitate. Alter fuit Adrianus la Bite: & horum quidem iactura compenſata ſuperſtitum ſolertiâ eſt.

XIII. IN VRBE iuſtas ob cauſſas intermiſſa doctrinæ Chriſtianæ explicatio lõgo interuallo repetita. Quinque ab hæreſi in viam reuocati: Sacerdos quidam in ſacrificio diuiniſque altaris myſte-

Digitized by Google

mysterijs characteribus quibusdã sacrilego maleficio vtebatur, quibus & homines deludebat, & se malo Dæmoni obstringebat: occursum est tanto malo, & nefaria illa monumenta, quibus impij illi ductus continebantur, quæq; diuinum Numen irridebant, Vulcano tradita. Sodalium Partheniorum institutio suos etiam fructus dedit. Vnius mors fuit non illi modò felix, qui ad beatorum sedes euehebatur, sed multis etiam alijs, qui ad eum visendum pro more acceſſerant, salutaris. Ille enim, vt erat natus ad honestatem, & nostrum ordinem meditans, dabat non patientiæ modò illustria exempla, sed excellentissimarum etiam virtutum, quæ in adolescentiam cadere possunt. Itaque in morbi molestia & totius corporis acerbissimo cruciatu, hæc illius ferè vox audiebatur: *Quàm dulce, quàm salutare, ô VIRGO beata Sodalitium tuum! quid egi? quid commerui, vt in illud adscriberer? tu mihi honorariam tutelam adhuc exhibuisti, eam ne reddenisi filio.* Quæ illius verba nescio quos pietatis aculeos in animis audientium relinquebant, vt cùm fortunatum eum dicerent, similem sibi exitum & eutanasian optarent. Inter cæteros adfuit etiam vnus, qui cùm mundo nuncium remittere aliquando decreuisset, eámque voluntatem, seu Diaboli fraude & malitia, seu iuuenili temeritate iterum posuisset, grauiter coram Nostro ab eo increpitus est: *Videret per DEVM immortalem, ne vocationis thesaurum, haud temerè omnibus à DEO oblatum, elabi pateretur: sciret eius se rationem in formidolosissimo iudicij die red-*

Digitized by Google

diturum; nihil accidere in eo ſtatu ſibi quidem moleſtius, quàm quod ea, quæ ſponte vouerat, ante mortem non poſſet reddere. Funus adoleſcentis pompa non vulgari elatum, quæ vt noua & inuſitata, ita fuit pleriſque ſpectatu iucunda, in re alioqui triſtiori. Parens ipſe ætate grauis & honeſtus illo ſuo domeſtico in mœrore, ſpectaculo hoc nimium quantum eſt releuatus; & qui nihil vnquam de Parthenia Sodalitate inaudiſſet, in eam iam admitti ſumma cupiditate expetijt, atque obſides pijſſimæ voluntatis ſuæ miſit ad ſacelli ornatum aureos quinquaginta.

XIV. LIBERALITAS aliorum fuit in noſtrum primò templum, cuius medijs parietibus periſtromata non vulgaris artificij appenſa, tum Archiepiſcopi, tum illuſtrium virorum munifica manu. Acceſſit & crux argentea, & lipſanothecæ auro fulgentes, ſplendidum aræ maximæ ornamentum. Et vero Collegij quoque res auctior facta eſt Prioratu, à Blancaforti nominato, qui annuum prouentum trecentis aureis nummis æſtimatum reddit. Contulit Dñs Ioannes du Be homo noſtri amans & diuinę gloriæ ſtudioſus, qui ne parum in Religionem fuiſſe benignus videretur, poſt traditum Societati fructum, arborem quoque ipſam donauit: vtq; in Noſtrorum numerum adlegeretur, cùm diu antea petiſſet, tandem impetrauit.

XV. ADITI à Bituricenſibus quoque Noſtris exteri, & vna præcipuè non ex minimis vrbs Sancerra vulgò nuncupata, in qua greges Hæreticorum bene magni, & eo ipſo numero & fre-

Digitized by Google

frequentiâ insolescentes. Cùm primùm Noster è loco superiore conspiceretur, noua simul lux oriri visa, fasique fuêre auditores, tam lucidè se Romanæ fidei capita explicata audisse nunquam: & quamuis à Magistello, qui Prædicantis nomine gloriabatur, verborum fulminibus arcerentur à Nostro audiendo, nunquam tamen ab eo fuit dictum, quin sexaginta, octoginta, centum aliquando minis contemptis aures benevolas darent. Quanquam & Patri ipsi contemnendæ fuêre minæ, vt qui Prætori vinctus dedendus, aut ferro tollendus diceretur: sed ille factus ea tempestate erectior ipsum Ministrum, aut si qui essent, qui lacertos & neruos sibi habere viderentur, ad Fidei certamen prouocauit. Finis laborum is fuit, qui fructus maiores in posterum tempus sponderet excitatis plurimis studijs, coërcitáque malè opinantium temeritate atque repressa.

COLLEGIVM NIVERNENSE.

XVI. Ad quinque classes humaniorum literarũ accessit hoc anno schola vna Philosophiæ, quam ciues iam diu sumis precibus efflagitárant. Res tam illis grata fuit, vt & annuum Collegij vectigal auxerint, & auditoria duo cum Præfecti exedra pari magnitudine à fundamento exædificârint. Neque non cumulauit populi erga nos benevolentiam B. P. Ignatii

apud DEVM gratia & in homines amor, haud dubio præsidio declaratus. Adolescens periculosissimè decumbebat, medicis duobus peritissimis de eius salute pœnè desperantibus, cùm monetur à Nostro, vt se voti sponsione obliget, si incolumitati restitueretur, fore, vt maculis vitæ omnibus per confessionē deletis, proximo Beati festo die ad sacram mensam adiret. Qui appensâ ad collum eiusdem B. Patris Lipsanothecâ meliùs postridie habere cœpit, immò penitus convaluit. Duæ etiam grauidæ mulieres pariendi summa difficultate laborantes, earundem reliquiarum attactu periculo solutæ fœtus ediderunt.

XVII. DVO, QVOS hæresis monstroso satu in lucem profuderat, Ecclesiæ veræ addidêre Nostri; qui & pacem pietatis solito more extulêre in pagos. Nam domi interciues & iuuentutem accensa iam ardebat flamma, vt essent, qui vltro philtra Dæmonis, hæreticorum aut lasciuorum libellorum publicas pestes ad Nostros ceu opima spolia deferrent: qui verborum, aut excussarum in se palmarum iniurias, Christiano facinore libenter condonarent: qui alios in morbis cōstitutos ad communes bonorum preces posthabitis damnatisque superstitionibus exposcendas adhortarentur.

COLLEGIVM AVGENSE.

XIIX. IN TVTELA Guisiorum Principum est hoc Collegium, quorum munificentiâ primùm extru-

Digitized by Google

extructum, & turbulẽtis Galliæ temporibus defensum fuit. Illustriss: eiusdem familiæ Dux hodiéq; ita in Societatẽ animatus est, vt cùm nuper illi à P. Rectore Sociorũ opera qualis qualis delata esset, beneuolentissimè responderit: se, in nostrâ Societate colenda, studioséque amanda, maiorum suorum vestigijs velle insistere, adeóque si opus sit in ea tuenda, quod sciret nobis esse graues hoc tempore, infestósque inimicos, vitam & sanguinem profusurum. Tum ad excitanda adolescẽtiæ studia, & solemnem præmiorum tributionẽ, pecuniam numerari iussit haud parua & restricta liberalitate. Sunt autem & ciues nostri nominis perquam studiosi, præsertim verò cùm de nobis, nostrísque laboribus in publico Collegij negotio testimoniũ suum protulerunt.

Præterea cùm de Nostris vnus ad nouum orbem & Cannadensem Prouinciam mitteretur, eum frumento aliísque rebus adiuuerunt. Ornatur in dies ipsum Collegium: ad quatuor classes humanitatis quinta hoc anno adiuncta est. Virtus auctior nostrorum Auditorũ; qui & ipsi in publica vrbis supplicatione, cum vere medio areret humus, omniáque insueto calore consumerentur, in partem pietatis venerunt. Et ranæ quidẽ ad D. Laurentij Confessoris, Augensiúmque Patroni sacrum pignus circumlatum è lacu atque cœno garrire incipiebant; ridere, inquam, hæretici & conatum illum precantium frustra esse dicere: sed stultam impietatem irrisit Numen, cùm postridie statim aduerso etiam vento

Digitized by Google

largus imber è cœlo fluxit. Non minùs præter expectationem diuinorum mysteriorum perceptio plerisq; fuit salutaris: vni in primis viro nobili, cuius fauces ita sordidum & purulentum apostema occluserat, vt animam pœnè omnem opprimeret. In eo tam præsenti vitæ periculo, cùm leucis Gallicis decem ab vrbe abesset, nostrum Sacerdotem habere viæ ducem voluit, quam iam inibat ad immortalitatem. Is auctor fuit, vt sumeret commeatum, & viatico diuino vteretur: qui obsecutus cùm eâ animorum medicinâ guttur quodammodo consecrauisset, conualuit.

XIX. SED vnius rei commemoratio omittēda non est, quę plurimorū animos propter admirabilitatem suspensos diu tenuit, cuiusq; exitus B. IGNATIO nostro gloriosus fuit. Virgo quædam est religionis officijs cumprimis addicta, & in tēplo nostro assidua, quæ virginitatis voto emisso, sex & viginti annorum interuallo miris Dæmonum ludificationibus à sanctimoniæ instituto, piisque operibus fuit absterrita, variéque exagitata. Ne quis verò sexûs fortè præiudicio vsus, quæ hîc ponētur, deliré mentis aberrationes esse putet, quæ nonnunquam propter naturæ imbecillitatem in mulierculis euenire solent, Virginē hanc eo iudicio esse ferunt, quod omnes probēt; ea pietate, quæ sit exemplo; ea constantia, quam nullæ res aduersæ frangant; ea ætate, quæ multum abest à leuitate; ea inuestigandæ veritatis cupiditate, opisque percipiendæ, vt non modo Nostros in dubijs rebus sæpe consuluerit, verum

& Pa-

Digitized by Google

& Patres Capucinos Abbauillæos. Hæc igitur Virgo cum ſororibus item virginibus vtroq; parente orbis vitam agebat in ſecluſa domo à frequentia hominũ & conſuetudine aliena. In eam primæ hoſtis impreſſiones hæ fuerunt. Sentiebat ſe de nocte vna quadam manu, nonnunquã etiam duabus petulanter attrectari, inexpertáq; licentia & vi etiam de lectulo extrahi, quod non ſine timore quodam anxio eueniebat: vtpote quæ vehemẽter pudicitiæ ſuæ conſuleret. Cúmque importunæ illæ manus redirent ſæpius, ſumptà audacià conata eſt eas intercipere & tenere, ſed fruſtrà. Cùm ſola eſſet in cubiculo, interdũ aderant, qui prehenſa veſte à tergo illam vehementiſſimè traherent: illa enimuerò eluctari, & aliquando etiam in partem eam conuerſa nudorum gregem puerorum videbat. Fuit cùm è gradibus præceps ageretur: fuit cùm vinculis quaſi quibuſdam conſtringi videretur, & arctari, cùm tamen nemo daret ſe in conſpectum. Qua in lucta & contentione & ſanguinem ex ore euomebat, & deinde funium veſtigia in varijs corporis partibus extabant. Tum autem claro die matronarum duarum conſpectum eúmq; diuturnum ſibi adfuiſſe ait, quæ amicè & incredibili ſuauitate eam complecterentur, B. VIRGINEM & S. Eliſabetham fuiſſe putat, quas præcipua religione coluiſſet. De die pariter, cùm ad pendentis in cruce Domini lacertos aliquando protenſos haberet, ita illi obriguére, vt moueri nõ poſſent, & diſtorti viderentur. Sed præſertim nocturnis in tenebris inimici vis graſſabatur.

Per-

Digitized by Google

Percurrebat illa nocte quadam Rosarium, cùm ecce nefaria & inuisa manus illud diripit, & mirantem relinquit: Virgo postridie cùm in vicinum D. Laurentij templum se contulisset DEVM piè veneratura, suspiciens animaduertit suum Rosarium pendere e collo draconis substrati pedibus D. Michaëlis exsculpti in lapide. Sed istæ quasi iocantis velitationes in graue deinde bellum verterunt. Nam misellæ corpus vniuersum ita nonnunquam veluti malleo tunsum erat, vt liuesceret: quod præsertim eueniebat ea nocte, quam Communionis dies exciperet, miratáque est aliquãdo, cùm post similes nocturnarum laruarum fraudes, harum trium literarum formas P. Q. Z. in corpore impressas comperit. Hinc verò hostis ingenium apertè cognoscas, quòd callidè à percipienda Eucharistia reuocaret, quam sæpe deglutire nequibat Virgo sine summa molestiæ difficultate. Quare piam consuetudinem interrũpens ter à sancta mensa abstinuit; quo omni tempore se mirifica lætitia perfusam ait. Sed cùm dolum postea intelligeret, falsam illam, adumbratámq; suauitatem contempsit, ad cõsuetos fructus religionis redijt, & formosi pueri effigie, dum diuina mysteria tractarentur, in hostia apparentis nimium quantum exhilarata fuit. His artibus atque præstigijs & tam varia machinatione vexata est toto illo tẽpore, quod initio diximus, & in varios subinde morbos & corporis cõflictationes coniecta, cùm interea plurimos consuleret religione & doctrina excellentes viros, & remedia adhiberet omnia,

Digitized by Google

nia, quæ variè excogitari potuissent, neq; tamen molestiarum finis vllus erat. Tandem Nostrorũ vnus in memoriam redijt similium rerum, quæ in historia B. P. N. IGNATII de Virginibus à Dæmonum impia vexatione liberatis referuntur. Hic adit ad Virginem; suadet, vt B. IGNATII vitam compendio rerum gestarum comprehensam emat, eius DEO chariiámque miraculis toto pœnè orbe mirandi patrocinium conciliet, votis, precibus, & consueta pietatis exercitatione. Facit lubens quod erat monita, & in eius se honorem orationem Dominicam quotidie recitaturam vouet. Octauo à concepto voto die, quo ipso die sanctus Spiritus linguis igneis maximos olim Apostolos afflauerat, cum spei plena concionem in templo nostro audiret, infandus hostis maiori præsidio superatus, quasi obsidionem illam diuturnam soluens Numidæ in morẽ fugientis telum vibrat, crus ita contundit Virginis, vt eo ipso in loco diutissimè immota consisteret maximo cruciatu afflicta: sed vis B. IGNATII victrix & triumphans, perduellem in perpetuum fudit & fugauit. Ab eo tempore virgo omni molestiâ liberata, patronũ B. IGNATIVM inuocat, secundùm DEVM suum vindicem atq; assertorem colit, & tabella eleganti, quam pingendam curauit, beneficij dulcem & iucundam memoriam conseruat.

COLLEGIVM ROTHOMAGENSE CVM TIROCINIO ibidem.

Digitized by Google

XX. FACILE æstimari potest è bis mille auditoribus, quos instituimus hoc anno Rothomagi, suam eámq; bonã cœnobijs quoq; messem fuisse. Societas quidem nostra septem non ampliùs sibi associauit; quorum vni quanquam abeundi potestatem parentes fecissent, eo tamen impotentis iracundiæ ac doloris pòst paulò adducti sunt, vti tota nos ciuitate probris onerarẽt, nostrúmque nomen per infamiam traducerent: quam tamen linguæ temeritatem ex immoderato amore profectam optimus DEVS leni verbere castigauit, officiíque admonuit. In ipsa enim eadem familia filius natu minor auditor noster graui morbo corripitur; petit sibi euocari è Nostris vnum, qui suam Confessionem excipiat; parentes abnuunt: instat ille, & obtinet importunitate. Neque hoc satis. Ipsa mater in morbum incidit, qui cùm in dies vehemẽtiùs ingraueſceret, conclamatam eius salutem medici pronunciant. Tum mirum dictu, continuò mittit in Collegium; sibi Sacerdotem adesse cupit, à quo cùm sibi ignosci humili prece popoſciſſet, *graues*, inquit, *ago DEO immortales, quòd mea proles tam sanctum sit vitæ genus amplexa.* Etiam Virgines eandem vitæ religiosæ orbitam inuictâ animi constantia tenuerunt: aliæ pigmenta, fucum, & quæ alia in mundo muliebri sunt libidinis irritamenta generoso ausu cremauerunt. Ciuibus ea per conciones & Catecheses pietatis forma impressa, vt cum Nostris ne vrbis quidem Curiones sufficerent Confessionibus ab omni vita repetitis.

Qui

Digitized by Google

Qui in syrtes hæreseos incurrerant, numero nouem in portum veritatis educti.

Fuit adolescens in his à puero educatus inter eos, quorum vita liberior schola fuerat lasciuiæ: quare cœpit religionem Catholicam auersari, ad hæreticos se adiungere, subauscultare quid docerent, nunc probare audita, mox improbare, vt miser nullius denique religionis esse, se deprehenderet. Octodecim annos in ea vectus naui cùm aura felicitatis afflaret, in fluctus miseriarum incidit, qui ad portum tamen iucundiorem eum impulerunt. Nam in itinere deuenit in manus prædonum, qui abductum in arcem quandam obscuro & horribili carceri addixerunt, vnde nunquam educebatur in liberiorem aërem, nisi vt fidiculis & vi tormentorum excruciatus, indicaret, quo in loco reliquam pecuniam abdidisset, quam longè fuisse maiorem existimauerant. Reputanti verò attentiùs cum animo suo, cur in eas ærumnas deuenisset, succurrit non aliam ob noxam id sibi à Deo permissum, quàm quòd auitam Religionem impiè deseruisset. Nuncupat igitur votum in eo ergastulo fore, vt ædem D. Mariæ, quæ non longè abest Lauduno Belgicæ Galliæ ciuitate, item S. Reginæ in ducatu Burgundiæ inuisat, si quo modo ijs è molestijs queat euadere.

Nec mora, in superiori parte angustissimum aditū animaduertit, quo lucis aliquid in tenebricosū carcerē affundebatur. Eò se vocari ad salutē putabat, dūq; molitur aliqd & conatur, incredibi-

Digitized by Google

dibiliter obstupefactus, egressum & liberum se animaduertit. Quare nihil priùs habuit, quàm vt suum votũ ritè persolueret, & promissas iam paulò antè peregrinationes obiret, quas tamen rectè cogitauit minimè DEO cordi futuras, nisi priùs Ecclesiæ gremio esset restitutus. Rothomagum igitur venit, primùm ad Vicarium Generalem Episcopi, tum ad nos, vbi tandem expiatus cum Ecclesia parente in gratiam redijt.

XXI. ADOLESCENS quidam alius B. quoque IGNATII nostri patrocinium est expertus; qui cùm sacrificium in eius honorem fieri curâsset, sacram eius imaginem religiosè veneratus, nullâ interpositâ morâ febrim ardentissimam extinxit. Iter religiosum, quod alij cuidam Noster ad suburbanæ VIRGINIS ædiculam vt susciperet, suasit, oculorum morbum, quo diutissimè laborauerat, è vestigio depulit. Itum Lexouium est vrbem finitimam clero frequenti, & episcopatu nobilem: vbi & profanæ consuetudines abolitæ & conciliatus honor templo. A Rothomagensibus mille & ducentorum aureorum eleemosynæ ad Collegium peruenerunt. D. Michaël de Monchi Canonicus & Archidiaconus Ecclesiæ principis S. Ægidij Prioratum Domui Probationis viuens dederat: nunc eandem moriens exasse scripsit hæredem; cui in sacello nostro humato, grati animi ergo pro nostra tenuitate meritò parentauimus. Cæterum & Tironum opera à Curionibus certatim expositur, & Veteranorum commendatur. Duos ex hæresi vindicârunt; & vnum, cui in Nosocomio decum-

Digitized by Google

decumbenti valde insidiabantur mendaciorum patroni, pretio & pecuniâ eius salutem subruere conantes, sed nihil cepit hamus aureus, dolum Nostro prodente, & diuitias domûs æternæ obtrudente.

COLLEGIVM RHEDONENSE, MOLINENSE, AMBIANENSE.

XXII. OBIIT in Rhedonensi Collegio Salomon Garnerius, qui dum perfectis studijs ad Sacerdotium se comparat, regale Sacerdotium est adeptus in cœlo. Is in morbo diuturno atque lento insigne dedit patientiæ documentum; valetudinis recuperandæ caussâ missus in hanc vrbem, vnde ortus erat. Sed in parentis patriæque conspectu ita vixit, mortuúsque est, vt cœlum tantùm patriam, & DEVM parentem cogitare videretur. Nihil autem à bene valentibus hîc prætermissum, quod diuinam gloriam propagare latiùs posset. In vrbe æquè ac pagis traditus Catechismus toto anno fructu vberi. Insolentiæ profanæ, quæ in sacras supplicationes irrepserant, sublatæ: dissipatæ choreæ Natalitiæ, ebrietas temperata, quâ insaniebatur more loci cum bonorum morum pernicie. Qui è tanta operarum penuria in vrbes inferioris Armoricæ excurrerat Ecclesiastes noster, incredibile dictu est, quàm expectatus venerit, quâto populi bono. Etiam per Aduentum Domini in principe vrbis templo vnus è Nostris est concionatus.

Digitized by Google

Haberi item in noſtro templo cœpta concio. Nam cùm antea peranguſto ſacello vteremur, iam longè grandius & opportunius exædificatũ eſt, & ciuium curâ perfectum. Scholæ mille, nongentorum facilè diſcipulorum annuum virtutis prouentum perſoluere. Idem à Molinenſibus non minùs præſtitum.

XXIII. FVIT in his vnus amiciſſimi noſtro ordini filius, qui diutina ardens febri, neſcio qua religione ductus, aquam ſibi luſtralem è templo propinari poſtulauit: negabatur à domeſticis obſequium: at ille magis vehementiúſque contendere, donec viſum faſtidioſo morbo aliquid concedendum, & è templo afferendam. Allatam igitur eo ipſo temporis momento, quo paroxyſmus inſtabat, ebibit, & derepentè conualuit, attonitis familiaribus clamantibúſque haud dubium accidiſſe nec vulgare miraculum. Patres, qui hinc Paſchatis tempore in vicina oppida miſſi ſunt, non inferiora Rhedonenſibus egêre. Vnum qui continuos quinquaginta annos ad Caluini errores tanquam ad ſaxum Polypus adhæſerat, magna omnium admiratione & gratulatione publicè abſoluerunt. Lapſus in phreneſin quidam miſerabili & horrifico vlulatu Dæmonem inuocabat, qui tamen mox admota B. P. IGNATII imagine, & dictis piè B. Matris Litanijs concepto inſuper voto ad mentem redijt, elutíſque vera & integra Confeſſione vitæ ſordibus animo tranquillo & ſerena mente poſt dies octo feliciter deceſſit.

AMBI-

Digitized by Google

XXIV. Ambianenses Nostri mirificâ omnium vtuntur beneuolentia. Fuêre initio quidê duo haud postremæ in vrbe amplissima dignitatis, qui nomen nostrum in conuiuijs, circulis omniq; congressu rodebant: sed vterq; fato suo intra semestre spatium os oculósq; clausit, non sine tacita hominum prudentium admiratione, qui vindice Dei manu sublatos credidêre. Cum Hæreticis plusculum fuit negotij. Oppidum est tribus ab vrbe milliaribus, quò frequentes commeant ad Ministelli conciones: eodem igitur singulis Dominicis è Nostris vnus se cõtulit, qui eâdem horâ, qua Prædicans, in diuersa oppidi parte verba faceret. Peracta est res cum fructu, vicinorum præcipuè, qui ex nobilibus, omniq; sexu & ordine ad illum audiendum eò concurrunt. In reditu ipsâque via licuit identidem sermones pios inijcere, & quæstiones mouere de fide, quæ ebriam ab improbo verbo turbam redeuntem concuterent, ad inuestigandam veritatem salubriter inflammarent: ita nõnemo nostris se adiunxit partibus. Diuorum è cœlo patrocinium, quod ijdem perduelles vehementer oppugnant, hîc etiam haud dubijs miraculis fuit stabilitũ: duobus rem declarare sit satis. Matrona clari generis difficultate partûs grauiter angebatur; quæ cùm desperatis reb⁹ in extremum se discrimẽ adductã cerneret, iubet nostrũ Sacerdotẽ acciri, quò solutus à peccati cõtagione animus è tãtis doloribus, in beatorũ sedes tutiùs euolaret. Sed Noster priusquam cubiculum ingreditur, lipsanothecam è collo detrahit, in-

Digitized by Google

bétque parturienti feminæ admoueri : ipſe interim cum ſocio fuſus in genua parenti N. Beato IGNATIO vota ſecundùm DEVM nuncupat. Res mira, vix admotæ pœnè exanimi fuerunt ſacræ Reliquiæ, cùm momento pœnè temporis mulier omni compreſſo dolore, ſummáque facilitate ac felicitate incolumem fœtum emiſit. Conflictabatur vaga febri & alternante vnus è ſtudioſis literarum, qui nos audiunt. Perſuadet ei magiſter, vt peregrinationē ad ædem D. MARIÆ extra vrbis pomeria ſitam ſuſcipiat, vnáque opem & patrocinium B. P. N. imploret. Paruit adoleſcens, dat ſe in viam, atque initio redeunte febrium æſtu ſolito vehementiùs agitatur : ſed vbi ad veſtibulum ianuæ, quæ tum fortè clauſa erat, peruenit, ſentit ſubitò omni ardore ſedato & extincto, morbo ſe leuatum, nec ſtatis ab eo tempore diebus febris recurrit.

COLLEGIVM RHEMENSE, CADOMENSE.

XXV. RHEMIS ab hæreſi aliquot, aut à ſuperſtitioſis & Eccleſia damnatis opinionibus reſipuêre. Vir, qui de impetrando repudio legibus agere cogitabat, cum vxore incredibili amicorum gratulatione in gratiam eſt repoſitus.

Quandam feminam è gremio ſuo abductam ſtygius procus mœrebat (quippe nuper ad fidei integritatem perductam) itaque nullam ei domi, nullam foris die noctúque quietem concedere : quotidiano labori intentam metu complere : precan-

Digitized by Google

precantem boatu vasto & horribili circumsonare; fœda canis aut felis specie in oculos incurrere: dormienti stramentitiam culcitram, non sine ingenti terrore subducere. Hisce demum intemperijs modum atque finem attulit pia scelerum omnium Confessio, exorcismorum & lustralis aquæ vsus. Apud Virgines, quæ D. Bernardi institutionem profitentur, Nostris efficientibus, cùm priùs Ecclesiasticarum etiam censurarum minæ frustra essent, clausa est ianua, vt in intimam iam domum nemo vir, nemo mulier pedem inferat, Sanctimonialis è choro nulla exeat: & quo diuturnior ea disciplina sit, datum duabus è cœtu maturioribus negotium est, vt ad Monasterij fores diligenti cura excubent, suásque in officio sorores conseruent. Selectorum adolescentium cœtus hoc anno institutus sub B. VIRGINIS Annunciatæ patrocinio magnam alit in herba spem. Vasseienses pueri, qui simul omnes atque soli nostro Sacerdote rem diuinam faciente cœlestium epularum primitias DEO obtulerunt, ingentem populo voluptatem modestia sua pietatéque creârunt. Est autem Vasseium oppidum, hæresi magna ex parte infectũ, nec impietate magis, quàm inscientia deformatum, ad quod sub finem ieiunij magni doctrinam Christianam extulit vnus è Sacerdotibus.

XXVI. CADOMENSES nostri omisêre nihil, quod valere posse videretur ad veritatis vim stabiliendam. In tribus vrbis templis tradiderunt Catechesin; in quorum etiam primario ipsius Curionis accitu duo Confessiones excepterunt:

Digitized by Google

Ordinis Præmonſtratenſis Religioſi B. P. Noſtri exercitijs ſunt exculti : ad duas claſſes ſuperiore anno inſtitutas, tertia iam poëſeos acceſſit. Pugna cum hæreticis frequens fuit, & proſpera magis quàm formidoloſa : in triumphum ducti quinquaginta : quorum vnus (ne tirones tantùm exiſtimes) centeſimum iam annum exceſſerat. Trophæum erectum, non à nobis, ſed quod mirêre ab hoſtibus. Nam hæretici neſcio quo afflatu Quadrageſimæ initio cõſpicuam è ferro crucem in ſui templi faſtigio Catholico more poſuerunt : quod fuit tam nouum, portentíque ſimile, vt omnes ciues ad inuendum exciuerit, qui mirari ſatis non poterant, eos tam repentè factos eſſe crucis artifices, qui ſuperiorum annorum tempeſtate, cùm Caluini lues fureret, omnes cruces non modo euerterant, ſed immani barbaráque ferocitate comminuerant.

DOMVS PROBATIONIS NANCEIANA.

XXVII. IN FLAGITIIS quidam voluptatus cùm ſtimulis conſcientiæ angeretur, & permoleſtos eos aculeos, qui ſe dies noctéſque pungebant, vellet excutere, ſæpe tacitè de mutanda vitæ ratione cogitabat; ſed fruſtra : graui enim pondere conſuetudinis diuturnæ, & robuſta malitia eòdem relabebatur. Viſum itaque DEO, qui omnes fieri ſaluos vult, hominem pœnè perditum hoc iuuare modo. Per quie-

Digitized by Google

quietem astitit ei Iudex formidando aspectu & apparatu, cui sisti iubebatur: hinc boni spiritus tam diuturnam emendationis moram accusabant: inde mali vitam omnem percurrendo vitia notabant. Ipse vltor improbitatis in medio sedens graui & seuero vultu: *Audi*, inquit, *miser, tuum istud flagitijs oneratum caput iusto iracundiæ fulmine feriendum iam foret; sed abi ad Iesuitas, & saluti tuæ medicinam pete.* Expalluit ad hæc homo, totóque corpore contremiscens prima luce in nostrum templum venit, Sacerdoti visa aperit & peccata: tum DEO benignissimo grates agit, à quo tam suaui ratione in semitam virtutis esset reuocatus. Hoc quicquid est, inane profectò somnium fuisse non facilè ausim dicere, à quo tam solidum bonum videam emanâsse.

XXIIX. TIRONVM nostrorum insignis est in delicijs vitæ profanæ contemnendis animi constantia, & præsertim vnius prædicanda videtur, ex quo discite omnes. Hic cùm diu Societatem nostram expetijsset, iam emenso Philosophiæ curriculo aditum in eam obtinuit, ea conditione, vt à parente abeundi potestatem impetraret: cùm ecce subitò Aureliam mittitur ad Ius ciuile perdiscendum. Ibi ratus se per literas faciliùs consecuturum, quod à parente, cuius impotentem iracundiam expertus in multis erat, vix coram postulare fuisset ausus, dat literas in patriam, quàm fieri suauissimè potuit, atq; demississimè; quibus contendit, sibi vt liceret in religiosa familia DEO viuere, qui in-

Digitized by Google

communi vita certam animæ perniciem putaret. Ille nihil respondet: hic iterum scribit, & dum rursus tacetur, cõtinuum Patris silentiũ tacitam rei concessionem interpretatus, dat se in viam, Nanceium venit, atque in tirocinium admittitur. Id vbi resciuit parens, cùm ob locorum intercapedinem (centum enim & viginti Gallicis milliaribus aberat) non statim posset in oculos filij ac fauces inuolare, experiũda omnia cẽsuit & mouẽda priùs, quàm vt eum, in quo suas omnes spes collocauisset, apud nos relinqueret. Morabatur tum Rhedonibus Armoricæ clara & principe ciuitate, amplissimos Curiæ præsides adit, aliósque viros nobiles, & sum̃æ auctoritatis, ab ijs, vt etiam à Prorege Andegauorum optimè de Societate nostra merito, literas aufert, non ad Patrem modo Prouincialem, verum etiam ad Lotharingiæ Ducem illustrissimum, aliósque Dynastas, quorum notâ in ordinem nostrum beneuolentiâ, vi, imperio vteretur in filio suo repetendo. Tum generum quoque suum aduocat hominem acrem, & in tractandis negotijs exercitatum, quem cum literis illis in Lotharingiam expedit, iubétque earum & Principum virorum auctoritate, &, si sit opus, ferro etiam & acie ad coërcendos Iesuitas, fatuúmque suum monachum viuum mortuumvé reducendum, vti: tanti beneficij memoriam apud se æternam fore. Facit ille sanè diligenter quod postulabatur, cùm mensem vix apud nos egisset adolescens; colloquitur, parentum mœrorem, vt erat

diser-

Digitized by Google

disertus, explicat, literis vrget, & quidquid demum ad labefactandum animum pertinet, non omittit. Cui vbi fabulam fruſtra cani animaduertit, ad Rectorem conuerſus, acriter iam dimitti adoleſcentem rogat, alioqui multa & metuenda Societati minatur. Reſpondet liberam ei eſſe abeundi poteſtatem, ſi velit; ſi nolit, non extrudendum foras: aliud ſe non poſſe dicere, niſi fortè Prouincialis, qui tum Muſſiponti erat, nouum aliquid ſtatueret. Re variè fruſtra tentata, euolat homo Muſſipontum vnius ferè diei itinere, dat literas P. Prouinciali à D. Varrenio clariſſimo viro magnæ in Gallia dignitatis & noſtri Ordinis perquam ſtudioſo, quibus reditum filio ad parentes precabatur. Prouincialis, qui Societatem noſtram tot fluctibus calamitatum in hoc imperio Gallicano iactatam videbat, ne nouas in eam procellas & hominum potentium tempeſtates excitaret, ſcribit ad Tironem, gratius iam DEO videri, ſi animi ſui conſtantiam parenti ſuo coram teſtetur. Hunc nuncium vt accepit adoleſcens, ſtatim fluere in lachrimas, planctu & mœrore complere omnia, pœnè anima deſtitui, præſertim cùm ponenda fuit religioſa veſtis, quam octiduo antè poſt abſolutas exercitiorum commētationes induerat. Socij certè, qui tum aderant, atque ille ipſe, à quo abducebatur, fletum cohibere non potuerunt; & vt abundantem & effuſam animi triſtiam conſolatione aliqua leuarent, preces ſuas & alia pietatis opera ſpondebant: & paternæ voluntatis adminiſter ac vicarius pollicebatur, ſe

Digitized by Google

ſtatim ac patriam vidiſſet, ad Ieſuitas rediturum. Hanc autem hominis promiſſionem adoleſcēs, priuſquam è noſtris ædibus pedem efferret, iureiurando voluit ab eodem confirmari; audiente P. Rectore, & nonnullis etiam Patribus, cùm ſacra omnia atque adeò venerandum Chriſti corpus, quod vicinum erat, obteſtaretur. Sic è tirocinio vt militari tabernaculo ad pugnā cum parentibus ineūdam prodijt. Rhedones vbi venēre, Pater magnum facinus atq; heroicum genero gratulatur, filio nihil dicit, ſiue lætitiæ, ſiue iracundiæ motus vocem excluſerit. Pòſt paulò condicit in Prætoris Vrbani affinis ſui domum, & de compacto filium ſecum deducit: è ciuibus delecti quidam eòdem conueniunt, probè omnes inſtructi ad iuuenem quatiendum, & omnem religioſæ vitæ opinionem, quantum fieri poſſet, ex animo eruendam. Primus in campum ſe infert Parens; interrogat, quid eum permouerit, vt rediret domum; expectabat videlicet, vt in cœtu illo hominum grauiſſimo reſponderet, vnam ipſius fuiſſe voluntatem, quam in reliqua etiam vita omniq; negotio ducem eſſet habiturus. At ille; *Prouincialis*, inquit, *imperium, alioqui in DEI domo atq; illa ſuauiſſima quæſtione hæſiſſem*. Fractus primùm hac oratione, deinde etiā cōmotior; *Volo*, inquit, *vt his clariſſimis viris audientibus mihi promittas, te nunquam Religioſum futurum*. Tum diſputat de patria poteſtate, de præcepto diuino, & liberorum merita obedientia; de Ieſuitarum, ſi Diuis placet, importuna audacia, ambitione, improbitate. Egregius adole-

Digitized by Google

adolescens ita petitiones has omnes eludit, ita obiecta omnia diluit, vt audirent, quæ nollent; nec, quę ab eo dicerentur, possent refellere. Tum prætor, si ab ea mente dimoueri non potes, si te vita religiosa delectat, at alium certè ordinem arripias, quàm hominum Societatem communi Galliæ conuitio laceratam. *Hoc ipsum*, respõdit iuuenis, *ad eadem me rapit, quòd scilicet eos fore diuinæ mentis charissimos, qui pro eius honore grauia, duraq; patiuntur.* Tenere se ad hæc non potuit Pater, quin iracundia inflammatus, furénsq; irrueret; obuiisq; arreptis telis innocentẽ multásset, ni amici cohibuissent. Atrox sanè & laboriosus hic adolescenti conflictus fuit, in quo tamen B. VIRGINIS præsidio, & B. P. Nostri IGNATII haud dubia beneuolentia se mirificè confirmatum aiebat. Post dies aliquot iterum bellum, iterum machinæ admouentur, sed cùm se in pristino animi proposito exhibuisset, ita odiosus parenti factus est, vt domo eijceretur, & quidquam ampliùs loqui de religione déque similibus rebus prohiberetur. Foris cùm neque apud sororem, neque apud patruum ob paternæ iracundiæ metum locum inueniret vllum, reuocatus, lachrimis compositáque ad animi teneritudinem voce oppugnatur: inde ad Præsides & amplissimos Curię Senatores; ab his ad vicinam vrbem præcipuámque familiæ cognationem transmittitur; quod vnum iam deesse genus pugnæ videbatur, ad deditionem obtinendam. Mensem prope eo in loco fuit. Conuiuia instruuntur, inuitatur à puellis, ab honestis matro-

matronis, à floréte adoleſcentia: ioci, voluptas, & lautitiæ proponũtur; acroamata ſubinde ſalſa & acuta ſtringuntur, quibus Monachi irridebantur, religioſæ vitæ laus & dignitas imminuebatur. Faciunt denique affines omnia, efficiunt nihil: vt tamen afflicti parentis conditionem aliqua ratione lenirent, dant ad ipſum literas, videri quidem pertinacia ſeptum & infatuatum iuuenem, ſpem tamen affulſiſſe meliorem, ſe vel ipſa importunitate perfecturos, vti breui iuuenilem illum ardorem reſtinguat, & propoſitum mutet. Vbi intellexit adoleſcens vana ſpe lactari parentem, ſe prodi, de vinculis matrimonij inijciendis iam agi, redit ad patrem; obteſtatur, ne vnquam ſibi in animum inducat, aut exiſtimet, ſe à Societatis adeundæ propoſito poſſe dimoueri, priùs vitam ſe quàm eam mentẽ perditurum. Cúmque fortè tum eſſet dies magna Chriſtianorum religione celebratus, & ad ſacræ menſæ communionem acceſſiſſent, incredibili quadam modeſtia & demiſſione accidit genitori ad genua, per filij DEI amorem, pérque illum fontem benignitatis & gratiæ, ex quo vterq; illa die bibiſſet, orat, vt tandem redeundi ad Ieſuitas poteſtatem faciat, quandoquidem ſuæ mentis conſtantiam tot iam teſtimonijs cognouiſſet.

Quæ tamen honeſta filij petitio tantum abeſt, vt aliquid impetrárit, vt etiam nouas iracundiæ faces accenderit, minas in Societatem auxerit, ipſum in ſuburbanã villam profugere coëgerit. Quare cùm videret adoleſcens ſpem ſibi omnẽ propè exemptam impetrandæ reuerſionis, ex pru-

Digitized by Google

prudentis viri consilio, insscio rursus patre fugiendum ad nos censuit. Pecuniam igitur à matre, quæ eius vicem iam pridem miserabatur, capit, & viam ingressus longam & difficilem, Nanceium in Tirocinium redit, è quo tribus mensibus abfuerat, vbi otio & quiete sancta perfruens opinion cecinit gestiens in DEO IESV suo.

MISSIO CANADENSIS.

XXIX. EXAGITATI Nostri inclementer superioribus annis in Gallia complurium maleuolentiâ, vocari iam videntur aliò, ad labores suos fructuosè collocandos. Et quidem messis plurima, vt ferunt in Noua Francia, vbi incolæ agrestium pœnè belluarũ more viuunt sine vllo sensu humanitatis, aut Numinis cognitione: hoc autem anno missi primùm sunt duo è Sacerdotibus; à quibus quid vel præstitum sit modò, vel sperari possit in futurum ex ijs literis, quas ad R. P. Generalem dedêre, licebit colligere: quas quidem integras hîc ponemus, quòd expungere aliquid aut commutare in illis religio sit. Ita igitur illi scribunt.

ADMODVM REVERENDE IN CHRISTO PATER,

PAX CHRISTI.

XXX. VOCAT Nos huius anni CIↃ. IↃC. XL. instans iam atq; vrgens exitus ad recognoscendum

dum coram Paternitate vestra principium, quo primùm Societas in has nouæ Franciæ regiones delata est: multorum quoque beneficiorum cumulus, quo nos diuina largitas in his & auspicādis, & sospitādis initijs prosecuta est, hoc exigit, vt in hoc tanquam temporum anníque portu actionum nostrarū, & tanquam velificationis seriem relegētes, Charis: Patres Fratrésq; nostros inuitemus, & ad gaudium pro ijs, quę feliciter in nobis diuina manus operata est, & scilicet ad gemitum pariter & orationem pro ijs, quæ in animorum salute procuranda, segniter ipsi nequitérque multa deliquimus. Quod enim diutius antè Societas multísq; conatibus intenderat, vt aliquam suis laboribus posset huic quoq; siluaticæ genti opem & lucem Euangelio inferendo afferre, id hoc ipsa demum anno videtur, vt in tenui exiguóque principio satis feliciter, próque desiderio esse assecuta.

Atque hoc scilicet mihi iam narrandum est, exponendúmq; vestræ Paternitati, quæ & quanta sit hæc messis animorum, quidvé à magno Patrefamilias datum nobis hactenus, quid etiam porrò dandum speretur. Sed vt commodissimè tota mihi narratio decurrat, neq; decurrentem, vt fit, multa effugiant, in quatuor videtur velut capita rei totius expositio esse diuidenda. Exponā ergo primùm, quæ sit hęc noua Francia, quæ regio, qui populi moréque: tum deinde quomodo, quibusvé tandē auxilijs, aut successu Societas missionem in has regiones obtinuerit.

Tertiò

Tertiò quonam in ſtatu rem Chriſtianam in his terris offenderimus. Poſtremò quid à nobis effectum hactenus, ſeu potiùs quid attentatum ſit ad diuinam gloriam. Hæc mihi videtur eſſe poſſe commodiſſima & ſufficiens narrandorum omnium expoſitio.

Atque vt à capite ordiar explicémque primùm, quænam ſit hæc Noua Francia, quod ſolum, quiué ritus gentis, credo non ſolùm Paternitati veſtræ iucundum, ſed nobis quoq; neceſſarium, regionem vniuerſam accuratiùs deſcribere. Nam cùm hic nobis ad laborandum campus aſſignatus, certum eſt, non poſſe nos à veſtra paternitate dirigi pro occurſuum varietate, niſi ea fines, anfractus viarum, viciniorum locorum diſtantiam, ſtatum gentis & rerum, nouerit.

Præterea tot video à Geographis antiquis errores tenebráſque in hanc cognitionem induci, vt niſi à nobis ſuccurratur rerum non auditoribus ſed ſpectatoribus, non poſſit non in noſtris itineribus & veſtigijs perſequendis haud minùs à veritate, quàm à corpore cogitatio peregrinari. Norumbegam illi nobis neſcio quam, vrbéſque & caſtella nominant, quorum hodie ne vmbra quidem aut ipſa vox extant.

Verùm quod polliciti ſumus exequamur. Noua Francia, vti nunc Galli vſurpant, regio illa eſt trans Oceanum Gallicum, quæ à quadrageſimo primo gradu vſque ad quinquageſimum ſecundum latitudinis, aut etiam quinquageſimum tertium procurrit.

Scio

Digitized by Google

Scio ab alijs multò latiùs fines regionis porrigi, ab alijs coarctari angustiùs, sed ego hîc non disputo: id solùm expono, quod nunc vti dixi communiùs vsurpatur, vel quod hoc terrarum Gallorum nauigationibus ab aliquot iam annis maximè frequentatum & vindicatum est, vel quod illud idem ferè antiquæ Franciæ parallelũ æqualiter eam ab occidente respicit.

Hæc igitur Noua Francia oram habet sanè multifariam, sinubus marinis fluminibúsque, exesam, an fractuosam & recurrentem. Sinus duo sunt maiores, vastique; alter is, qui S. Laurentij gurges; alter, qui Francius appellatur.

Námque à quadragesimo septimo gradu, vsque ad quinquagesimum primum, tellus velut gremium aperit; siue ad accipiendum introrsus Oceanum, siue ad exonerandum magnum flumen Canadan. Atque hic gurges S. Laurentij dicitur, cuius in introitu ingens illa adiacet insula, quam terras nouas Galli, Barbari Praesentis appellant moluarum piscatu celeberrima; oram sinûs fluminísque tenent Aquilonem versùs Excomminqui, siue, vt vulgus indigetat, Excõmunicati. Fera gens est, & vt dicitur Anthropophaga, quanquam & hi olim satis diu pacificè cum Gallis agitârunt, nunc irreconciliabiles cum his inimicitias exercent. Sequuntur interiùs, Occidentem versùs Algonquini, pòst Montagnesij, intimi sunt ad capita ipsius magni fluminis Canadæ, Irocosij, qui etiam latè Austrum versus protenduntur.

Atque hi ferè Irocosij noti sunt Gallis dunta-

xat ob

Digitized by Google

rat ob perpetua bella, quæ cum Montagnesijs, & Algonquinis fœderatis & amicis populis geruntur. Iam verò Austrum versùs terra ab hoc S. Laurentij sinu paulatim vsque ad quadragesimum tertium gradum excurrit, vbi rursus altero sinu maximo inciditur, quem Francicum appellant. Hic gurges terras vastè exedens, seséque Aquilonem versùs & S. Laurentij sinum incuruans, velut Isthmum efficit; Isthmúmque adiuuat S. Ioannis longissimum flumẽ, quod orsum ab ipsa propemodum ora magni Canadæ in hũc sese Francicum gurgitem exonerat. Continet hic Isthmus leucas admodũ quingentas circuitu suo, eúmque occupant Soriqui populi. In hoc Isthmo portus regalis est, vbi nunc degimus, ad gradum latitudinis quadragesimum quartum cum besse. Sed habet portus ostium suum (ne quis fallatur) non in Oceanum ad orientem obuersum, sed in sinum eum, quem dixi Francicum ad Occidentem & septentrionem à fluuio Sancti Ioannis vsque ad fluuium Potugoët, atque adeò vsque ad flumen Rimbegui habitant Etheminquenses. Habet Rimbegui ostia sua sub gradu quadragesimo tertio cum besse. Nec procul est Chouacoët, quod alterum est latus siue brachium terræ, quod sinum Frãcicum excipit. Námque ad orientem est illud, quod promontorium fabulosum nominamus: ad Occidentem Chouacoët; vtrumque ad quadragesimum tertium eleuationis gradum, cùm tamen inter hoc atque illud centum leucarum intercapedo sit à fluuio Rimbegui vsque ad quadragesimum gra-

Digitized by Google

dum latè possident, qui Armonchiqui appellantur. Atque hæc ferè partitio est regionis: itáque si numeres, populi erunt septem, linguâ inter se ac studijs discrepantes; Excommunicati, Algonquini, Montagnesij, Irocosij, Soriqui, Etheminquenses, & Armonchiqui. Sed ex ijs nec Excommunicati, nec Irocosij, nec Armonchiqui multum Gallis noti sunt. Reliqui quatuor in firmam iam videntur cum ijs amicitiam, & cõsuetudinem coaluisse. Pernoctant ipsi nobiscum, nos cum ipsis vagamur, venamur, viuimus sine armis, sine metu; & quod adhuc apparuerit, sine periculo. Caussa frequentandi piscatio fuit Moluarum, quibus hoc mare abundat, & pellium permutatio. Nam cùm ære, ferro, cãnabe, lanâ, frugibus, atq; omni ferè artificio Barbari careant, hæc à Gallis accipiunt. Ipsi contrà, qui vnicus thesaurus est, pelles retribuunt. Est autem regio tota magnam partem perfrigida. Caussæ sunt plures; vna quòd valde aquosa est; nam præterquam quòd vndique ferè mari alluitur, fluminibus præterea & stagnis lacubúsque maximis abundat. Insulæ ita frequentes sunt, vt ora tota ijs interciſa, & tanquam baccata sit. Hinc sequitur nimirum, vt pruinosa sit, & tamẽ ventosa, sed flatu non nisi ferè algido. Altera est caussa frigoris, quòd inculta sit; nam cùm latè omnia silua vna contineat, nihil mirum est, si vix vnquam possit humus calefieri. Adde his, si placet, caussam tertiam, montes videlicet niuosos ac perpetuò rigentes, quibus dicimur ab Occidente ac Septentrione procul obuallari.

Certè

Digitized by Google

Certè quidem ab ea parte non nisi gelu perflamur & niuibus. Alioqui sanè facies regionis est peramœna, pluribus locis hospitem inuitans ac bene pollicens; & quod apparuit, si colatur, non infœcunda. Indigenæ rari sunt. Etheminquenses mille capita numerare non possent, nec multò plus Algonquini simul & Montanenses iuncti: Soriqui duo millia non conficerent: Itaque summùm quatuor capitum millibus tam vasti terrarum & littorum tractus non tenentur, sed percurruntur. Gens enim est vaga, silueſtris, & sparsa, vt quæ venatu solo & piscatu viuat. Imberbes ferè, & quidem statura cõmuni, vel paulò breuiore ac graciliore quàm nostri, at non degener tamen aut indecora; colore non multùm fuscus, faciem vulgò pingunt, & in luctu atrant. Iuris amantes, ac vim latrocinium̃que perosi. Quod sanè mirum est in hominibus, qui lege ac magistratu carent. Sui enim quisque dominus est ac vindex. Sagamos quidem habẽt, hoc est bellorum ductores, sed quorum omnino precarium sit imperium, si tamen imperium appellandum est, vbi nulla est necessitas parendi. Sequuntur vel exemplo, vel vsu, vel affinitatis aut generis conciliatione inducti, nonnunquam etiam certè cuiusdam potentiæ auctoritate: bella populatim gerunt, ob illatas priuatis iniurias. Genus totum vindictæ auidum; & vt barbarum, in victoriâ insolens, captiuorum capita tanquam opima spolia & torques magno gaudio circumferunt.

Digitized by Google

Et quidem dicuntur humanis carnibus non abstinuisse, idque etiamnum perhibentur & Excommunicati & Armonchiqui facere: verum ab ijs, quorum est cum Gallis consuetudo, tantum scelus procul abest.

Religio tota certis incantationibus, choreis, & veneficijs constat; nimirum vt aut necessaria vitæ conquirant, aut inimicos amoliantur; suos habent Autmoinos, hoc est veneficos, qui malũ Dæmonem consulant de vita & morte, futurorúmque euentis; & quidem sese illis mala bellua præsentem sæpe sistit, vt ipsi asserunt, vindictam annuit, renuitque, mortem inimicorum suorumvé, venationem prosperam, & cetera eiusmodi ludibria, quorum vt ne quid desit, etiam somnijs fidem habent: si fortè super placito & bene auspicante somnio euigilauerint, consurgunt, vel de nocte concubia, & omen cantu ac choreis sequuntur. Templa, ædesvé sacras, ritus, cærémonias, disciplinam nullam habent, vti nec leges aut artificia politiamvé vllam, præter certos mores & consuetudinem, quorũ sunt retinentissimi. Si quem Veneficus respondit ad certã diem moriturum, is deseritur ab omnibus; quin ipse adeò miser, vtpote iam mortis certus, vltro sibi inediam atque omnium incuriam indicit, credo ne videatur contra fatum pugnare.

Quin etiam si fortè ad præstitutam diem, vt sæpe fit, moribundus non videatur, pro se quisq; proximi vrceis frigidæ inventrem miseri inuergendis celerant mortem. Hæc pietas est Sathanæ mancipijs: ita quoque nimirùm, quia semper

Digitized by Google

per fallax est, diuinus nunquam fallit; quãquam natio ista deceptrix aruspicum multum iam de auctoritate suâ ab aduêtu Gallorum amisit; passimque nunc quiritantur, suos iam Diabolos viribus excidisse, præut quidam ferũt Patrum suorum fuisse temporibus. Mortuorum ita cum corpore sepeliunt memoriam, vt ne nomen quidem deinceps audire sustineant. DEI quidem vnius supremi tenuem quandam habent cognitionem, verumtamen affectibus & vsu deprauati nihilo seciùs, vt dixi, Cacodæmonem etiam colunt; ob vitæ commoda, algoris & inediæ patientes sunt supra modum. Octo, decem dies, si fors ita exigat, feram ieiuni persequũtur, summis niuibus frigoribúsq; tum maximè ardet venatio. Et tamen hi ipsi Boreâ, vt sic dicam, & crystallo nati, vbi semel sub suis tugurijs cum præda consederunt, inertes illico, & cuiusuis laboris impatientes fiunt: feminis mandant omnia: hæ præter onerosam liberorum educationẽ, gestationémque, insuper feram ex eo loco vbi ceciderit, aduehunt: hæ lignatum & aquatum eunt: hæ supellectilem conficiunt, curántque: cibos apparant, feras excoriant, pelles fullonis arte conficiunt, vestimenta consuunt, piscantur & conchas maximè ad cibum legunt, sæpe etiam venantur: hæ canoas, hoc est cymbulas miræ celeritatis è cortice compingunt, tuguriola, vbi & quando pernoctandum est, ædificant: denique, præter laboriosiorem venationem & bella nihil aliud quidquam viris est pensi. Hac de causa plures ferè vxores quisque habet, Sagami maximè, vt

mè, vt qui potentiam ſuam & concurſum pluriũ tanquam clientium tueri nequeant, non ſolùm ſine pluribus liberis, qui valeant ad terrorem & gratiam, ſed etiam ſine pluribus mancipijs, quæ neceſſaria vitæ officia & exequantur & tolerent. Nam feminas mancipiorum loco habent, tractántq;. Inter ſe mirificè liberales sũt, nihil quiſquam aut fortunarum, aut ſibi habere ſuſtineat, quin partem maximã aſtantibus eroget, quin etiam qui Tabagiam agit, vt loquũtur, hoc èſt qui conuiuio alios excipit, non accumbit ipſe cum reliquis, ſed miniſtrat, neq; partem aliquam dapis reſiduam ſibi facit, ſed diſtribuit omnia, ita vt fame cogatur eo die conuiuator pati, niſi quis inuitatorũ, ex eo quod ſibi ſuperfuerit, miſeratus ei retribuat. Et ſimilis apparuit ſæpe liberalitas in Gallos aliquo caſu oppreſſos. Nam erga reliquos, aut hîc aut in nauibus agentes didicerunt à nobis non facilè quicquã gratis dare. Pęduculos capitis quæſitant, & in delicijs habent. In mendicando & poſtulando importuniſſimi ſunt, & qui eſſe ſolent mendicorũ & inopũ mores, falſi, obloquutores, aſsẽtatores, vani. Gallos quidẽ atq; omnes gentes cùm ſemel ſaturi ſunt, longè deſpiciunt, irridéntq; clanculum omnia; etiam religionẽ, quam ſuſceperint. Tuguriola ſua vbiuis facilè ac raptim ſudibus ramificè ędificant, & aut cortice aut pellibus aut etiã tegete cõtegunt. Ignis in medio extruitur. Sed hęc iam ſatis ſupérque de regione & hominibus, maximè cùm accuratam regionis Chorographiam mittam;

Digitized by Google

tam; ex quo vno intuitu, quidquid de terrarum & maris situ dixi, liquidò apparebit.

XXXI. NVNC ad id venio, quod secundo loco proposui, vt scilicet explicem, quanam tandem via Societas missionem in hanc prouinciam obtinuerit. Et quidem nostri Burdigalenses pro suo animarum zelo à multis retro annis huc respectârant, huc intenderant, vt miseræ nationi opem ferrent: sed pios eorum & ardentes conatus, quos periculi facies non terreret, diu subsidiorum ad agendum inopia frustrata est. Restituta demum in Galliam Societate, agere seriò per P. Cotonum cum Magno Henrico cœperunt, sibi vt liceret in his quoque regionibus laborare, & amplexus est Rex Societatis amans tam piam & propensam voluntatem, sed nihilominus tamen vtilibus consilijs longa adhuc & odiosa mora interuenit. Nulli adhuc Galli regionem incolebant, commorandi animo, & qui antè à Rege missus fuerat, explorandi tentandique caussâ, alienus à sacris nostris erat, & ijs postmodum rebus, non solùm infectis, sed etiam prope desperatis domum in Galliam redijt: iussit tamen Princeps inuictus ne desponderemus animum, mittendi solùm destinarentur, moniturum se cùm maturum foret; atque adeò vt arrha quædam esset sponsionis, pecuniam ex eo tẽpore in viaticum assignauit. Sed hæc agentibus, ecce pij Regis funesta mors intercedit. Nõ defuit DEVS sub idem anni tempus: ad nouum regem nuntij rediêrunt ab eo, qui anno superiore in has sibi terras coloniâ depoposcerat.

Digitized by Google

Is est Ioannes Biencurtius, vulgò Potrincurtius, nobilis & magni animi vir. Ergo accepta occasione agitur cum Regina Regente Maria Medicæa, maximæ pietatis heroina, vt quæ maritus tanta virtute destinâsset, per eam efficerentur, daretur locus duobus è Nostris in eâ naui, quæ proximè huc esset ventura. Annuit Regina, munificéque respondit desiderio. Ergo statim ex Aquitania euocatus Sacerdos vnus, alter ex ipsa Francia desumptus. Sed ecce rursum moras, rursum sese Sathanas excitat. Dieppâ erat soluendum, & ea nauis, quæ huc vela faciebat ita erat mercatoribus Hæreticis obnoxia, vt sine ipsis commouere se non posset. Ergo ij simul ac Nostros vident, negant enimuerò præcisè sese passuros, vt rudens expediatur, si Iesuitæ nauigaturi sint. Obtenditur Reginæ imperium, interponitur etiam Gubernatoris auctoritas. Itur, reditúrque ad Reginam, & ab ea literæ, mandatáque afferuntur, sed obstinationem hæreticam, vt Ecclesiæ, ita nec Regum frangit aut permouet auctoritas. Hæc peruicacia benignissimorum Principum illustriorē pietatem fecit. Namque Antonia Pontia Marchionissa Guercheuilia matrona clarissima, & vt appellant, filiarum Reginæ gubernatrix, vbi has tricas audijt, pro suo in DEVM & Societatem amore, non dubitauit à maximis quibusq; totius curiæ eleemosynam petere eo nomine, vt victâ hæreticorum contumaciâ Iesuitis liceret in has terras proficiscì. Nec difficile ei fuit, in pia causa suapte sponte propensam Catholicorum Prin-

Digitized by Google

Principum benignitatem allicere: breui ſumma confecta eſt librarum quatuor millium. Ea & hæreticorum repulit iniquitatem, & Noſtros in nauim non iam vt hoſpites, ſed vt magna ex parte Dominos, potentéſq; impoſuit. Ita nimirum Chriſtus, vt ſolet, per hoſtium impugnationem cõfirmauit ſuos, per iniquitatem auxilijs neceſſarijs inſtruxit, & per machinationes, atque opprobria è tenebris atque ignobilitate vindicauit: ipſi gloria in ſæcula. Amen.

Dieppà ſoluimus incommodiſſimo tempore, vigeſimo ſexto Ianuarij Anni huius CIↃ. IↃC. XI. Nauis erat non magna, & haud ſatis inſtructa, nautæ ex magna parte hæretici; & vt hyeme in procelloſo mari, multis grauiſſimiſq; tempeſtatibus perfuncti ſumus, tenuitéq; nauigatio menſes ipſos quatuor. Ex quibus apparet, quàm multa omnis generis perferenda fuerint. Certè alter noſtrûm magnam itineris partem æger, debilitatúſque iacuit. Conati tamen ſumus conſueta Societatis munia exhibere. Manè ac veſpere ad orationem vectores conuocabantur, quotidie: feſtis etiam officia quædam Eccleſiaſtica decantabantur: ſæpe habebantur cohortationes piæ, interdum nonnullæ cum hæreticis diſputationes: iurandi cõſuetudo & verborũ laſciuia reprimebatur. Non omittebantur multa ſimul humilitatis, ſimul charitatis exempla.

Denique illud DEI beneficio obtentum eſt, vt Hæretici, qui nos antè velut monſtra è ſuorũ videlicet ore Miniſtrorum reputabant, non ſolùm agnouerint ſuorum in hac re impoſturam

Digitized by Google

malitiam, sed etiam multis postea locis laudum nostrarum prædicatores extiterint; hic ergo summatim fuit noster in has terras ingressus.

XXXII. SEQVITVR iam ex initio propositis tertium, nimirum vt exponatur, quonam tandē loco rem Christianam his in locis offenderimus. Certè ante hoc tempus vix vnquam à Gallis vacatum fuit conuertēdis incolarum ad Christum animis. Obstabant multa. Nam & peregrinabantur huc tantùm, non cōmorabantur: & qui commorari voluerunt, tam aduersis conflictati sunt casibus, vt ei rei dare operam sanè multam non potuerint. Deuehebantur duntaxat interdum nonnulli in Galliam, ibiq; baptizabantur, sed ijdem vt nec satis instituti, & à pastoribus destituti, simul ac in has oras remigrauerant, ad solita prorsus & vsitata reuoluebantur. Appulimus huc nos vigesimâ secundâ Maij, ipso sacro Pentecostes die, anni huius CIↃ. IↃC. XI. Quo duntaxat anno is, quem sæpius appellare necesse est, D. Potrincurtius ad sedes hîc domiciliúmq; figendum peruenerat, secúmq; Sacerdotem sæcularem aduexerat. Is Sacerdos per eum annum dicitur capita ferè cētum baptimo initiauisse; in his celebrem inter Sagamos, & de quo nos infra plura dicemus, Henricum Membertou cum familia vniuersa, hoc est cum tribus liberis iam cōiugibus. Sed, vt fit, cùm nec Sacerdos ipse, nec alius quisquam linguam nôsset, nisi quātum attinet ad vitæ & mercimoniorum necessitatem, erudiri videlicet neophyti non potuerunt.

Bapti-

Digitized by Google

Baptismum accipiebant velut sacrum aliquod signum similitudinis & confœderationis cum Gallis. De Christo, de Ecclesia, de Fide ac Symbolo, mandatis DEI, oratione ac Sacramentis vix quidquam nouerant, ignari & crucis efformandæ, & ipsius nominis Christiani. Itaque nunc vulgò sciscitantibus nobis, Christianus es? negat optimus quisque, scire se quid rogetur. Mutata interrogatione quærentibus, baptizatus es? Annuit vero ac propemodum sese iam Nortmannum pronuntiat; nam Gallos ferè omnes Nortmannos appellitant. De cætero nulla omnino in Christianis à Gentilium ritu mutatio. Iidem mores, consuetudo & vita, idem chorearum, rituum, cantuum, atque adeò veneficiorum vsus, prorsus antiqua omnia. De vno DEO & bonorum retributione docti sunt aliqua, sed quæ se ipsi semper ita audiuisse & credidisse profiteantur. Sacellum reperimus vnum valde angustum & miserum, sed nec profectò reliqua habitatio, vt in principijs, aut valde laxa aut commoda est.

Vnica hîc adest D. Pontricurtij familia, sine feminis capita sumus viginti. Nos duo è Societate tuguriolum habemus ligneum, in quo vix posità mensâ commouere nos possumus. Et reliqua sunt huic certè habitationi ac nostræ professioni, hoc est, paupertati cõsentanea. Vtinam ab humilibus principijs exurgat aliquãdo, & efflorescat salus animorum; huc incumbimus, sed vt languidi cultores non magno successu, qualis

Digitized by Google

qualis tamen, quantúsque is fuerit, hoc mihi iam narrandum est, quoniam id iam explicui, quod tertium erat ex propositis, videlicet quonam in statu vineam hanc seu potiùs virgultum offenderimus.

XXXIII. PERVENIMVS huc (sicut antè numeratum est) vigesimâ secundâ Maij. Itaque non multo plus hodie, quàm septem menses hîc commorati sumus. Per hoc igitur tempus, & domi aliqua gesta sunt, & foris. Domi primùm dedimus operam, vt pro nostris viribus officium Ecclesiasticum ne deesset. Nam Sacerdos ille, qui huc ante nos aduenerat, à nostro statim aduentu in Galliam sua ipse sponte & pro veteri desiderio remigrauit. Dominicis festisque diebus solemnem missam & vesperas decantamus, cohortamur, & nonnunquam procedimus, ipsis etiam nostrorum siluicolarum pueris cereos, vrceos, aut aliud quid pium, quando hîc adsunt, præferentibus. Ita enim paulatim nostris cęremonijs assuescunt. Solemnior ea processio fuit, qua sanctissimum Sacramentum festo ipsi die cumtulimus. Ipse enim D. Petrincurtius sedulitatem in eo nostram collaudauit, sicut & in sacello, quantum potest, in tanta paupertate coornando. Et quoniam animaduertimus eos, qui antè baptizati essent, vix aliud quidquam cum baptismate, nisi periculum maius suscepisse, prolectationem illam proiectionémq; ad baptisma quomodocumq; offerendum reiecimus, in eóque perstamus, ne quis adultus ante necessariam suæ fidei professionisque cognitionem initie-

Digitized by Google

initietur. Ita cùm adhuc ignari linguæ simus, neque per vllum interpretem enuntiare sacra nostra, aut scriptis mandare potuerimus, quantacumque in eo sit opera, vti sanè posita est plurima, cursus nimirum Euangelij in his hactenus hæret vadis ac syrtibus. Id suademus, vt infantes ad nos lustrandi afferantur, quod etiam DEI beneficio iam cœpit fieri. Duos baptizauimus, & tertiam puellam circiter nouennem. Hæc puella non magis morbo, quàm esurie neglectúque contabescebat; solet enim hæc natio facilè desperare medicinam, & desperatos prorsùm abijcere, vt antè dictum est. Ergo hanc ita depositam à cognatis deposcimus ad baptismum, illi verò perlibenter eam nobis concedere, non ad baptismum solùm, sed etiam ad voluntatem, vt quæ, inquiebant, instar iam esset canis mortui. At nos, vt specimen daremus Christianæ pietatis, in separatum eam transtulimus tuguriolum, ibíq; eám aluimus & curauimus ipsi sedulò, institutámque quantum extremo periculo conflictanti necesse esset, abluimus aquâ salutari. Nono demum pòst die abeuntem ad superos lætaspe sumus prosecuti, cùm gauderemus cœlo iam nonnihil nostri laboris placere. Lætior exitus in alio fuit, sed exemplum non dissimile charitatis: hic est, secundò genitus celebris illius Sagami Membertou, quem antè diximus primũ omnium Soricorum nostra sacra suscepisse.

Huius ego filium extremo iam discrimine periclitantem inuisi: reperio pro more veteri deipsius bonis tabagiam, hoc est epulum solemne, vt sci-

Digitized by Google

vt scilicet post epulas non sicut Iacob benedice-
ret suis, sed valediceret, ac deinde cõclamaretur,
& cõclamato canes præmitterentur ad interitũ.
Increpaui ego, vt potui, per interpretẽ paganicos hos mores in iam Christianis. Benignè respõdit pater ipse Membertou neophytos se esse, verùm imperarem; in mea potestate esse omnia.
Negaui ego licitam esse illam occisionẽ canum,
aut deplorati derelictionem; choreas, cantusvé
funestos ægroto ipso inspectãte mihi non placere; ipsam alioqui tabagiam, & piam in extremis agẽtis consalutationem ac mandata permisi. Responderunt omnes sibi hoc satis esse, reliqua sese reiecturos. Cæterum D. Potrincurtij nomine
ipsos inuitaui, vt ægrũ in ipsius ædes deportarẽt (aberat enim valde procul) sperare nos de misericordia DEI fore, vt conualescat, quò tandẽ intelligant falsas atq; impias esse, aut momorũ suorũ, hoc est fatidicorũ denunciationes. Paruerunt illi, atq; ad nos depositum triduo pòst, hoc est semianimẽ detulerunt. Quid multa? Fecit dextera Dñi virtutem: non est mortuus, sed vixit; & nunc incolumis narrat opera Dñi. Hoc exemplo commotus senior ipse Membertou cùm eam invaletudinem sensisset, quæ postrema illi fuit, deportari ipse vltro ad nos voluit, atq; adeò in nostrum ipsorum tuguriolũ, & si placet, in lectum ipsum alterius nostrũ. Ibi decumbentem quinq; dies prosecuti sumus omni nõ solùm officio, sed etiam famulatu. At sexto die cùm iam vxor eius adueniisset, & cerneret ipsa vix alteri nostrũ, quo miserè humi decubaret, locum esse in tuguriolo

dereli-

Digitized by Google

derelictũ, aliò ſuapte ſponte demigrauit, vbi & piam mortẽ obijt. Certè hunc reperimus (quippe Domini primitias ab hac gẽte) præter cæteros mirabiliter ſolitũ intrinſecus adeò moueri, multò vt ipſe plus de noſtra fide conciperet, quàm quantũ potuiſſet auditione accipere. Itaq; ſolebat ipſe crebrò dictitare, valde optare ſe, vt citò linguã noſſemus. Continuò.n. poſtquam id perdidiciſſet, ſe futurũ apud gentem ſuam cœleſtis verbi ac doctrinæ prædicatorem. Dederat ipſe in mãdatis, vt antiquo in monumẽto cũ demortua priùs familia (quã ſciebã paganicè obijſſe) ſepeliretur. Ego rẽ improbaui, veritus ſcilicet, ne vel Galli, vel etiã Gẽtiles hoc interpretarẽtur in fidei noſtrę iniuriã. Sed ille hoc reſpõdebat: ita ſibi ꝓmiſsũ fuiſſe, antequã Chriſto nomen daret, fore, vt locus cõſecraretur, & exemplũ proferebat ex anteactis non diſſimile; alioqui.n. cõtrà ſe vereri, ſi noſtro in cœmeterio humaretur, ne ſui deinceps locũ refugerent, atq; ita nunquã ad nos redirent. Oppoſui ego contrà, q̃ potui, & mecũ is, quo ferè ſolo vtor interprete, D. Biencurtius, filiꝰ D. Potrincurtij. Diſceſſi mœſtus: nihil .n. diſputando profecerã. Extremã nihilominus vnctionem, ad quã paratus erat, non denegaui. Valuit vis Sacramẽti: poſtridie D. Biencurtiũ, mêq; magnopere aduocat, docet audiẽtibus omnibꝰ mutatã ſibi ſententiã, velle ſe nobiſcũ humari, ſuiſq; ꝓcipere, ne ideo locũ refugiant ex veteri errore, quin potiꝰ, è Chriſtiani populi ſapiẽtia magis ob eam ipſam cauſſam locũ adament, frequenténtque; ad pias videlicet pro ipſo preces effundẽdas.

Paccan

Pacem deinde cum Noſtris iterum, iterúmque commendauit, méq; adeò præeunte ac manum regente, ſingulis ſuorum pio more benedixit: nec lõgè pòſt extinctus eſt. Funus curatum magna ad exemplum pompæ. Et certè diu inter hos populos tantæ auctoritatis Sagamus nõ fuit. Quo magis eſt mirum, quomodo in eo ſemper inuictus conſilio perſtiterit, etiam ante conuerſionem, ne plures vnquam ſimul vxores habere vellet.

Atque hæc domi geſta, nunc exeamus foras. Luſtraui ego cum Domino Biencurtio magnam totius regionis partem, hoc eſt totum id, quod antiqui Norumbedam appellabant, flumina etiam ingreſſus ſum præcipua. Fructus is extitit, vt & cognoſceremus, & cognoſceremur; ipſíque ſiluatici, qui nunquam antea Sacerdotẽ, aut ſacra noſtra viderant, inceperint aliquid noſtra de Religione apprehendere. Vbicumque ac quoties potuimus, infiniti pretij hoſtiam obtulimus Omnipotenti DEO, vt ſcilicet altari, tanquam ſede ſua poſita, inciperet hoc ſibi dominium ſeruator hominum vendicare; terrerẽtúrque ac fugarentur vſurpatione ſua laruales tyranni. Et aſtiterunt frequenter Barbari magno ſemper ſilentio ac reuerentiâ. Inuiſebam poſtea ipſorum caſulas, orabam, ægris manus imponebam; cruciculas æneas aut imagunculas donabam, ipſíſq; de collo ſuſpendebam, & quæ poteram diuina inſinuabam. Excipiebant illi omnia perlibenter, ſignúmque Crucis me ducente conformabant, feréq; omnes pueri etiam me

Digitized by Google

me longè prosequebantur, vt ipsum sæpius iterarent. Semel contigit, vt quem ægrotum altero antè die inuiseram, propemodúmque depositum audieram, pòst cernerē vegetum, hilarémque, cruce sua gloriantem, & mihi vultu manúque gratulantem, vt suspicio magna sit, non solùm opem crucis sensisse, verum etiam agnouisse. Si quando in Gallicas naues incidebamus, vt sæpe incidimus, monita salutaria dabantur pro loci & temporis opportunitate: interdum etiam vectores expiabantur. Semel maxima quædam complurium mala, & animorum fortunarúmque labes auersa est per DEI gratiam: semel item exitium certissimum, cædésque non paucorum. Reconciliatus quoque magni quidam Iuuenis & animi & spei. Is quòd sibi à D. Potrincurtio timeret, annum iam vnum cum Siluicolis eorum more atque vestitu pererrabat: & suspicio erat peioris quoque rei. Obtulit eum mihi DEVS, colloquor, denique post multa Iuuenis sese mihi credit, deduco eum ad D. Potrincurtium, non pœnituit fidei datæ, pax facta est maximo omnium gaudio, & Iuuenis postridie, antequam ad sacram Eucharistiam accederet, suapte ipse sponte à circumstātibus mali exempli veniam petijt. Iam verò vti superuacaneum est de nauigantibus dicere, quòd multa pericula mirabiliter euaserint; ita & de hîc commorantibus, quòd multa sustineant. Quod aqua bibatur, nulla querela est: siquidem cœpit iam nobis ante sex hebdomadas ita panis deficere, vt nunc detur in hebdomadam, quod antè

Digitized by Google

dabatur in vnum diem. Nauim expectamus subsidio venturam. Interim Pistores ac Fabri magno scilicet nomine atque antiquo viuimus, & incidimus quibus vterque in grauem ægritudinem, sed Dominus suppositit manū suam. Nam neque id diu fuit, & semper altero decumbente, alter stetit. Experimur sanè, quantum sit onus vitæ necessitas, dum lignatum, dum aquatum imus, dum coquimus ipsi nobis, dum indumenta aut lauamus, aut reficimus, dum sarcimus tugurioli labes, dum in reliqua corporis cura necessariò detinemur. Inter hæc dies nobis, miserè, noctésque depereunt; illa nos spes consolatur ac sustentat, fore, vt qui subleuat abiectos DEVS, vilitatem ipse nostram pro sua quandoque misericodia non despiciat. Quam quā certè dum in subsidiorum inopiam, dum in asperitatem regionis & gentis mores, dum in difficultates rerum, & coloniæ constituendæ, dum in mille pericula obicésq; vel maris vel hominum intendimus, somnium & idea Platonica videtur, quod conamur. Demonstrarem hoc sigillatim, nisi hoc esset eum Hebræis exploratoribus magis pro humanis viribus, quàm pro diuino auxilio, nec minus ex animi languore, quàm ex rei veritate dicere: Terra hæc deuorat habitatores suos; nos locustæ sumus, cùm hic monstra sint de genere Giganteo. Sed enim tamen, quanticunque sint hi Gigantes, prævalebit ille Dauid in funda & lapide, qui conculcat terram in fremitu suo, & in furore obstupefacit gentes; ille IESVS hominum Seruator, qui benfacit terram & per-

Digitized by Google

& perficit eam, quantumcunque infirmata sit; ille verò, ille, vti speramus, benignitatis ac potentiæ suæ ducet esse, vt quod vaticinatus est Isaias; *Exultet solitudo & floreat sicut lilium*: quemadmodum sapientiæ paritérq; potentiæ suæ reputauit id, quod cernimus, vt cultissima imperia, atque omnibus elata viribus, & gloriâ, suæ cruci atque humilitati subiugarentur. Amen ita sit. Atque hoc nostrum votum adiuuent comprecatione sua cœlites omnes, atque in primis cœlitum Regina & præses; aduuet Ecclesia vniuersa, speciatimque Ecclesiæ pars illa, cui Paternitas vestra nutu diuino iam diu præest, Societas, votum meum; adiuuet oro atque obsecro Paternitas vestra omni ope, suámque nobis ad id benedictionem pijssimam, si placet, largiatur. E portu Regali in noua Francia vltimo die Ianuarij Anni CIↃ. IↃC. XI.

Vestræ Paternitatis filius ac seruus indignus

PETRVS BIARDVS.

Digitized by Google

Cenſuit hæc Prouincia Socios ducentos viginti ſeptem. Morte ſubtractus vnus. Adſcripti in Societatem ſeptendecim.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Burdigalæ Collegium	LXXXIX.	XXIX.	VI.	XXXIIX	XVI.
Burdigal. Dom. Probat.	XXXI.	III.		XXIV.	IV.
Collegium Aginnenſe	XXVI.	IX.	VI.	V.	VI.
Colleg. Petrochorienſe	XXII.	IX.	V.	II.	VI.
Colleg. Lemouicenſe	XXIIX.	IX.	V.	VII.	VII.

Digitized by Google

	Vniuersim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholast.	Adiutores
Pictauense	XXIII.	IX.	V.	II.	VII.
Xantonense	VII.	III.	II.		II.

Ad veram fidem à falsâ reducti ſexaginta quatuor.
Totius vitæ noxæ exceptæ centies quinquagies.
Ritu Societatis commentationibus inſtituti viginti nouem.
Inueteratæ inimicitiæ extinctæ viginti ſex.
Ad B. Ignatij ſyngraphæ contactum ſanati ſeptem.

Digitized by Google

COLLEGIVM BVRDIGALENSE, cum suis Missionibus.

I.

DISCIPVLIS nostris, qui Gymnasium frequentant, ne otio desidiavé marcerent, multam occasionem ingeniũ egregiè exercendi dederunt duo magni viri, maximi Societatis amici; Illustriss. Andreas Nesmondus, & Sereniss. Princeps Condæus secundùm Regis familiã de Borboniã stirpe sceptro proximus. Nam & hic in Collegio celebri sanè apparatu, & multa tum carminum, tum scenici ornatûs varietate, exceptus est: & ille cùm demortuo supremo Curiæ Præside, summa omnium voluntate principatum accepisset, pro sua humanitate apud nos prandit, Nostros in mensa linguis decem perorantes, adolescentes in aula versibus gratulantes auribus beneuolis excepit. Theses, quas illi Noster inscripserat, ita gratas habuit, vt non modò prolixè suam Societati opem operámque detu-

Digitized by Google

detulerit, sed & præter litteraria præmia adolescentibus decreta, ad tolerandos Congregationis Prouincialis sumptus pecuniam non exiguã, P. Biardo in Canadensem expeditionem abeunti centum aureos designârit: statuerit etiam ad salutem miserrimarum gentium, & Euangelij propagationẽ aliquid vectigalis annui depẽdere.

II. REVOCATA est præterea in Academiam cõsuetudo donandi philosophicâ laureâ, qui auditorũ triennale stadiũ decurrissent cum laude: hic enim mos post restitutũ postliminio Collegium ob pestis grassantis acerbitatem adhuc desierat; quo & gratius ciuitati spectaculũ prębuêre delecti iuuenes duodecim illo honore insigniti. Horũ tres paucis pòst diebus Societatẽ adiêre: quos ex alijs atq; alijs facultatib⁹ deinceps secuti quinque. Quantũ ceteri, pficiant, ipsi Hæreticorũ filij docent, quibus cùm rogatu parentũ permissũ sit, vt rei diuinæ ne interfint, nonnemo est tamẽ eorum, qui clam parentibus ad sacra nostra itare diebus festis, & recepto more singulis mensibus animi sordes expiare per Confessionem non vereatur; quin & Patre absente, ad vespertinum officium & concionem audiendam matrem pellicere. Fuit, nec inanis tamen nobis, pro discipulo honesto quidem, sed hæreticis parentibus orto, lis & cõtentio. Vtebatur ille Caluinistæ hospitio, cuius filios literis imbuebat, ventitabátq; in Philosophicũ auditorium Collegij nostri quotidie. Sed sceleratus hospes, cũ accepisset, qua ex stirpe genus duceret, fidẽ hominis paulatim labefactare, multa in odium Religionis Catholicæ

Digitized by Google

familiariter spargere, ad audiendum Ministrum inuitare. Inter hæc adolescens in morbum incidit, qui ei vitam abstulit: decumbentem, inuito licet hero, visunt Nostri, ad Confessionem peccatorũ impellunt, vtq; se ad percipienda cætera sacramẽta paratũ fore ostendat, cùm id è re ipsius medico videretur, admonuerũt. Sed ille cõtinuò ingraueſcẽte morbo, priusquam sacra Eucharistiâ muniretur, omnẽ sensum amittit. Hîc qui circùm aderant Caluinianæ factionis homines varia inter se consilia agitare, Ministrum appellare, hortari, vrgere, pareret ocyus: adolescẽtem in extremis cõstitutum ipsius operâ vti velle. Venientem Parœcus, qui & ipse accurrerat ad ægrotum inungendum, deturbat: irá, odio, clamore miscentur omnia. Magistratus ad litem dirimẽdam accersitur, strenuè pro se quisque causam agit, vt si de aris & focis certamen sit; & fuerat sanè. Interuenit his opportunè Pater etiam ipse, qui confitentem audiêrat; iussus dicere, quæ pro causa vellet; abs se Confessionem ægrotantis acceptam narrat, nec dubitandi locum esse posse de ipsius adolescentis voluntate, cùm iam annos complures in Gymnasijs nostris literas didicerit. Adhæc Minister rogatu ægri à fratre & propinquis se vocatum dicere: cui Magistratus dolere se ait, quòd ipse, cuius causa ageretur, quid sentiret de religione, sensuum officio destitutus explicare non posset. Cæterum si in Gymnasijs Societatis fuerat educatus, si nudius tertius ægrotanti & fatenti peccata Catholicus aures præbuerat, æquum videri

Digitized by Google

deri, vt quorum fidei se crediderat viuens, ijsdem moriturus quoque permitteretur. Ita breui pòst vitâ functum, magna gratulatione bonorum condiscipuli Catholico ritu extulerunt.

III. EXTREMO rursùs Decembri aduersùs eosdem hostes certamen instauratum est, è quo vera Religio victrix redijt. Erat in vicino pago vir grandi natu, nonagenarius videlicet, qui ante annos decem secessionem à Catholicis fecerat, iámque præcentorem agebat inter Caluinistas pro stipendio, quod fuit in singulos menses assium quinquagenûm. Hunc Catholici ciuis hortatu aggressus Noster in cognitionem peccatorum, fideique viam perduxit; quod Hæretici tam acerbè tulêre, vt ad ægrotantem cateruatim properantes, quà minis, quà pollicitationibus eum ab instituto reuocare denuò laborarêt. Nec fruſtra fuêre. Lababat iterum mens æuo fessa atq; instabilis: sed opportunè Noster quoque interuenit, qui per confertam factiosorum turbam lectum vndique cingentem se penetrat, afferri lustralem aquam, cereum accêdi iubet: petit denique à circumstantibus perhumaniter, vt discessione vtriusq; partis, æger in diem sequentem respirare sinatur, commodiùs luce postera de prandio redituros. Quibus dictis cum non grauatè admodum assensi essent, cum Patre reuertuntur in vrbem. Postridie summo manè contrà quàm fuerant pacti, medicum Hæreticũ ad senem mittunt, specie quidem curandi corporis, re autem ipsa vt veneno hæretico animum inficeret: exclusus tamen ab ægroti filio Catho-

Digitized by Google

lico, Patre id ipsum postulante, nihil effecit. Horâ statutâ secutus Noster hominẽ offendit solũ, & facilè in memoriã reducit eorum, quæ secum paucis antè diebus gessisset. Pœnitentem pridianæ inconstantiæ testibus adhibitis rogat, velítne Catholicus esse, dum viuat? Ter annuentẽ testes viderunt. Quæ dum maximè geruntur, nunciatur adesse aduersarij, qui miris modis optimũ senem pridie distrinxerant: trahebant verò secum præter scribam publicũ, eúmq; Caluinistam, filiã ægroti, quæ sola è tota familia cum pudicitia fidẽ abiecerat, soláq; pridie maiorem molestiam exhibuerat patri, quàm reliqui omnes, qui ad torquendum bonum senem conuenerant. Venientibus filius fores obijcit, negat ad parentẽ ingressuros, nec se permissurũ, vt alibi, quàm in auorũ tumulo mãdetur sepulturæ. Ad hæc minari scriba, minari ceteri, si pessulũ non reduceret, ostiúmq; panderet, bonorum & libertatis dispendio luiturũ: tum etiam Regij Cõmissarij, qui controuersias Catholicos inter & Hęreticos exortas cõponebat, id temporis, literas proferre, referre in cõmentarios quidquid filius, ceteríq; ob caussæ Catholicæ defensionẽ dicerẽt: litem coorta lenis rixa diremit. Vt ergo abiêre illi re infecta, Noster victoriâ lætus facultatẽ petit ab Illustriss. Cardinale absoluendi hominẽ in foro, quod dicũt, externo: & sequenti die curat ad eum deferri diuina mysteria. Illi interim mouent omnem lapidẽ, vt illatam sibi contumeliam, vt putant, vindicẽt: Noster coram Cardinali summóque Aquitaniæ Prefecto, & illo, de quo modò diximus Cõmissario,

Digitized by Google

rio, cauſſam agit diligenter; nec minùs Hæretici ſuam, ſenis filio, qui venientibus obſtiterat, ad Neracēſe tribunal citato; & alio inſuper Catholico, qui tunc eis inſolentiùs agere viſus erat, in vincula coniecto. Perſeuerat autem ſenex Catholicum ſe dicere, ſpéſque eſt negotium hoc, qualem cupimus, exitum habiturum.

IV. AD Miniſtri cuiuſdam Caſtillionenſis epiſtolā, quâ nobilis feminæ fidē tentârat, ſic reſpōſum ab vno Patrum eſt, vt & femina voluntatem omnē dubitandi abiecerit, & Caſtillionenſis Iurati filius (Magiſtratûs id nomen eſt) Caluinianū errorem repudiauerit. Ad Eccleſiam autē præter memoratos rediêre ſupra viginti, è quibus nobiles quatuor. Vnius illuſtrior fuit reditus, qui genere clarus exacta ætate per maleuolorum calumnias in ergaſtulum datus, & diris quæſtionibus erat permiſſus, quas magno ſuſtinuit animo, quamuis nullius facinoris mali ſibi cōſcius. Hunc ibi quaſſa tormentis membra curantē proſua fortè charitate Illuſtriſſimus Cardinalis inuiſit, rogat, *ecquid velit erroribus refutatis veritati aurem dare & animum?* Quæ tanti viri dignatio ad aſſentiendum afflicto efficax fuit ſtimulus: adiuuit petitionē hanc, quòd in tanta caligine, noxæ omnis lethalis propemodum, homo ſexagenarius, expers fuerit: vt indignus non videretur, qui tantum fidei Catholicæ beneficium à DEO acciperet. Iuuenem ruſticanum Cacodæmon mercatoris ſpecie inſequebatur, qui, vt huius ſe inſidijs inſectationibúſq; moleſtis eximeret, ad Catholicos relicta hæreſi profugit.

Idem

Idem Stygius mercator fraudulentis ſuis artibus puellam, qua inopia quà ægritudine animi miſerrimè habitam preſsámque, ad ſui animi deditionem conabatur impellere; cóque iam deduxerat afflictam, vt nec DEVM, nec DEI Matrem vellet agnoſcere; aures etiam occluderet, ne IESV ſalutare nomen auditu perciperet, quod miſeræ Sacerdos noſter ad faciendam medicinã ingeminabat; denique, quod expetiſſet, ab alio quàm ab IESV ſe conſecutam, impiè clamitaret. Quæ ſimul ebibit piacularẽ aquam, *ô ſalutarem*, inquit, *laticem*! quo & continuò ex tanta conſternatione animi ad ſe reuerſa eſt.

V. IAM vt de ijs, qui inter ciues Parthenico Sodalitio adſcripti ſunt, memoretur, tam fuit explicata eorum manus in egenos, & vinctos præſertim, vt admonendi fuerint, contractiore vterentur: quippe durabilem, quàm effuſam largiendi conſuetudinem acceptiorem DEO videri. Iidem intra ſepta carceris, ſuis ſumptibus erexêre ſacellum, vt qui ſacro, concionivé diebus feſtis intereſſe, aut Sacramenta percipere commodè non poſſent, ea in poſterũ facultate non deſtituerentur. Sacerdotem ab Hæreticorum faucibus repoſitum in Eccleſiæ gremium, (de quo in Aginnenſi Collegio) induerunt honeſtis veſtibus, partim ſuà, partim emendicatà per Sodales aliunde pecuniâ: multóq; magis in ſui Sodalitij homines fuêre benigni: vnum qui egebat, aluerunt quinque menſium ſpatio gratis. Patri è Recollectorum ordine ſtipem poſcenti ad comparanda ſacra volumina, quæ eſſent ad concionandum

Digitized by Google

nandum inter Hæreticos futura vsui, libros miserunt coëmptos amplâ satis pecuniæ summâ.

VI. NATALEM B. P. N. IGNATII illustriorem præsentiâ suâ reddidit Illustrissimus Cardinalis, huius vrbis Archiepiscopus, qui & ritu Pontificio fecit in templo nostro, & sumpto vnà nobiscum familiariter prandio, luculentam de Beati laudibus habuit concionem. Pompam eandem cohonestârunt Sereniſſimus Princeps Condęus, & varij, qui eidem comitabantur, Prouinciarum & vrbium Gubernatores. Exculti ad eiusdem Beati præscriptam normam ritúmque Societatis quindecim, fructum tulêre, qui & illis fuit quæsitus, & nobis speratus. Quod Numinis scueram in inconstantes sententiam; vindicémq; scelerum potestatem, irámq; declaret, illud accidit notabile. Quidam ante annos triginta admodum leuitate animi abreptus, Societatem nostram vltro deseruerat, in quam rebus domesticis curandis fuerat ascitus. Qui vbi se vinculis Religionis iam exemptum animaduertit, honoris an opum studio sacros ordines ambit suscipítque, licet expers penitus literarum ac rudis: inde contracta cum magis & veneficis consuetudine in Societatem Diaboli adscribitur, cui Societas IESV visa est onerosa. Nullam ex eo tẽpore superstitionis speciem omisit, qua se non polluerit homo sceleratus. Eâ re per testes comperta à Magistratu comprehenditur, ab officio deponitur, de gradu Sacerdotij solemnibus execrationibus deijcitur, atque ita in ordinem intonsorum redactus est; nec dum tamen

recess-

Digitized by Google

receſſerat ab ingenio; vt decretoriâ demum ſententiâ æterno carceri fuerit mancipandus, ne ſi capitali ſupplicio palàm eſſet affectus, ordo ſacer ludibrio foret Hęreticorum proteruiæ. Inibi autem acriter profectò vindicante Numine, ſordibus & pædore confectus ingentes animalium & vermiculorum greges longo tempore paſcebat, quos ex ſe genuerat, dum fœdo lethi genere atq; infami conſumptus interijt. Cui animam agenti ad extremum vſque ſpiritum aſſedit vnus è Noſtris, & quæ talis fortuna requirebat, officia pietatis exhibuit.

VII. QVATVOR ex vrbe Miſſiones factæ. In Samachienſi duo ſub Eccleſiæ iura ſunt vocati: inueteratæ ciuiũ inimicitiæ extinctæ ampliùs viginti. Sparræ, quò altera ſe Miſſio per Decembrem extendit, voluntate Illuſtriſſimi Archiepiſcopi ac Cardinalis, Noſter vnus centum & quinquaginta totius vitæ Confeſſiones excepit: nam Parochus quot audierit; nihil attinet dicere. Qui Baionenſem agrum excolendum ſuſcepit, cõtra Hæreticos & Magos, quorũ hîc infelix copia, fortiter ſtetit; hæreſin duobus excuſſit, iurãdi conſuetudinẽ abrogauit, quadraginta horarũ preces Bacchanaliũ diebus induxit; tum etiã Vaſconico idiomate & diuersâ ab reliquorũ Gallorum linguâ Catechiſmũ per idoneos interpretes edendũ curauit; in quam rem locuples mercator ſumptus neceſſarios exhibuit, gratis in lucem vt exiret. Quidam ſolutis moribus vir, & rei domeſticæ propriæq; ſalutis negligens totũ diem Epiphaniæ ludo & aleæ dederat: veſperi domum reuerſus

uersus, animo malè affecto iacturam pecuniarū lugere, sortémq; mœstus detestari incipit. Ita sollicitum anxiúmq; conuenit iuuenis Æthiopis habitu, eúmq; se sequi iubet: & præsto erant in limine tres alij eiusdem coloris, robusti sanè & viribus perpollentes; qui, si secum porrò ire velit, vim ingentem pecuniarum homini pollicentur; simul sublatum in aëra trans nigrum mare deuehunt in celebrem conuentum virorum ac matronarum illustrium. Eò loci rogatur aduena, ecquid ex tenui copiosus fieri appetat; dicto ac voluntate solùm opus esse, non defore, qui benignè mox faciant & ditent: quin ad hæc etiam thesauri proferuntur, donantur, obtruduntur. Homo, quanquam erat animo perturbato & afflicto, constanter nihilominus obtrusam diuitiarum illecebram reiectat. Quod in sui contemptum fieri, qui offerebant, interpretari visi, retrò vnde aduectus fuerat, reportari mandant: relatus ducentesimo circiter à domo passu destituitur nudus, ac pœnè exanimatus formidine: circumspicit, vbinam locorum terrarum vé sit, ac salutaris tandem signi memor crucem imprimit fronti, agnitáque vix familiaris propinqui domo ad eum adit percontatum, equa in regione ab importunis baiulis fuerit depositus. Miratus ille hominem tam sæua tempestate, eáque noctis hora nudum extra tecta agere, domū ipsi propriam ostendit; in quam cùm deuenisset, reperit cōiugem orbitatem suam miserè lamentantem discurrentémque, ac sollicitum seruum, si cubi Dominum inueniat, quem nor-

non multò antè ſtupens viderat in altum tolli. Poſtridie venit ad Concionatorem noſtrum pauidus adhuc & tremens, peccata enarrat, Cacodæmoni renunciat, ſibi reſtitutus ad Euchariſtiam magno pietatis ſenſu accedit.

VIII. NVNC autem, ne digreſſi Burdigalam, deinde repetere cogamur, quæ ad Probationis Domum ibidem exædificari cœptam ſpectant, paucis expediamus. Ac licet non defuerint hîc, qui Hæreticorum & maleuolorum hominum impulſu opus ædificij impedire conarentur, eorum tamen molitiones fecit irritas Iudicum ſententia, qui vt publicæ vtilitati conſulerent, fundum Societatis Tironibus exercendis addixére, vnde nos exturbare illi connitebantur. In hoc igitur fundo tantiſper, dum ædes nouæ commodam habitationem præbere poterunt, anguſtis caſis & tuguriolis continentur. Sed quòd ædicula ibidem pro loci opportunitate extructa, confluentem ad Catecheſin, quæ ter in hebdomade docebatur, piorum aliorúmque multitudinem non caperet, Archiepiſcopo annuente, & non inuitis D. Benedicti Religioſis, migrare, ad eorum templum conſultius viſum eſt: vbi iam Dominicis diebus doctrina illa exponitur, domi Tironibus eandem non negligentibus; cum tanto vtroque fructu, vt alia iam totius vici facies videatur. Tres hoc anno aſceticis ſtudijs apud Tirones operam dedêre: totidem hæreſin eiurârunt: quorum vnus ciuis Geneuenſis, cùm æger & iam Catholicus in D. Andreæ Noſocomio ab alijs Hæreticis ad defectionem rurſus inuitaretur,

Digitized by Google

tur, ita derepentè surdus iacuit, vt ipsorum venenatas adhortationes & pollicitationes minimè exaudiret; ipsique re infecta, nec sine pudore recedere cogerentur: æger verò omnibus Ecclesiæ Sacramentis ritè susceptis æquissimo mortuus est animo. Nostrates duo, singulari DEI nutu se à morbis curatos credunt. Nam alter à quartana, qua pluribus mensibus laborabat, voto in honorem S. Crucis (cuius lipsanothecam habet) nuncupato, conualuit: alter verò grauissimis aurium vexatus doloribus syngraphâ B. P. N. IGNATII malè affectæ parti adhibitâ, quam humanis medicaminibus consequi nequierat, plenam, integrámque curationem est consecutus.

COLLEGIVM AGINNENSE ET RELIQVA.

IX. DECERPSIT ex Aginnensi hortulo DEVS fructum longa iucundáque maturitate temestiuum P. Guilielmum Chambardum, quem post vberes pietatis fœtus in Paradisum credo cœlestem transtulit, timoris diuini laude virum clarissimum, quod omnium ferè quibuscum versabatur, testimonio liquet. Seminarium Nostris in morali Theologiâ informandis hoc anno institutum. Septem hæresin dedocti, atque ex his vnus gente Hispanus magni apud suos nominis, & in Religiosorum familia difficultatibus varijs pressus, (quippe haud leuia munia sustinuerat) qui desperatione victus transfugerat

Digitized by Google

ad Caluiniſtas Neracum: ibi cùm iam eſſet profanorum rituum & impuræ religionis nominatus Miniſter, cœpit ſcelerum aculeis pungi, & animo meliora meditari; tandémq; ſibi redditus poſthabitis ſtipendijs, quæ ampliſſima ab Hæreticis offerebantur, ad nos confugit, & in Collegio benignè habitus plus menſe eſt: dum nimirum peccata ſua Confeſſione diluit, & ſe ad illud nobile facinus comparat, quod in principe templo ciuitatis poſtea peregit. Nam cũ vnus è Noſtris breui oratione populũ ad habendas auctori ſalutis gratias hortatus eſſet, ille poſt longum eruditúmq; ſermonem, quo facti ſui rationẽ explicabat, ad Reuerẽdi admodum Epiſcopi vicarij pedes prouolutus, hæreſin repudiauit, quamore tenus profeſſus tantùm erat, cùm fuiſſet animo ſemper Catholicus. Is Burdigalæ nunc agit, quem Sodalium Partheniorum liberalitate ibidem decenter veſtitum ſupra memorauimus.

X. BEARNENSIS Miniſter cùm magnos vndique fieri concurſus ad Sacerdotem noſtrum, & diffluere factionẽ ſuam iniquo ferret animo, ſuis peracerba & inuidioſa oratione ſæpius edixit, ad ipſum ne porrò accederẽt; adiectá etiam anathematis pœnâ, ſi quis contrà iſſet; *Magum quippe eſſe & veneficum, qui præſtigijs ſuis ſimpliciorũ animis imponeret; qui, quæ in ſacra pagina nuſquã extarent, ea palàm ſcripta in codice per artem magicã legenda exhiberet: labem & peſtẽ Reipub. ſine dubio Ieſuitas eſſe; gentem nefariã, perditã, formidandam, quibuſcunq; Papiſtis, quocunq; Monachorum genere deteriores; eos qui non deteſtaretur, nõ fugeret.*

ret, hunc verò suæ saluti pessimè consultũ velle. Talibus quidam accensi Nostrum ex insidijs perdere decernunt, Cathedræ basin & pedes, è qua verba faciebat, clam incidunt, vt ruina concionantem opprimeret. Res maturè à Catholicis prodita, & obuiam itum certo immerentis exitio: nec destitit Minister venditare se suáque, & Iesuitas inscitiæ arguere, pugnámq; mentita virtute identidem exposcere. De cuius vaniloquentia vt Noster certior est factus, adit eum vltro percontandi gratiâ, séne ad duellum de summa Religionis prouocauerit? Inficiari tum homo callidus, pro ea, quam habebat, aiendi licẽtia, & negandi cõfidentia: sibi enim verò ab huiusmodi cõgressibus esse interdictũ: vana proinde elocutos, qui de se talia retulissent. Mouit merito stomachum Caluinistis indigna hęc Ministri sui respõsio, cuius vt ignauiam inscitiámq; malis modis & verbis detestati traducebant, sic nostri Sacerdotis pro Catholica religione imperterritum animum indefessúmque laborem, non summis laudibus extollere, ac palàm deprædicare non poterant: eóque impulsi stimulo, octo Caluinum deseruêre, ad quem defecerant; quatuor ad Romanam fidem accessére, qui religionẽ nullam à quadraginta iam annis profitebantur. Aliquot templa, quæ parui temporis interuallo Hęretici occupauerant, legitimis Dominis sunt restituta: curatum, vt Ecclesiæ leges sanctiùs obseruarentur, nevé cõstitutis ad diuinum cultum horis bibonum aut ludionũ tabernæ paterẽt: idq; etiam indictâ per Magistratũ Hæreticum pęna cautũ est.

Digitized by Google

Postremò infantulum animam agentem, recusante id Ministro, curauit Noster per feminam ritè lustralibus vndis expiari. Quo audito parentes gratias ei quàm maximas egerunt, polliciti, si quam posthac sobolem esset susceptur, ad Sacerdotem delaturos baptismi gratiâ: qua in sententia etiam alij sunt, qui peracerbè omninò ferunt, Ministros infantibus tanto in discrimine versantibus tam ægrè id opis præstare.

XI. PETRACHORIENSIVM Nostrorum persuasu quatuor in similibus excursionibus Hæretici ad fidem veram adducti: reliqua ibidem gesta B. IGNATIO ferè attribuunt. Nam præter duas feminas puerperij angustijs liberatas, quatuor rursus numerant, quibus osculum syngraphæ illius cum veneratione impressum, aut morbos corporis pepulit, aut animi procellas sedauit.

XII. IDEM potuit Lemouicis aqua per D. Thomæ crucem consecrata: vbi & animi duorum Ecclesiasticorum & quatuor Sanctimonialium sacris exercitijs sunt illustrati.

XIII. PICTAVIS auctum est vectigal annuum, bis mille & ampliùs librarum prouentu, extincto sub anni principium venerãdæ memoriæ viro Gaspardo Le Franc Pictauensi Cantore; cuius memorabili beneficentia Collegio bona dotis pars accessit ex Prioratu suburbano ferè, quem ante triennium nobis destinârat, retentis ad vitam sibi fructu & vsu. Aucta & supellex tam libraria, quàm sacra: apex impositus templo, turribus duabus pari interuallo eductis: duplex o-

dæum,

Digitized by Google

dæum, duplici sacrario inædificatum: quo in opere DEVS sospitator adesse visus, qui operarium è summo penè templi fastigio per imprudentiam delapsum seruauit incolumem. Engolismensium, & Xantonensium animi per nostra ministeria sunt deuincti. Ab hæresi auersi aliquot.

XIV. TRES ab eadem hæreseos perfidia reducti in ipso Xantonensi Collegio, quod hoc tandē anno ineunte Maio incoli cœptum. Crescunt hîc scholæ, & in discipulis nonnulli etiam Hæreticorum liberi censentur. Tertio postquam docere cępimus die, qui domum nobis commodam & alteram redituum partem se suppeditaturum receperat D. Guytardus huic ciuitati præfectus, Burdigalæ decessit, cuius hæredes Illustrissimi Ducis Espernonij, qui tum Prouinciam lustrabat, sententiâ sex millia librarum Turonensium nobis numerârunt, domûs nouæ medium pretium, quam affecto Septembri cœpimus inhabitare. Iidem mille libras quotannis pendunt Collegio, donec paris æstimationis Sacerdotium aliquod nobis assignârint. Sacellum exornandum suscepêre fermè Virgines sacræ Ordinis D. Benedicti. In æde maiori conciones habentur alternis ferè Dominicis: ad Sanctimoniales etiam frequenter dicitur: Catechesis ab vno docetur, ab omnibus probatur.

†

Digitized by Google

Fuêre in hac Prouincia Socij ſupra quadringentos quadraginta vnus. Aucta eſt triginta Tironibus. Minuta veteranis ſeptem vitâ functis.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores*
Lugduni habuit Collegium	LXVI.	XXIII.	VI.	XXVI.	XI.
Lugduni habuit Dom. Probat.	XXIV.	IV.		XVIII.	II.
Auenione Collegium	LX.				
Auenione Dom. Probat.	XXXII.	IV.		XXIII.	*V.*
Collegium Turnonenſe	XLVI.	XIII.	V.	XVIII.	X.

Digitized by Google

	Vniuerſim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholaſt.	Adulteres.
Camberienſe	XXXVI.				
Diuionenſe	XXIV.	X.	IV.		X.
Dolanum	XL.	XV.	IV.	XVI.	V.
Biſuntinum	XXX.	XVI.	IV.		X.
Viennenſe	XVIII.	VII.	V.		VI.
Ebredunenſe	XVIII.	VIII.	IV.		VI.
Carpentoraſtenſe	XVII.	VII.	V.		V.
Veſulanum	IX.	III.	III.		III.
Sedes Roannenſis	IIX.	III.	III.		III.

Digitized by Google

Hæretici ad ſaniorem mentem reuocati octoginta duo.

In tuto collocata aut reſtituta pudicitia quadraginta duorum.

Inter diſſidentes gratia redintegrata vigeſies ſexies.

Auxilia B. Ignatij implorata & impetrata fuêre quindecies.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM LVGDVNENSE, Avenionenſe, Turnonenſe.

I.

EMERITVS è commilitonibus Lugdunēſibus vnus, miſſionem impetrauit ab humana militia; laboribus videlicet iam fractus ſenex P. Petrus Maturus, domo Aruernus, inter mortales verſatus vniuerſim annos ſexaginta ſex; inter Socios exegit quadraginta ſeptē: quatuor vota profeſſis accenſus. Diu literas humaniores, moralem Theologiam aliquādiu docuit publicè: in audiendis Confeſſionibus ſupra ætatis vires aſſiduus: tantâ ſui deſpicientiâ ſpectabilis, vt vel quidnam eſſet inanis gloria ignorâſſe videri potuerit: ita neſcio qua mentis teneritudine colliqueſcebat totus, cum SS. TRINITATIS myſterium recolebat (recolebat autem ſæpiſſime, maximéque ſub diei exortum) vix vt vllus domi eſſet, cuius non aliquando pietatem

Digitized by Google

ea in sene pietas excitârit. In eiusdē honorē quotidie D. Athanasij symbolum magno commotæ mentis sensu decurrebat; affirmabátq; identidē, eò sibi mortem placidiorē aduentare, quòd ab ea in Sanctissimæ TRINITATIS domo (id enim Collegio Lugdunensi nomen) occuparetur. In eanomicum verò officium tam propenso erat affectu, vt illud in quantalibet ægritudine recitare omiserit nunquam. Et vix quisquam fuit, qui illum suprema illa & longa infirmitate inuiserit, quin audierit aliquid semper è Psalmis ad vltimum etiam spiritum eluctantem. Maturus itaque cœlo locum dedit alijs de mortalium salute bene merendi: inter quos primi in partem messis veniunt Hæretici quatuor supra viginti. Ex eo numero Doctor quidam medicus scintillam fidei à Nostro iniectam iam conceperat, cùm ecce inter quietem videt Sacerdotem eundem tres sibi chartulas, quibus accuratiùs informaretur, in manus tradentem: adest igitur postridie, & somnium familiariter, vt fit, exponit. *Ego verò*, subijcit Pater, *tibi quid euenerit, ignoro: hoc autem compertum habeo, has tuas mihi chartulas pridie cōditas* (simúlq; easdem expromit) *è quibus capita fidei Catholicæ, probè confitendi methodum, & opportuna propulsandis vitijs remedia cōdiscere*s. Perraffine est, quod alteri cuidam eadem in causa contigit. Narrauit enim sibi è morbo decūbenti mandatū esse diuinitus, vt pestilenti sese doctrina expediret, serióque animi sui rationes subduceret; in eam rem vnum è Nostris sibi demonstratum, quo ad leuandos interiores animi morbos vteretur; euocauit eundem postmodum, & facilē

facili negotio agnouit & hominem, & fidem. Fides contrà Sacerdotis cuiusdam vsq; adeò nutabat, vt ruinam ac rudera iam iam minaretur; ea firmis à Nostro rationibus suffulta stetit integra & inconcussa. Fortitudinem masculam femina acceperat à Nostro è primarijs vna: sollicitata enim à proco castimoniæ hoste sæpius, loricâ setosâ circa lumbos astricta sese armauit; cui pro more ad iniquas postulationes redeunti pectus aduersum aperuit, & quibus armis suam defenderet vindicarétq; integritatẽ, ostẽdit; ad quod scilicet spectaculum sic improbus ille innocentiæ prædo expauit, vt ex eo tempore mulieri negotium facessere penitus desierit.

II. SANCTITATIS quoq; famam B. Patris Nostri nouis operibus hîc propagare voluisse videtur DEVS. In Collegio Pater est, qui nuncupato eidẽ voto sensit æstum febris cõtinuę, è qua inter Caniculæ feruores decũbebat, paulatim lẽtescere, nec longo dierũ interuallo penitus emori. Pia Nostri cuiusdam parẽs in graui morbo eundem Beatũ deprecatorẽ adhibuit, & sanitatẽ recepit. Cõmodùm item auiæ monitis & vsu cõdocefacta puella annorũ prope sedecim, Cephalalgiâ & ophthalmiâ grauiter laborãs, Beati medicã manum persensit, eiusdẽ capillo, quẽ à Confessario eos in vsus acceperat, oculis applicato. Reliquiæ eiusdem antiquam vim prodidêre in difficultatibus parturientium mitigandis & secundandis.

III. STVDIVM ciuitatis in ordinẽ nostrum perspeximus, cùm sępius tum ipso prouinciali Patrũ Nostrorum cõuentu, quando nimirũ Prouinciæ Gubernator cũ primorib⁹ vrbis, conuiuiũ Patribus,

Digitized by Google

bus, totique adeò Collegio suis impensis domi nostræ parauerunt. Gratianopolitani, ad quos emissus è Collegio vnus, ita se benevolos exhibuêre, vt non alio in annum proximè sequentẽ concionatore voluerint vti; cœperintq; de constituenda apud se Professorum domo cogitationes seriàs suscipere. Perfecta indidem complura, quæ ad salutem animorum pertinent. Hæretici quatuor in sinum Ecclesiæ repositi: & eorum nobilis vnus, & inter suos auctoritate præcipuus, non modicam existimatur rei Catholicæ accessionem facturus. E quadraginta circiter Doctoribus Caluinistis, qui tum in prouinciale Synodum coacti erant, plerique concionibus Catholicis interfuerunt, & cùm eorum dogmata palàm infirmarentur sæpius, nemo tamen illorum vel semel contrà mutire est ausus, frementibus licet hæreticis & Ministrorum suorum turpe silentium animo periniquo ferentibus. Geminà aliâ profectione, in oppidum Comitatûs Carolæi vnâ, alterâ Annonæum institutâ, ex hæreseon tenebris ad lucem veritatis euocati sunt quatuor: nam cætera, vt cõmuniora, relinquo: quamuis aliquid fortè de Beati Patris nostri propitia virtute dici rursus posset, cuius piè culta effigies, anginâ quendam leuâsse, scribitur.

IV. AVENIONE redditi Ecclesiæ duodeuiginti: quibus accensendus vir nobilis & militaris in Nemausensi agro, quem excoluerunt Nostri, ipsius Præsidis & Senatûs auctoritate eò præ aliis designati. Familiæ religiosæ desertor non minùs

Digitized by Google

eruditione, quàm famâ improbitatis clarus, totos octodecim annos inter ollas Ægypti volutatus, ope Nostrorum redijt, & spem suis fecit pœnitudinis non inconstantis. Nihilo insudatum secius, vt qui cum nobili quodam viro in clandestinâ alterius prædiuitis necem obstinatè conspirauerant, Christianæ pietatis memores, nefarij sceleris dissoluerent societatem. Accensa pudicitiæ fax, quæ in multorum passim corporibus, mentibúsque extincta fuerat, tota vrbe reluxit, sublatis obscœnorum Poëtarum libris, nec non fœdis amorum tabulis in ignem conjectis. Adstipulatus his laboribus etiam B. IGNATIVS, qui mirificus fuit in duas non mediocris fortunæ familias, quæ, vt & aliæ bene multæ, in domesticis sacellis pictam illius speciem deuenerãtur, eámque inter tutelares non vltimo loco referunt. Erant in vtraque infantuli grauissimo oppressi morbo, vt alter iam ageret animam, alter morti quàm vitæ propinquior, sententia medicorum post aliquot horas efferendus diceretur. Vtriusque ergo parentes B. IGNATIO aduoluti, supplicant conceptis votis; à quibus cõfestim ille, qui expirare iam videbatur, respirauit, collo matris inhians & lacti; & qui à medicis depositus iam fuerat, ad se redijt, suámque valetudinem; adeóque vterque die eadem aræ admotus est, suspenso anathemate, & in gratæ significationem memoriæ res diuina facta. In Sodalibus suis admiranda què fuit DEIPARA, tam ad officium compellendo cessatores, quàm iusta vindictâ animaduertendo in desertores. Prioris hoc

Digitized by Google

hoc habe exemplũ. Ciuis ex eorum numero, quũ clientelæ Marianæ se deuouerunt, mense Quintili, ipso videlicet Assumptæ in cælum VIRGINI sacro die, cùm ad D. VIRGINIS iret principem vrbis ædem caussâ religionis, offendit quendam vultu pallidum ac subtristem; quem vt intellexit ex imminentis grauissimi morbi non vano timore cõfici, hortatur sub DEIPARÆ præsidium confugiat; eius enim precibus & patrocinio pleroſq; Sodalium non rarò præsentissimæ mortis periculis defungi; proinde & ipse nomen det albo, cultúmq; VIRGINIS solitò ostendat maiorem. Respuit tum quidem imprudẽs id consilij: sed vbi sub mediam noctem repentina ebullientis in pectore sanguinis inũdatione cœpit vrgeri miseréq; perfundi, votum edidit, séque Sodalem futurum, cùm primùm per valetudinem posset, spopondit: potuit autem sequenti statim die, quod & præstitit. Simile prorsus beneficium in eodem genere morbi à Matre misericordiæ impetrauit clarus alius inter suos ciuis, qui Conceptæ VIRGINIS Sodalitium in votis habuit. Alterius generis istud est. Quendam sua iniquitas è Sodalitio exturbauerat: is non multo pòst perluculento inter digladiandum accepto vulnere, cœpit illud cum VIRGINE diuortium primùm perpendere, & vnde periculum animæ creâsset, ex corporis damno æstimare. Quare non destitit priùs facinus suum detestari, quàm consummata prece criminis grauitatem aliquantula tarditate compensaret.

V. TVRNONE trium Fratrum nostrorum obitus memo-

Digitized by Google

memoriâ dignus est. Curtij Micotij patriâ Lucēsis, annorum viginti trium, in Societate quatuor: qui ex medio Philosophiæ curriculo abreptus mortíque designatus insignia pietatis, modestiæ, charitatis monumenta reliquit: quippe æquabili fuit adolescens ingenio, sui & rerum humanarum contemptor egregius: quo nomine ab omnibus & commendabatur & diligebatur. Iacobi Chappelle, rerum domesticarum administri, patriâ Viuariensis. Exegarat septem & viginti in Societate annos, coëmendis ad victum necessarijs, & colendis suburbani prædij vineis, ceteríque procurandis, paris diligentiæ ac fidei vir: & cùm religiosa simplicitate nemini non charus esset, de rebus diuinis ita sapienter disserebat homo idiota ceteroquin, & qui vix literam nôsset, vt viris doctis & hoc vnum agentibus admirationi foret. De eius virtute affirmauit è Nostris non nemo, se, cùm ante multos annos hîc puer studijs literarum operam daret, ad religiosæ vitæ adeóque Societatis ineundæ studium mentem adiecisse, quòd Iacobum, dum ad villam Collegij summo manè proficiscerétur, Rosarij globulos piè percurrentem curiosiùs è specula sæpius obseruâsset. E Nostris alius idem quoque sibi desiderium diuinitus iniectum aut certè confirmatum narrat, dum eundem Fratrem in vicini cuiusdam oppidi solemnibus nūdinis rusticos aliquot ad Christianæ pietatis officia, magna contentione & accommodato ad ipsorum captum artificio, perhortantem vnius horæ spatio conspexisset.

Ludo-

Digitized by Google

Ludouici Franciſci La Riuiere adoleſcentis viginti circiter annorum; qui etſi quartum primùm in Societate annũ agens, vitæ priùs quàm Philoſophiæ curſum peregerit, attigit tamẽ metam virtutis: quod inde iudicare licuit, dum eam in diuturno febris languore patientiam alacritatémque moriendi oſtendit, vt omnibus ſecuræ æternitatis fecerit fidem.

VI. QVARE vt tres iſtos ſuperis accenſeamus; auctum eſt hoc anno Collegium Sociorum numero: auctum eſt nouarum ædium fabrica, nec non aliquorum ad Fidem noſtram acceſſione hæreticorum; Turcæ autem vnius. Vir honeſtus, nec nullius inter ciues auctoritatis aut nominis, filium apud nos in ſpem ſucceſſionis alebat, haud quidem bonorum magis, quàm Caluinianæ malitiæ: qui vbi ſenſim diuino ſe lumine in tenerum pectus inſinuante veritatem intueri per ætatem cœpit, tanto ementitæ reformationis flagrauit odio, tantáque animi conſtantia patriam reſpuit diſciplinam, vt etiam domeſticos ſuo raperet exemplo, & ad eandem aſpiciendam lucem inuitaret. Quod vbi ſuſpicari primùm Miniſtri, deinde certis indicijs colligere potuerunt, enimuerò furijs omnibus in patrem accendi tanquam in filij perniciem; Religionis peſtem appellare, vt cuius ignauia pernicies Religionis domi ſerperet & peſtis; vtrique minas ferociter intentare, niſi à nobis quam primùm diſceſſio fieret: ac ne parum haberent in ſpe ſua conſilióque præſidij, potentiorum auctoritatem interponere: poſtremò etiam nihil non

non moliri, dum vel ad se filius rediret, vel exhæredaretur à parente. Quid multa? Adolescens, vt parentis saluti pariter ac suæ, & vtriusq; famæ consulere, pluribus etiam prodesse posset, excogitauit quod vnum efficacissimum fuit, & litteras ad eum dare instituit, tanta virtutis iuxtà & ingenij significatione plenas, vt vel ob id typis dignæ ab omnibus iudicarentur. Denique eò loci deducta res est, vt pater haud multo pòst conuento magna cum gratulatione filio hæresin palàm abiurârit, & in Ecclesiæ se sinum receperit. Nec nihil in alio non infimæ conditionis viro simile cõtigit; atque hoc ampliùs, quod cùm sibi non semel intentatam à Ministris proscriptionis seu Excõmunicationis sententiam exhorresceret, grauitérque reformidaret, vt qui sæpius audiuisset eam pœnam non magis in animum, quàm corpus fortunásque sæuire, adeò mentem contra fatuum illud fulmẽ obfirmauit, tantámque dein ex sui mutatione voluptatem sensit, vt inde rem suam longè in dies meliorem ampliorémque fieri experiretur.

VII. APVD quendam apprimè nobilem & maximæ auctoritatis virum concionabatur Noster: concionis is fuit fructus, vt dimisso auditore, cùm Nobilis ille periclitari valetudinem suam sentiret, omnibus ditioni suæ subiectis significari edicíque verbis suis iusserit, quicumque vel à se, vel ab aliquo suorum clientum seu facto seu verbo læsus foret, accederet illico, atque id iniuriæ abolendæ peteret, quod sibi vel Patri nostro videretur non iniquum. Alius audiens Nostrum

strum de diuinâ in mala imprecantes vindictâ grauiter differentem, tantum peccati concepit odium, tanto diuinę Iustitiæ metu correptus est, vt cùm sub noctem habita illa oratio fuisset, ad sequentem diem vix se peruenturum spera-ret, nec antè quietem caperet, quàm expiatis plena Confessione vitæ delictis, cum DEO in gratiam rediret: obiectâ sibi, vt commemorantem ipsum audiêre Nostri, per somnum specie vxoris, liberorũ, ac vniuersæ deinfamiliæ morte crudeli peremptæ. Duo è Sodalitio B. VIRGINIS adolescentes morbi mortísque periculo defuncti ob suam virtutem existimantur: alter, qui anno integro decubuerat, cùm peregrinationẽ votiuam decreuisset in honorem eiusdem VIRGINIS; alter verò triduum cibi somníque impatiens, cùm adeundę Sodalitatis Marianæ desiderium animo concepisset.

COLLEGIVM CAMBERIENSE, DIVIONENSE, DOLANUM.

IIX. CAMBERIENSE Collegium Coadiutorem vnum cum vno item Patre extulit: illum Ioachimum Trespeigne in varijs rei domesticæ officijs accuratè semper versatum, cùm annos in Societate exegisset quadraginta nouem; virum septuagenario maiorem. Hunc Bartholomæum Pomblerium octuagenarium, quinquaginta circiter annos Societati deuinctum. In eo nunquã non animaduersus ab omnibus est mirus quidã pauper-

paupertatis amor, vt iam præsenio deficiente oculorum vsu, vestes sua sibi manu sarciret; cum arctissima silentij legibus imperati custodia, promptissimóq; parēdi studio; vt qui nunquam imperantis mentem interpretari auderet, quin vel cœco quodam & sancto impetu confestim exequeretur imperata, vel ex Præsidis voluntate lucem priùs peteret & interpretationem.

IX. NIHIL hic quoq; prætermissum ab ijs, qui superuixêre, quod ad DEI gloriā foret. Duabus Philosophiæ & quinq; humaniorū literarū, alia de Conscientiæ rationibus adiecta schola est: promota Catechesis: suus B. IGNATIO honos & à iuuentute ingeniosa, & à populo frequēti & pio, & ab Illlustris. Bellicensi Antistite potissimum habit⁹, qui & eius natalē diserta panegyri cohonestauit. Foris alia. Arausicam missus Pater ipsis etiā Hæreticis imagines Christi & Diuorū petitas negare non potuit; quas quidē vt perhumaniter expetierunt, ita se religiosè habituros recepêre; ad Catechesin non minùs eorū filij, quàm Catholicorū confluxerunt. Parè cōcionibus fructus, ac propemodū etiā maior alio in oppidulo sub ditione Geneuensiū, in quo cùm Iubilæū per Nostrū ꝓmulgaretur, diuina mysteria accepêre mille ducēti. In vicos & aliò cùm easdem Indulgentiarum gratias extulissent Patres, passim ferè omnes expiārunt, compluribus vitam ab omni memoria resumentibus. Pernicios issimæ quædam consuetudines abolitæ: illa præcipuè, qua iuuenes cum puellis vigilias ad multam noctem non exiguo cum periculo agebant.

Digitized by Google

Quidam vocibus barbaris consignatum diu gestàrat amuletum, certus, vt aiebat, nunquam aut bello, aut malalue, aut alio casu pereundi: qui vbi intellexit fraudē, peccata exomologesi, flammis inutilem illam panaceam sustulit. Alius in somnio emendatus. Obuersata quippe dormienti quædam iudicij horribilis species, hinc malum Dæmonem cum ingenti volumine, inde tutelarem spiritum repræsentauit: & cùm iam accinctus ad sententiam Christus pronunciaturus esset, B. VIRGO supplex procumbit, reo velut patrocinatura; si nihil admodum ipsius Christi causâ vnquam feciſſet, suâ certè nonnihil præsenti ope dignum solitum esse præstare, cùm Rosarium precando identidem percurreret: itaque eam ob rem nonnullam pœnitentiæ moram indulgeri. Quæ res sic hominem perculit, vt secuta è vestigio de tota vita Confessio, & concepta singularis in VIRGINEM pietas, visum non vanum sed DEI nutu, (qui somno æquè ac vigilia in nostrum bonum vti potest) immissum demonstraret.

X. DIVIONE sub ruinosis tectis magnáque rei domesticæ angustia diu vixêre Nostri: nunc tādem commodis omnes cubiculis ac scholis non inelegantibus vtuntur. Fabricam promouêre, suâ beneficentiâ Burgundiæ Comitia, quæ ad mille ducentos aureos in hoc opus destinatos priore triennio, addidêre hoc anno operi perficiundo quadringentos. Nostri ab instituto deflexêre ne latum quidem vnguem, alieniſſimo etiam tempore, quo per totam Galliam nomen nostrum

noſtrum miſerè indignéque lacerabatur. Scholæ capiunt auditores fermè octingentos, à quibus exhibita in oculis Comitiorum Tragœdia, S. Benignus Burgundionum Diuus tutelaris & Apoſtolus à primis penè naſcentis huius Eccleſiæ incunabulis. Excepit actionem ſolemnis præmiorum diſtributio à noſtro in Gallias reditu prima, quam ſuâ ornauit præſentiâ Dominus De Bellegarde Prouinciæ præfectus & magnus Franciæ Hyparchus, cùm munerariæ pompæ largitor ipſe locupletiſſimus, tum ſpectator totius apparatûs aſſiduus. Neque ſatis habuit bene de Muſis mereri, ſi non ſuas ad inchoatum iam dudum à fundamentis templum noſtrum cogitationes conuerteret. Itaque cùm iam antea ducentos ſupra mille nummos aureos, vt ſignificatum eſt aliàs, ad partem illam ædis deſtinâſſet, quæ ſummum complectitur altare, concamerationem etiam, quæ ſupereſt, proximo vere perficiendam eximiâ in nos propenſiſſimáque beneuolentiâ ſuſcepit.

XI. CATECHESIS ſolitum in vrbe habet progreſſum: in pagis famem diuini verbi excitat ingentem. Frequens è foro concurrit ſenatus populúſque ad noſtrum Concionatorem audiendum: ita alij libidines ſuas damnant, alij hæreſes: alij impias diuturnáſq; in ſceleribus obſtinationes: ita complures curandos paſcendóſq; pauperes ſuſcipiunt; quæ pietas vt diuturnior eſſet, & ægrotis etiam vtilis, induſtriâ Eccleſiaſtæ noſtri factum eſt, vt alternos dies ponerent Matronæ binæ in adeundis decumbentibus, iiſque neceſſaria

Digitized by Google

ceſſaria ſubminiſtrarent.. Trecentæ à principio ferè ad tam pium opus nomina dedêre. Quædã Dæmonis afflata veneno bis ad pectus applicuerat cultellum; ſæpius præcipitio ſe perdere meditata, Sacramentorum virtute & Confeſſarij monitis nefariũ ſcelus eſt deteſtata. Laqueum infelicem abiecit alia: alia à matre impia ad quæſtum corpore faciendum miſſa, ad Sacerdotem noſtrum deflexit, & quas totâ vitâ contraxiſſet ſordes, aquis pœnitentiæ abluit. Matronæ alij reſtitutus filius vnicus non ſine miraculo, quod ipſi cenſuerunt medici. Dum enim de ſepultura adoleſcentis iam depoſiti cogitarent alij, vel Noſtri precibus ſuis, quas pro eo tum fundebant, vel certè B. VIRGINIS imago ex Montacutana arbore exciſa, eiúſque collo appenſa, tantum apud DEVM potuit, vt inſperatò reualeſceret. Eiuſdem Montacutanæ VIRGINIS implorata ope Noſter etiam aliquis ex præſenti aquarum inundantium periculo ſeſe expediuit. Puellis magni ſæpe animi ad virtutem per Noſtros additi: fuerunt quæ artibus magicis quaſſæ non ceſsêre lenonibus: quæ nec herili quidem imperio adigi poſſent, vt cibis ab Eccleſia vetitis ſe contaminarent; tametſi earum vna totos quindecim dies præter panem cum frigida ad vitam conſeruandam nil acciperet. Et habuit æmulas in eo genere puellas domeſticas: quinquennem præſertim vnam, quæ præceptum parentis Eccleſiæ longè poſthabendum cenſuit. Quinque ſupra viginti aliæ intra perpetua Religioſæ familiæ ſepta

Digitized by Google

ſepta florem Virginitatis Chriſto ritè dicaturæ concederent, ſi pluses in vrbe aſpirantibus ad viam Crucis regiam domus eſſent erectæ.

XII. DOLÆ Diſcipulorum numerus ad nongẽtos excreuit. Deuinctiq; ſunt nobis apprimè parentes, eorum præcipuè, quibus diſciplinam in Contubernio tradimus. Nonnemo certè in ciuitate primarius, cuius filium propè perditum ad frugem reuocauimus, nullum penè finem facit Ieſuitarum in tractãda iuuentute induſtriam de prædicandi. Supellectilem ſacram locupletarunt amici liberales, quorum nec in Bacchanaliorum triduana celebritate deſiderata pietas, nec beneficentia. Sed alia perſequor. Ipſo tempore cõcionis vrbanus iuuenis dum ad noſtrum templum catapultam explodere apparat, à Parthenio monetur, ne intempeſtiuo ſtrepitu negotium tam vtile & pium interturbet: abnuit ille, inſtátque operi, ſed ſuo malo: nam protinus manum rupta fiſtula diſiecit, & meritas ab incauto pœnas ſumpſit, temeritatem ſuam non diffitente. Cæterum iuuentutis Dolanæ valde commendanda pietas; illo præſertim tempore, quod Chriſti natale præcedit, religioſiúſque ab Eccleſia obſeruatur. Erant primi Ordinis Alumni aliquot, qui nullum à pœna immunem effluere diem patiebantur: vel enim veſtem ſibi detrahebant, vt paleæ indormirent: vel inediâ aut flagello dolorem ſibi conciebant: atque vt altiùs in mentem deſcenderet DEI naſcentis cum pari moleſtia paupertas, in ſtabulo quotidie preces aliquas fundebant.

Digitized by Google

Par fratrum sanè pernobile, cùm ad Comœdum, turpitudinis & corruptelæ artificem, à suo Pædagogo sollicitarentur; ipso meliores discipuli negant integrum sibi esse (præceptore, quo vtebantur in nostro Gymnasio, auctore) aures inquinare scenicis, & ad pestem morum inuentis sordibus. Interceſsêre pauci dies, cùm mater, vt fit, in corona responsum illud filiorum non sine voluptate refert; audit vir nobilis, qui dum Comœdiarum patrocinium susscipit, Iesuitas insectatur, qui verborum iaculis honestas & concessas, vt ipse volebat, è suggestis perperâ damnarent voluptates. Cui fratrum illorum natu minor octo annorum tum fortè adolescentulus pro nostra caussa opponit factum nuper à muliere personâ vel impudentium oculis impudentissimum; ad quod rubore suffusus patronus ille vanitatis silentio caussam non bonam deserere, maluit, quàm loquendo facere deteriorem.

XIII. SODALITII maioris disciplina laxior, P. Prouincialis iussu hoc anno fuit astringenda. Interrogatus Præses, qui Senatûs est caput, idémq; Sodalis, quidnam super eo decreto videretur, respondit & id se plurimùm probare, & non aliter secum agi velle, quàm cum aliquo alio è multis. Principi iuuentutis (qui honos iuuenum suffragijs hîc Dolæ tribuitur) hydrope totum corpus intumescenti, & calculi doloribus incredibile quantum excruciato B. IGNATIVS noster succurrit. Suasu enim illius, qui ægrotantis peccata audiebat, eidem votum nuncupârat, ex quo repente morbo leuari, mitiúsq; habere visus est.

Ancilla

Digitized by Google

Ancilla quædam in ponte ſublicio, qui portæ vrbis adiacet, inciderat in iuuenem; cuius dum oſculaturi petulantiam declinare ſatagit, veſtigio fallente in ſubiectam altámque foſſam præceps ruit; ſurrexit tamen incolumis & illæſa, quod totum agno cereo, quem è collo geſtabat pendentem, adſcripſerunt. Vinctis Collegij opera non defuit. Nobilis capite plectendus irâ in deſperationem versâ omnium Sanctorum mentionem reſpuebat; pœnarum, quæ ſuis criminibus apud inferos debebantur, omnino ſecurus. Euocatur è Noſtris vnus, qui ſuæ ſalutis prodigum, ſui admoneat. Tres circiter horas acriter pugnatum, & repugnatum, dum tandem veritati datæ manus, conuictúſque reus ac vitæ ſuperioris pertæſus, vltro vindici gladio collum ſubiecit.

XIV. NE verò ipſis vacationum ferijs feriarentur Noſtri, itum eſt accitu Curionis ad montem Iura (qui mons aliqua pars eſt Sequanorum) vbi lecto diplomate Pontificio, quo Miſſionum noſtrarum auctoritas cõtinetur, facilè fuit Sequanos erudire; quorum hoc eſt ingenium, vt ad omnia religionis officia promptos ſeſe exhibeant, propoſita ſola impunitatis ſpe à morte ſecuturæ.

Quare incredibilis omnium ordinum ad Noſtros fuit concurſus, vt in ſummouenda turba plus eſſet laboris, quàm in perpurgandis conſcientijs. Recolebantur vitæ ſuperioris errata omnia; cúmq; obijceremus, non poſſe nos tantum illis otij tribuere, negabant aliter ſe poſſe

Digitized by Google

animorum tempestates compescere. Et cùm auxiliarem Sacerdotum inquilinorum manum assumpsissemus, Parochi etiam cuiusdam, hominis eruditi satis & pij (semel enim excultus sacris apud nos exercitijs, eadem repetere meditatur) nihilominus tamen plerique omnes instinctu, vt ipsi dicebant, conscientiæ ad Nostros confluxêre.

XV. ORGILETVM oppidum est eiusdem prouinciæ intestinis diu simultatibus infestum; de quibus certior factus Ecclesiastes noster, è suggestu rem ita inter factiones composuit, vt amicitiam mutuis congressionibus & cõuiuijs professi palàm redintegrarent. Ibidem templum conflagrârat; opúsque ædificij diu interruptum iacebat. Noster pro publicæ rei bono sese accingit, & seu stipem corrogatum, seu liberalitatem ciuium exploratum circuit, primatibus in comitatum assumptis. Cui certatim pro se quisque vel nummos, vel in sacrum vsum matronæ sindones largiuntur, quibus colligendis duodecim vix corbes sufficerant. Aliqui vt præstarent se munificos, partim Sacrificiorum trabeas, partim pensiles magnique pretij lychnuchos obtulêre. Quo factum, vt intermissa fabrica resumi potuerit, & continuari. Suburbanus ager sacellum habet in collem coniectum, cuius auctor extiterat aliquot ante annos è Nostris vnus; quod vt magis excoleretur, in ipsa via paribus interuallis septem pilas excitauit priuatorum liberalitas, hortante Nostro, CHRISTI monumentis religiosas: quò & publicè

blicè ſupplicatum iam eſt à vicinis pagis, maximè poſtquam intellectum eſt, pilarum vni inſertum piaculare numiſma. Alijs præterea in vrbibus curatum, vt elegantiori pegmate Sacratiſſima Hoſtia condereturꝫ; vt putreſcens tibia pauperi curando magno ſumptu reſcinderetur; vt qui magicâ membranâ ad ſedecim annos contra omnia tela fuiſſet abuſus, comburi pateretur; ne mulier denique morbis pellendis ſuperſtitioſè dedita, impunè poſthac idem auderet.

COLLEGIVM BISVNTINVM.

XVI. REVERENDISSIMVS, illuſtriſſimúſque Archiepiſcopus & Princeps D. Richardoti⁹, cùm recèns ab Atrebatenſi cathedra ad Metropolitanam ſedem Cameracenſem proficiſceretur, à ſchoſis Biſuntinis vario carmine exceptus pretioſam admodum pro Sacerdote veſtem noſtro templo dedicauit. Ciues ipſi nihilo parciùs in Societatem animati eleemoſynis identidem nos adiuuant: & Domini Gubernatores conditores huius Collegij luculenta hoc quoq; anno nobis præſtitêre beneficia: aureos enim minimùm ſexcentos in graduum fabricam, quibus ad ampliſſimam aulam aſcenditur, contulerunt; cúmque expoſtularent eâ cauſsâ viri quidam populares, dicerénteq; Collegiũ noſtrũ eſſe oneri ciuitati tot ſumptibus, & prope iam ad ſeditionem res deueniſſet quorundam maleuolorum factionibus,

nibus, DD. Gubernatores ita Societatem tutati sunt, vt seditiosis illis silentium imperarint, nobis pro strenuè nauata adhuc ciuibus opera egerint gratias: postea verò vt cumulatius esset beneficium, etiam Anticotonum, famosum illum libellum, & alios eiusdem piperis cucullos, quos nonnulli clam in ciuitatem importarant, edicto publico, voce præconis, grauissimisq; adeò propositis pœnis proscriptos damnarint. Et cùm vicina huic vrbi Vniuersitas tentasset hoc anno scholas tam Theologicas quàm Philosophicas, interposita etiam summi Pontificis auctoritate, Vesuntinis adimere, quid non egêre ijdem optimi magnates? quid non agunt etiamnum, non modò vt retineant pristinum splendorem Collegij, verùm vt in dies etiam amplificent? Hæc autem Nostri è multis pauca decerpta in gratiarum vicem quodammodo reposuerunt.

XVII. CVM Reuerendissimus initiator Corinthiorum Archiepiscopus Abbatiam S. Vincentij, Ordinisque D. Benedicti in antiquam disciplinam restituere, & Congregationi Cassinensi, quæ in Lotharingia nunc viget, aggregare laboraret, Nostri consilio, precibus, fauoréque apud primarios ciuitatis sedulò rem tam diu adiuuerunt, donec (quæ DEO laus) ex animi sententia successit. Boni Patres iam in Societate nostra secundùm DEVM spem suam repositam habent; & ex eadem D. Benedicti familia alius quidam Antistes in suo Monasterio idem meditatur, qui & apud nos iam spiritualibus per mensem exercitijs sese informandum dedit. Monasterio item

Fratrum

Digitized by Google

Fratrum Conuẽtualium S. Franciſci, quod Collegio noſtro finitimum, porrecta à Noſtris manus, & ad officium incitati, quos in diuerſa egerat liberior viuendi conſuetudo: adiuti & adoleſcentes ex eodem Cœnobio, tãto in literis progreſſu, vt miratus iuuenum induſtriam Ordinis Generalis Noſtrorúmque ſimul beneuolẽtiam, & vicini Collegij opportunitate adductus, Seminarium Prouinciæ hîc deſignarit, iámque lectiſſimam iuuentutem curarit mittendam non ſine commẽdatione & grata Societatis memoria. Neque D. Claræ Monaſterio minùs promptè nauata opera, cui & pax domi reddita, & effectum inſuper, vt (quod fuerat negotiũ ab annis ferè decem) iam tandem admittantur hortationes, quæ modò à Patribus Capucinis, modò à Noſtris ad religioſas virgines habeantur: tantíque hanc Societatis charitatem faciunt, vt Collegij Veſuntini Patres omnium bonorum operum ſuorum participes in poſterum eſſe velint, ac propterea in choro quotidie peculiaria pro Societate ſuffragia perſoluant. Paroeciæ cõſuetis non deſtituuntur officijs: Sodalitati Venerabilis Sacramenti, quæ antiquari paulatim videbatur, nouæ per Noſtros conditæ leges, immunitates impetratæ: & tertia quæque menſis Dominica Auguſtiſſimo Sacramento dicata; quà adorandum exponitur Chriſti Corpus; circumfertur proſequente Sacerdotum choro; auditur concio; diuina myſteria percipiuntur. Matronarum pietas in pauperes & ægros clara eſt, quos ope operáq; communi iuuant inſigni charitatis

Digitized by Google

ritatis exemplo. E luto turpitudinis puellæ viginti, & hæreſcos totidem viri extracti.

XIIX. IN IMAGINEM B. VIRGINIS ſuperiorum annorum cultus etiamnum viget, quam in ara maiore noſtri templi venerandam propoſuimus: eius aliquot ſunt in miſeros beneficia. Grauidam quandam mulierem quidam malè ſanus ſecuri in caput impacta humi afflixerat, ac proculcarat DEI hominúmq; ſuppetias implorantẽ. Sola mors reſtabat matri, aut fœtui ſaltẽ de Chirurgorum ſententia: ſed voto B. VIRGINI nuncupato vtriq; iam vita ſoſpes. Ciuis cuiuſdam filius diuturno morbo afflictatus Chirurgorum manibus ſatis aſperè tractabatur; ídq; irrito conatu. Pater etſi hoc filij languore & ipſe langueret in dies, nihil tamen remittebat de cura inquirendi peritioris alicuius Chirurgi: quem vbi demum ſe reperiſſe putat, rogat nulli parcat operę, quá filiũ perſanet. Hic à prioris Chirurgi ſentẽtia omnino alienus nouum intẽtat ægro cruciatum, diémq; dicit faciũdo vulneri. Pater interim confugit ad preces, opémq; B. VIRGINIS, Noſtros ac Sodales Parthenios adhibet deprecatores. Non eſt fraudatus ſpe ſuâ: quo enim die ſubijciendus erat æger ferro, ita conualuit, vt carnificinâ illâ opus minimè fuerit; qui nunc adoleſcens valetudinem ſuam omnẽ VIRGINI acceptam refert. Redierat alius tres & viginti annos natus peregrè, tibijs crebro vlcere ſcatẽtibus, ſed & cancro obſeſſus, cui curãdo cum Chirurgi negarent ſe pares eſſe, mater populare, qui iam hic obtinet, ſecuta morem, oblato cereo, & ante B. VIRGI-

Digitized by Google

VIRGINIS effigiem accenſo, cœleſtem opẽ flagitare cœpit: impetraſſe, perſanato filio ſenſit. Retulit quædã, ſe quatuor omnino menſes grauiſſimo vexatam morbo, poſtquam eidem Virgini Matri ſeſe ardentiùs cõmendaſſet, cereámque vouiſſet candelam, ſtatim conualuiſſe. Idem eodem penè tempore teſtatæ ſunt aliæ voto eidem Virgini ſoſpitæ nuncupato, vt crebra anathemata & votiua donaria ex altari ſuſpenſa teſtantur.

XIX. EX CATECHISMI ſemente, qui quaque hebdomade in templo noſtro explicatur, hanc ſiue herbulã, ſiue ſpicam excerpſimus; vel Chriſtus potiùs in ſuum horreũ condidit. Quadrima puellula, cùm ſociã audiret verba quædã cœleſtem paradiſum ſpirantia memoriæ cauſsa recitantem, adeò tenaciter illa apprehẽdit animo, vt & publicè eadẽ ſtupentibus omnibus redderet, vocẽ præeuntis quaſi Echo ſubſecuta, & paſſim illa ipſa omnibus inculcaret. Cõtigit eam paulò pòſt tredecim dierũ morbo conflictari, ac tandẽ mori: cuius ſolidã in laudem illud paſſim audiebatur; *puellã obijſſe, quæ tantopere cœlum deſiderabat.* Quærebatur ex illa paulò ante mortẽ, num lubens excederet? *verè ac perlubens* reſpondebat: quin & contextã è floribus corollam poſtulauit; cauſsámq; ſciſcitantibus, *vt ornatior*, inquit, *cœlũ ingrediar.* Cùm in ſomno, quem tenuẽ tunc carpebat, ſubridentẽ aſtantes animaduerterẽt, cauſsáſque risûs varij varias darent, fuit quæ diceret, infantes aſpectu Angelorum bonorum interdũ frui; ad quod excitata puella, voce ſeria ſubiecit;

Verè

Digitized by Google

Verè verè Angelos video: en illos ipsos. Recenſebat poſtea eos, pro quibus eſſet in cœlo precatura; & ea nocte, qua expirauit, rogata, num memor foret eorum verborum, quibus à DEO cœleſtem patriam ſubinde expoſcere conſuêſſet, ea ipſa confeſtim expreſſit tanto ſenſu pietatis, vt beata mors breui pòſt ſecuta meritò potuerit eius precationis effectus cenſeri. Verba autem, quibus vtebatur, eiuſmodi ſunt; *DEVS bone quàm pulchra eſt cœleſtis habitatio, quàm ſordet hic mundus citerior! O Dies æternitatis ſplendidiſſime, quando tandem diſcuſſis huius vitæ nebulis, pulſiſq; tenebris illucеſces nobis! DEVS bone, vt nauſeat anima mea tam diu, dum illuc perueniо?* Optandum equidem mortis genus, vel ætate prouectis.

XX. HOC ANNO, vt & ſuperiore factum monuimus, nobiles virgines Biſuntinæ ſolemni apparatu, compoſito agmine, certatim vndique perſonâte Muſicorum ſymphonia votiuum cereum ingentem in templo noſtro B.P. IGNATIO obtulerũt, pridie videlicet Calend. Auguſti. Ipſo peruigilio contigit aliquid miraculi ſimile, ſi non miraculum. Chirurgus noſter vir pius, dum virginis cuiuſdam computreſcentem inſiſtit curare tibiam, anceps animi dubiúſque quanam ratione interiorem oſſis partem, quæ curationi officiebat, exſculperet, puellam monet, vti B. IGNATII preces ad DEVM expoſcat. Bene manè, ipſo die feſto, os, quod penè iam eminebat, facillimè educitur ſenſim, ſine ſenſu doloris: quo facto attoniti Chirurgus & puella ipſa,

ipsa, rem vt accidit, ad nos detulerunt. Eodem ipso die exierat Noster ad ignotum quendam ægrotum accersitus, cuius dum vestigat domũ, ducitur ignarus in aliam; vbi offendit hominem grauissimè ex crure laborãtem multos iam dies: negat ille se vocásse quemquam de Nostris; homo quippe illaudatæ vitæ, rerum diuinarũ ignarus, & vt erat fama, Nostris infensus iam pridem, confiteri abnuit; cui Noster; *at precare*, inquit, B. IGNATIVM, *cui solemnis hic dies ac festus est*: paret ille, preces fundit, quas potest. Mirum! discedit Pater, æger paucos post dies Nostros euocat, magnóque pietatis sensu peccata sua cõfitetur.

Infantem necdum trimulum B. Aloysij beneficio viuere dicunt, cuius & nomen puerulus in ore continuò etiamnum habet. Nam quo die in lucem exijt, ita informis erat fœtus, vt vel matrem puderet: ita nullius vitæ, vt prope desperaretur. B. VIRGINI vota quidem facta, non tamen efficacia: dixisses illi ad DEI Matrem non patere aditum, nisi per B. Aloysium. Et verò Antistita quędam simile quid obseruárat in eiusdem Beati vita; monuit illa matrem infantis, vt Aloysium apud DEI Genitricem interponeret patronum, quod alijs bene cessisse experimento nõsset. Dictum, factum, supplicatum: valétq; nunc puellus, quàm qui bellissimè.

XXI. EXIERE hoc anno Bisuntini Nostri ad vicina oppida: Graiacum, Balmam, Luxouium, Lutram, Falconerium, Villam, Lonsaunerium, alia; quibus singulis immorando ne fastidioſus

Digitized by Google

eadem toties recantem, Falconerienſes ſolùm fructus aliquos decerpſere è rarioribus. Coronatæ VIRGINIS Sodalitium eſt ibi à Noſtris inſtitutum. Confeſſionis & Communionis vſus introductus in dies augeſcit, cùm priùs vix toto anno ſacra adeuntem vidiſſes. Pro miraculo omnium ore ſpargebatur illud. Cùm grauiſſima periculoſiſſimáque lues vicina depaſceret loca ingenti multorum ſtrage, nec qui malo ſeſe effundenti opponeret, vllus eſſet: accederet præterea mixtim officiorũ negotiorúmq; cõmunicatio, intra extráq; vrbes plena periculi, & vbibique triſtis mortis imago, Noſter quadraginta horarum publicam indixit ſupplicationem, indulgentias Miſſionum promulgauit, cõciunculas coëgit interdiu, noctúque B. VIRGINIS Litanias recitari quotidie ad auertẽdam peſtem curauit, conſcientiæ examen, & meditandi non tantùm modum, ſed & ipſum vſum palàm in tẽplo propoſuit; quæ omnia & placáſſe diuinam iram, & in hominum animis non exiguam videbantur excitâſſe flammam pietatis: præſertim cùm accederet Sacerdotum etiam inſtitutio, & caſuum, qui ſunt de conſcientia, explicatio.

COLLEGIVM VIENNENSE.

XXII. FABRICA Collegij pro noſtro omniúmque bonorũ deſiderio remiſsiùs fortaſſe, pro redemptorum facultate perexigua obiectiſq; aduerſantium impedimẽtis celeriter progreditur.

Sunt

Digitized by Google

Sunt enim, qui non tam odio quàm proprijs cõmodis ducti, palàm & clanculum operi se opponunt; nec nihil iam effecêre profectò: princeps tamen contrariarum partium homo nullis quidem opibus aut dignitate, sed ingenio ad concitandam plebem facto, tam graues optimatum offensas, tam aperta popularium, cognatorum, aliorúmq; in se odia, ea procuratione cõcitauit, vt omnibus odiosus publicã lucem subterfugere, & domi in tenebris delitescere cogeretur. Et nisi obfirmato in mala caussa animo religionem omnem exclusisset, poterat aliquot ante menses diuinæ castigationis stimulum sentire. Vxore enim nuper amissa aliam cùm peteret, à puellæ necessarijs non antè necessitudinem impetrauit, quàm omnem illam de Collegio depositurũ cõtrouersiam, & iniquis in Societatem odijs abdicaturum se pacisceretur. Admisit ille quidem omnibus orantibus has nuptiarum leges, sed, vt mox patuit, animo ficto & mendaci. Itaq; decimum quintum intra diem à nuptijs, eam quoq; coniugem mors illi repentè abstulit, vt qui conditiones & pacta non seruâsset, pactorum commodo ne frueretur. Structura interim intermissa nunquam, vt potest, procedit; subsidio videlicet Senatûs Gratianopolitani, Præsulis, Gubernatoris, totiúsque nobilitatis fauore: & quod firmiori in posterum quoque munimento fore iure optimo confidimus, diuinâ prouidentiâ.

XXIII. Literarijs exercitationibus adolescẽtes collegij sensim sese efferentis famã latiùs explicant. Idib. Maijs anniuersariũ Henrici IV. diem eo in-

eo ingenij apparatu & pietatis affectu recoluêre, vt Senatus Delphinas ea in Regis demortui memoriam officia grata sibi fuisse gratijs P. Rectori perhumaniter actis testaretur. Et superis non inuitis eam funeris pompam fuisse institutam, opportuna æquè, insperatáque cœli temperies demonstrauit. Nam cùm pridie diúque antè largi imbres sese effudissent, iámque per ora vulgi iactata opinio inualuisset, inuito DEO pleraque omnia, quæ istius generis sunt, opera à nobis institui, dies exequijs dictus sereniſſimus illuxit, non sine ingenti confluentium spectatorum voluptate.

XXIV. IMPVGNATI à Cacodæmone adolescêtes aliqui varias ab eo victorias Nostris ducibus obtinuerunt: & vt vnum, cui Castimoniæ votum in libello Parthenico consignatum sigillóque munitum clypeus fuit aduersus mulierculæ cuiusdam impuræ philtra & incantationes, prætereamus, alium grauiore oppugnatione fatigatum afflictúmq; dolendo casu describemus. Fuerat hic alia in vrbe Nostrorum scholis addictus, puer ingenij bonitate, morúmque integritate Magistro suo amabilis; qui sensim exitiali profligatorum Sodalium contagione deprauatus, in peiora lapsus eò tandem deuenit, vt pestiferis magiæ illecebris captus & irretitus pessimã cum Dæmonibus malis familiaritatem contraxerit. Tum ergo quicquid dirarum eludendis oculis, fascinandis auribus, domibus effringendis, iniurijs vindicandis, cupiditatibus potiundis, alijs nequitijs exercendis inseruiebat, id omne è fœcun-

Digitized by Google

fœcunda inferorum cloaca hauriebat, & singulari dono phialam acceperat stygiâ plenã aquâ, & hydris quibusdam, infandísque monstris in exitium mortalium inuentis (vt Dæmon affirmabat,) refertam. Duos in illa disciplina annos iam exegerat miser, cùm Doctor præclarus impensæ operæ mercedem, ac velut didactron exigit, cultum sui, Christi eiurationem. Sed viuebant in iuuenis animo etiamnum Christianæ rationis & pietatis antiquæ semina: vnde & ad horrendi pacti mentionem attonitus hæsit, reique tantæ pensitandæ diem perendinum petijt. Spectris interim, minis, pollicitationibus diu noctúq; vrgetur; à quibus se expediendi hoc demum reperit consilium. Lugdunum contendit, vbi Magistrum quondam suum, cui charum se fuisse meminerat, versari inaudijt, eiúsque arbitrio potestatíq; se totum committere statuit. In via cum Dæmonibus varijs, qui spectabili forma illi se offerebant, conflixit, è re minimè fore dicentibus, adiri IESVITAM; consuli hominem, à quo exitium rebus suis immineret, & cõsilijs labes: proin morte luiturum, ab eo propositio ni desisteret. Resumpsit de prædonum timiditate animum adolescens, scisciatari ausus, cur sibi tanto tempore, DEI præsidio, ac fauore destituto pepercerint, nec mortem, quam modò tam ferociter minarentur, intulerint: cui illi, nec promptam sibi voluntatem, nec conatum defuisse responderunt, sed prohibitos inuictis magni DEI imperijs, Reginæque illius, cuius olim puer clientelæ se commisisset auctoritate coërcitos.

citos. Obstupuit oppidò iuuenis admirabilem Clementissimæ VIRGINIS in se charitatē, cuius à complexu præsidióq; necdum se depulsum audiebat, cùm ipse tamen ab illius castris transfuga Sodalitij legibus contēptis & MARIAM Matrē & virtutē omnem ab animo suo depulisset. Hoc dicto, tametsi ab hoste profecto, in spem VIRGINIS conciliandæ DEIq; placandi erectus, cœptâ viâ pergit; Magistrū illum suum Viennæ, vbi docebat, reperit; animum, angustias, peccata exponit; ingenti lachrimarum vi, pœnitudinisq; acerbitate diluit; Characteres, phialam, philtra & amuleta nefanda P. Rectori tradit, tandémq; excussis penitus ex animo tenebris ad diuinæ gratiæ lumen virtutisque amorem redit; & magnam inde conscientiæ post tantos fluctus ac procellas indipiscitur tranquillitatem.

XXV. EORVM iam hominum, qui custodiâ detinentur publicâ, curam susceperē in hac vrbe matronæ lautiores, quæ Societate non ita pridem inita, carceri diebus singulis apparatum prandium inferunt: in eum verò numerum breuissimo tempore illud excreuit Sodalitium, vt alij aliâ in hac pietatis versurâ succedente, vix sesquimensis spatio circumducatur orbis. Ad ægrotos accursum etiam ex vrbe. Semel ad matronam in castello duodecim milliaribus ab vrbe, desperato lethargo decumbentem; quæ ad Patris nostri aspectum, alloquiúmque reuixisse, visa, breui tempore conualuit, argenteámque Eucharistiæ asseruandæ thecam cum palliolo pretioso ædi nostræ dedicauit.

Cum

Digitized by Google

Cum nobili alia matrona pari cura, licet impari valetudinis successu, sub idem tempus actũ, quæ cùm in B. P. IGNATIVM eximio affectu ferretur, sub ipsum vitæ terminum, eundem sibi cũ quinq. alijs Socijs manifesta in luce conspectum fuisse nemorabat; augustiorem quidem illum, clariorémque multò, quàm vel comites fuissent, vel ipse à pictoribus soleret repræsentari: quem quòd pro se preces apud sumum Iudicem aduertisset offerentẽ, ideo spe magna teneri, eo se patrono ducéq; ad tribunal cœleste deferendam. Porrò Viennensiũ in eundẽ B. Parentẽ religio vehemẽter in dies inflammatur, & ipse Diu⁹ obsequẽtẽ populũ frequẽtibus beneficijs in sui cultu cõseruare velle videtur. Duo triavé selegi è plurib⁹.

XXVI. Sexto Calend. Mart. festo Annunciatæ VIRGINI (quo die Cõgregatio è Rhetorices angustiore schola in amplioré paulò aulã est translata) honestæ sortis mulier P. Rectori gratulabũda memorauit, se dudum adolescentẽ cum ętatis florentis viro septem annos conuixisse sterilem, ideóq; matrimonij optato destitutã fructu, magnis à DEO votis prolem sępenumero flagitâsse, nec auditam esse, dum tandẽ superiore anno IGNATIO decreti ab Ecclesia beatitatis honores vulgarentur: cùm enim iam immineret dies illi festa primùm celebranda, à Nostrorũ quodam monitam à Beato prolẽ nũcupato voto & petisse, & sub finem insequẽtis Iulij magno cognatorũ gaudio & gratulatione impetrâsse. Quod B. Patris factũ tam constanti fide liquet, vt licuerit P. Rectori, si expedire censuisset, in tabulas totius familiæ sa-

Digitized by Google

cramento obsignatas coram Archiepiscopo referre. Matrona alia partûs difficultate eò angustiarum iam deuenerat, vt desperatis rebus ecãdus vterus videretur. Aberat incommodùm vir eius peregrè, publicæ reíque nostræ caussâ.

Quare dum chirurgi gladiolos apparant, & ferrum acuunt in miserandam parturientis cædem, decurritur ad nos, subsidia precumexpetuntur, lipsana B. IGNATII accipiuntur. Quæ vbi præ multitudine circumstantium vix applicari potuére matri tantùm non expiranti, nullo ferè chirurgi negotio, lapsu subito (cùm antea tres totis viribus in extrahendo fœtu laborarent fruſtra) puellus excidit: obtritus ille quidem & distortus, sed cuius in corpusculo animam baptismo tingendam diuina bonitas per IGNATII merita reseruàsset, Matri vitam longiorem concessisset. Ingens ex hoc facto desiderium incessit omnes, præsertim matronas, reliquiarum IGNATII, imaginúmque petendarum: nec nullis profectò sacræ illius effigies fuére salutiferæ. Taceo adolescentem, quem è mortis faucibus tali reuocatum amuleto palàm est. Archiepiscopus VII. Calendas Februarias potionem hauserat: sed cùm aliquantum, ad eam vtpote inefficacem & in stomacho torpentem commouendam, inambulásset, inclinata tandem die quiescentem acuti viscerum dolores excepêre. Ita vero intestinis illis torminibus noctem integram assidente medico vexatus, effigiem B. Patris, quam à nostro Rectore aliquot ante dies typis æneis expressam acceperat, ad se ferri iubet; quam intuitus

Digitized by Google

cultus cum vehementi gemitu, à Beato vel doloris sufferendo vires, vel leniendo medicinam exposcit. Facta petitione cùm remittere breui dolores sensisset, disuriâ videlicet, quæ mali caussa erat, solutâ, in primam restitutus valetudinem, tabellam B. IGNATII ad ceruical defigi voluit, quò etiam in lectulo secum haberet medicũ, cuius pia contemplatione & animum pasceret, & in omni morbo (articulorum in primis, quo importunè affligitur) experiretur lenimentum.

XXVII. ANIMORVM curationes pacificationésque à Nostris factæ sunt complures: in vrbe quidem duo dissidia atrociora feliciter finita; Patris cum filio, & Vitrici cum priuigno. Hic adolescens patrati sceleris in eum, quem parentis loco habere debuisset, caussam facilè agnouit non aliam extitisse, quàm quòd B. VIRGINIS Sodalitio, cui primis annis se addixerat, nuntiũ imprudens remisisset, ideóque in Partheniorum albũ denuò referri postulauit, quo mutatis moribus dignam modesto Sodali vitam institueret. Mercatores duo, Campani natione, dum venalia per regiones exteras mercimonia circumferunt, à latronibus intercepti, spoliati bonis, plagis grauiter mulctati, in eam mentis consternatæ caliginem præ doloris impotentia deuoluti sunt, vti finem tot ærumnis nece sibi violenter illatæ facere decernerent. Et laborabat Dæmon, vt conceptum animis scelus in opus iret, quos idcirco spectris frequenter, & diris suasionibus non segniter impellebat. Eorum alter, qui ab honestiore fortunæ exciderat, ter quaterve in

Digitized by Google

Rhodanum se dedisset, aut inedia cõfeciſſet, niſi DEIPARÆ beneficio, piarúmq; matronarũ ope ſeruat⁹ eſſet. Vtrumq; Noſtri Sacramẽtis expiárunt, humaníſq; præſidijs confirmatos, contentóſq; domũ remiſerunt. Muliercula item duriſſimis mariti efferata moribus è prærupta rupe in voraginem torrentis deſperabunda ſe deiecerat: ſed quòd ex aſſuetudine ante præcipitationem crucis ſe ſigno firmáſſet, DEIPARÆq; VIRGINIS auxilium in ipſo caſu implorásſet, incolumis per crepidinem deuoluta, à vicinis reperta, domum ducta, Noſtríque aduolantis ope, menti, DEO, coniugíque reſtituta eſt.

COLLEGIVM EBRE-DVNENSE.

XXIIX. ADOLESCENTVM, qui ad ducentos ſexaginta hîc ſcholas frequẽtant, indoles nõ minùs ad literas, quàm ad pietatẽ propenſa, multis ſe modis cõmendat. Duodecim annorũ puerulus tantum in infima claſſe profecit, vt æquálem ſuum non ignobilẽ genere, ſed religione Caluinianũ perpulerit ad hæreſeos deteſtationẽ, Catholicæ fidei profeſſionẽ. Nec is puerilis quidam ludus fuit, aut leuitas, cùm alter nullis parentis minis adduci potuerit, vt hæreticas ampliùs cõciones audiret: quin potiùs victo patre (cui ſe vel morte propoſita parere poſſe, vbi de fide ageretur, negauit) noſter iam auditor eſſe cœperit. Puelli hoc facinus: puellæ iſtud. Eam Noſtris confiteri ſolitam adoleſcens hæreticus deperibat

Digitized by Google

peribat ad nuptias, non sine muneribus parentúmq; suorũ impulsu. Spondet illa admissuram maritum, vbi maturũ foret, sed spõsionem hanc subsecuta mox est pœnitudo, statuitq; ex Confessarij consilio, nihil cum homine cõmercij habere, nisi ex hæretico fieret Catholicus. Ne fieret autem vel illud obstabat plurimũ, quòd iam pestiferę sectæ Minister, non ignarus futuri connubij, iureiurando astrinxerit iuuenem, ne vxorem religionem à sua alienam contractis nuptijs pateretur profiteri. Verùm puellæ constantia dissiecit istas machinas, quæ sic egit cum amante, vt hæresin apud eundem Cõfessarium & ipse eiurauerit, & iam cum coniuge inuitis licet eius sectæ primoribus Catholicè viuere perseueret.

XXIX. NON ita egerat alia quæpiam, quæ temeritatis suæ pœnam proinde sustinuit. Fidem scilicet acceperat à Caluiniano marito, nihil sibi impedimento futurũ, quo minùs auitã religionem, quoad vellet, sequeretur: sed perfidus, nuptiarũ deinde compos, irrito promisso cogit miseram trienniũ totum Ecclesiæ carere subsidijs, Sacramentísq;, quibus antea vti cõsueuerat. Sic oppressã pietatem DEVS tñ non destituit. Ergo imittit mulieri grauem morbum: quo cùm acerbissimè cõflictaretur, suprema sibi horam adesse rata, postulat è Nostris aliquẽ, qui se audiat cõfitentem. Impigrè Noster eò se confert: sed ecce à marito agere cum ægrota prohibetur. Conuenit Pater Magistratũ, ac rem totã edocet. Magistratus, vtpote Catholicus, hominẽ cõpescit, efficitque,

Digitized by Google

que, vt qui se constringi auctoritate publica iam sentiret, Sacerdotem mitteret accersitum. Reuocatus itaque Confessarius reperit vocis ac linguæ vsu destitutam, & extremo cum halitu colluctantem. Hic ægrotæ pectori sacras reliquias, quas fortè secum detulerat, non cunctanter admouet, inde sensim redire calor ad corporis semimortui officia, vires instaurari, & fandi copia fieri, cui paulò antè vox penitus obtorpuerat. Excipitur eius confessio, eáque exactâ habere, meliùs non modò cœpit, sed breui omnino conualuit, iámque viro nihil impediente, pro arbitrio suo viuere, pietatíque seruire permittitur. Eodem ferè modo, quo mulieri huic, viro cuidã restituta salus est. Abiectâ ille Catholicâ disciplinâ annos octo è Caluini præscripto vixerat, vel cõmodis delinitus, quæ ab hominibus istius sectæ percipiebat; vel metu retentus, ne in Hæreticorum eorum, quos vrbis primores agnoscebat, offensam incideret; quæ apud illum causæ rationum loco habitæ, tantam in eius animo vim obtinuerũt, vt neq; consanguineorũ precibus, neq; Nostrorum operâ deduci ab ea mente posset. Verũm, quod momẽta duo ad persuadẽdum aptissima impetrare nequiuerant, hoc vis morbi scilicet & salutis periculum extorserunt. Grauissimè decũbenti instant affines Catholici, multísque verbis exhortantur, dum spiritûs aliquid supereſt, & animus adhuc in ipsâ decessûs cunctatione, seipsum respiciat, salutíq; propriæ consuli permittat. Aures tandem sanis monitioni-

nitionibus accommodãtur, vocatur vnus è Nostris, confitetur ille multis cum lachrimis, & sacrum accipit viaticũ, quo recreatus, statim sensit obortam animo lucem redire diuinitus, affectóque corpori leuationem, adeóque morbo indies remittente è moribundo planè sanus, ex hæretico efficitur Catholicus: eo etiam euentu lætus, & recepta in fide confirmatus, quòd res ipsa familiaris quotidianis antea detrimentis afflictata, aspirante iam cœlesti Numine bellè cedit. Parùm iucundum hoc Ecclesiæ perduellibus: quod sequitur, etiam admirandum. Matrona nobilis laxatis impudicitiæ habenis tam profundum in gurgitem obscœnarum voluptatum imersérat sese, duodecim vt annis ipsis extrahi à quoquam nequiret; nec illam ad resipiscẽdum ignominia propria, familiævé labes à cõtagione tam fœda auocare sufficeret. Hæc Sacerdotis nostri suasu, superioris vitæ dedecus ita auersata est, vt si non omnes contractæ famæ maculas eluere potuerit, at certè non minimam turpitudinis partem absterserit, laudem quoque non mediocrem consecuta sit; vt ipsorum adeò Hæreticorum incesserit animos admiratio secum reputantium, quantum momenti habeat prudens Catholicorum institutio ad effrenes appetitus cohibendos, humanam imbecillitatem stabiliendam, & inolitæ olim consuetudinis tenax vinculum abrumpendum.

XXX. ABACTVS hinc veterator suis cum illecebris alia arte duos coniuges adoritur, sparso inter ipsos dissidiorum semine. Adeò non æquis

quis secum animis agere poterant, vt mutuus aspectus oculos inuicem offenderet, & odij flammas quotidie magis magísq; accēderet. Ea re attoniti Nostrum aliquem cōuenire statuunt, negotium exponunt, quídque sit opus facto, sciscitantur. Suadet Pater, animos vt expient Confessionis Eucharistiæque mysterijs, quibus haud præsentius ægris mentibus remedium inueniatur: tum etiam cereos agnos è collo suspendant, præsidio ipsis futuros aduersus hostis humani generis petitiones. Morem gerunt consilio, & intestini odij plagas continuò mirantur obductas. Sed ecce non ita multò pòst, quò fieret sacræ ceræ vis manifestior, viro non aduertenti suum illud munimentū fortuitò intercidit. Adest cōfestim excussus hostis; qui vbi nudum atq; inermem, quasi amisso clypeo offendit hominem, venenatū intorquet iaculum, & pristinū inimicitiæ virus instillat præcordijs. Recrudescit inde malū, Caussam exquirenti subit animū recordatio agni cerei; quem vt amisisse se cōperit, scrutatus angulos omnes, tandem inuentum recìpit; recepto pestis animi momento citiùs euanescit.

XXXI. AD HÆRETICOS reuertor, quorū famuli cōplures apud nos confessi Quadragesimæ tēpus totum pane contenti traduxerunt, ne cibis Dominorū vetitis inficerentur. Hæretici parentis filia, pio à nobis accepto libro ad fidem est conuersa. Multi, quos pudor arcuerat à Confessione pluribus annis, Catechistarum solertiâ ad officiū sunt reuocati. A viginti vsq; milliaribus exonerandæ cōscientiæ causâ accurrit nō nemo.

Reli-

Digitized by Google

Religionem Catholicã meditabatur puella defunctis parẽtibus hæreticis, per quos, dum viuerent, eam viam ingredi minimè illi licebat: sed & hoc vinculo exolutam ſtygius prædo alia cõpede retinebat; auũculi nimirũ item Hæretici metum ſubinde faciebat; quem illa vt elideret, conſcientiæ ſtimulis acta, Noſtrum aliquem conuenit, à quo contrà impium timorem confirmata, cùm ſe domum recepiſſet, inſequenti nocte non ſopitis ſenſibus ſuíque compos videt Patrem ſuum horrendo ſpectaculo flagrantem igne, mœſtis vocibus adhortantem, ne fidem Catholicam capeſſere cunctaretur: ſe quippe ſubiectũ ijs tormentis, quæ ipſa cerneret, cruciari propterea, quòd ab auita religione eáque Catholica deſciuiſſet. Poſtridie manè tanto pauore perculſa, quantum ipſa facies obſtupeſcentis viſo tam terribili facilè proderet intuentibus, ad ſacellum noſtrum accurrit, & ſciſcitanti Confeſſario, quid rei eſſet, trepida ac tremens vocem, identidem interſecantibus ſingultibus, quod viderat & audierat, expoſuit. Ex eo itaque die, poſthabita auctoritate & timore auunculi, ritu Catholico piè viuere perſiſtit.

COLLEGIVM CARPENTORACTENSE.

XXXII. MORTE ſublati duo: P. Chriſtophorꝰ Clemẽſonus quatuor vota profeſſus, qui Taraſcõ Galliæ Narbonenſis oppidum D. Marthæ Chriſti hoſpitæ reliquijs nobile miſſus concionandi gratia

gratiâ per Quadrageſimam, ipsâ ſanctioris hebdomade feriâ quartâ in morbum incidit, cõtractum, vt ferunt, ex diuturnitate laborum nunquam intermiſſorum: quippe cui ſolitum eſſet, ab exedra piaculari ad ſuggeſtũ, indidem'à ſuggeſtu ad eandem diuertere. Ad quam operis quotidiani contentionem acceſſit alia haud minor, quà feſtis diebus binas in vrbe conciones habuit, totidem aliquoties profeſtis. Morbi vis aliquot antè diebus magno animo repreſſa, inter ſacrificandum tandem iterum prævaluit adeò, vt aram deſerere, cubitúmque diſcedere cogeretur. Quantumcunque tamen ingraueſceret febris, teneri non potuit, quo minùs confitẽtibus aures daret; immò tam diu in concionandi voluntate perſtitit, quoad eum miſſus Auenione Sacerdos è Noſtris ab huius muneris religione liberum eſſe iuſſit. Hîc ille lætitia geſtiens auidiſſimè cœpit Auenionem cogitare, ob id vnum maximè, quòd ſua illorum Patrum oſſibus ſociata cuperet, quorũ cùm alias in vita virtutes, tum egregiam in cõmuni lue & vndecim etiam Sociorum ſtrage celebri cõſtantiam adamaſſet. Cogitata perfecturus videbatur, niſi obſtinatior febris lecto luctantem affixiſſet. Quæ tametſi vehementiſſimè iactaret hominem, charitati tamẽ, quà æſtuabat, nihil obſtitit. Ciuem ſiquidem eo ipſo tempore coniugi, quam is miſſam fecerat, offenſione ſublata conciliauit: alium Caluini deſertorem de Confeſſione non fruſtra monuit. Tandem trium dierum fractus doloribus, ter confeſſus, ſemel de tota, quam in Societate vixe-

Digitized by Google

vixerat, vita, omnibus sacris communitus, quartâ post paschа feriâ, anno ætatis sexagesimo tertio, initæ Societatis trigesimo octauo diem obijt. Magistratus pro suo omniúmque ciuium in ipsum amore perhonorificâ funeris pompâ non contentus, Sacerdotem eò missum rogauit, vt hominis religiosissimi, ac de se optimè in paucis meriti vitam auidissimæ concioni exponeret; quorum precibus parendum ratus Noster, Socium ita in D. Marthæ templo, vbi conditus erat, commendauit, facilè vt intelligeretur, maiorem fuisse habitam veræ ac probatæ virtutis, quàm fucatæ quæsitæque laudis rationem. Alter nobis ereptus acri vir ingenio Stephanus Seuertius tertij Ordinis in hoc Collegio professor, quem semestris inuicto obfirmatóque animo tolerata intercus aquâ, dein lenta confecit tabes. Tertium penè amisissemus, nisi planè depositum filium B. Parens noster concepto aliquot sacrificiorum ieiunijque voto ad vitam reuocâsset.

XXXIII. QVANDO autem mentio B. Patris nostri facta, pergam id commemorare, quod maximo omnibus ad eum piè colendum incitamento fuit. Huius vrbis Canonicus pius in primis erga B. Patrem, eadem luce, quæ festa illi celebrabatur, oculos in tabellam ipsius recèns expositam fortè conijcit, admonitúsque inter cætera ab eo diuinitus perfecta, partûs facilitatem numerari; *Percommode*, inquit, *accidit, vt huc venirem*. Etenim summo tum puerperij, mortísque periculo fratris vxor conflictabatur, cui cùm ardenti prece propitium reddere, ac salutarem

Digitized by Google

rem Patrem ſtuduiſſet, domum reuerſus ſummis cruciatam torminibus admonet, vti ſe infantémq; B. IGNATIO quàm impensè commendet; non defuturā vtiq; vtriuſq; votis Diui opē. Neutrius certè ſpem eluſit euentus. Vix inde pedem extulerat, cùm incolumem enixam eſſe comperit. Vnum reſtabat, quod cumulatum Matris domeſticorúmque gaudium morabatur, infans Mauro immotóque ſimilis. Dubitatur, quid in re penè prodigioſa opus facto videatur: ſalutaríne vnda tingi poſſit, an expectandum, donec ſpirare deprehendatur.

Conſultus hac de re idem Canonicus ædem noſtram cum fratre, puerperæ marito confeſtim repetit, B. Patrem ſecundò poſcit, vt bene cœptis ſummam adhibeat manum: maius haud dubiè futurum in familiam totam illuſtriúſque beneficium, ſi valetudini matris natiuam cum ſalute filio formam adderet: aliquot è Noſtris, qui præſentes aderant, ſubinde rogat, ſuas vt & ipſi preces interponere non grauentur. Huic quoque poſtulationi ſatisfactum. Interea accurrunt properè domeſtici, qui pueri ſoſpitatem Patri ac Patruo gratulati ſaluum non tantùm filium, ſed alacrem etiam ac formoſum iam eſſe nunciant.

XXXIV. IN Catecheſi maximo Optimatum concurſu celebrata reliquus ferè Noſtrorū fructus conſtitit. Ancilla hæretica ad Eccleſiā ſimul & amiſſam valetudinē operâ vnius Noſtri redijt. Alia morti proxima, cùm rem alienā hortatu Sacerdotis dominis ſuis reſtituiſſet, ſibi quoq; reſti

tuta.

Digitized by Google

tuta est. Quatuor à turpi vita ad honestiorem vocatæ. Memorabilis alicubi est data opera Antistitæ cuidam cum suis sanctimonialibus, illisq; secum ipsis conciliandis, cùm antè ne Episcopum quidem pacis auctorem admitterent.

COLLEGII VESVLANI, SEDISQVE ROANNENSIS INSTITVTIO.

XXXV. VESVLANI Collegij, Sedisq; Roannensis incunabula paulò altiùs, & ab ipso velut primo capite arcessenda censuimus. Anno partæ salutis CIↃ. IↃ. XCI. cœpta primùm de excitãdo in hac vrbe Collegio cogitatio. Eius auctor, ciuis primarius, qui in foro Vesulano procuratorem Regiũ agebat. Is vnius de Nostris tum Vesulij cõcionatoris munus obeuntis religiosa captꝰ cõsuetudine, primò vehementer hominẽ ipsum, tum nomen nostrũ vniuersum mirari cępit, eóq; pio quodã animi æstu prouectus est, vt iam cum animo suo decerneret tm̃ de facultatibus suis erogare, quantũ vel vni sat esset alendo Collegio. Res primũ, vt fit, familiaribus agitata colloquijs, tum Dolæ in consiliũ paucorũ Patrum deducta, mox Lugduni Comitijs prouincialibus tractata, postremò Romę scriptis super hac re ad P. Generalẽ Claudium Aquauiuã literis; à quo benignè tum responsũ. Datum siquidẽ negotium de ingenio loci sitúq; ac reliquis Colloquiorũ opportunitatibus recognoscendis. Sed. n. dum parum concordibus ciuiũ animis res in lõgum ducitur;

Digitized by Google

ea postmodum inciderunt tempora, quæ illam penitus afflixerũt. Ecce enim tibi bellum à Gallis graue; cuius incendio reliquæ quidem Burgundiæ partes afflatę, ista prorsum conflagrauit, totâ in eam belli mole incumbente. Capta siquidem vrbs direptáque, abducti in seruitutem ciuium præcipui, inter quos noster iste, qui grãdi pecunia sui redimendi ab hoste mulctatus, etsi consilium non abiecit, (insederat enim altiùs) vt tamen cum iacente re sua publicáque non iaceret, ipsum facere nõ potuit. Et iam anni abierant penè duo, cùm reddita vrbi vtcunq; si priuata spectes, sua facies in publicis adhuc decoloratior videbatur. Ingens siquidem æs alienum publicè contractum erat, cuius expungendi cura sollicitam meritò habebat vrbem. Quò sanè fiebat, vt versis in id vnũ animis iam segniùs velut aliena ad aures Collegij mentio accideret, præsertim cùm ciuis illius tot detrimentis acciſæ res non sufficere viderentur, nisi publicæ accessissent. Ergo cum temporum difficultatibus diutiùs sibi colluctandum minimè ratus, aliò respicere cœpit, vt saltem, quod volebat, faceret; si minùs, vbi volebat. Itaque Collegio Bisuntino, quod anno proximè superiori excitatum fuerat, facultates, quas turbine belli disiectas vtcunque reconcinnârat, addixit: sed redditæ postea, quòd obnoxiæ nimium obæratæq; forent; quibus soluendis vnus & alter annus cõsumptus est. Interea ille Societatem ipsam cogitare cœpit. Vnus obex antea fuerat vxor, quâ per id tempus mortalitate defunctâ, ipse liber se sibi Deóq; asse-

Digitized by Google

asseruit anno CIↃ. IↃC. III. quo in nomen nostrum familiámque inscriptus est. Nanceium in tirocinium priusquã proficiscereturꝰ sermonem apud Vesulanorum præcipuos habuit de commodis, quæ ex Collegijs percipiuntur; cui & liberalem suarum facultatum promissionem adiecit. Omnia tunc pronis excepta auribus & animis. Itaque scriptæ ea de re ad P. Generalem literæ, quibus ita rescripsit, vt spem in posterum non auferret potiùs, quàm daret: *Obstare enim cogitationi de nouis Collegijs erigendis, veterũ, quæ in Gallijs regio diplomate post nouennale exiliũ restituta fuerant, multitudinem.* Sed cùm ab vrgẽdo non cessaretur, his literis superuenêre aliæ, quæ Prouincialem ipsum ab incepto desistere, spémque omnem de Vesulano Collegio deponere iuberent. Id perdolitum optimo cuique ciuium; accessit & illud, quod Vesontinenses Patres in eas possessiones, de quibus sponte sua discesserant, facilè iam illo Patre & ciue Vesulano consentiente, restituti fuerunt. Hoc duplici *velut* telo grauiter percussi sunt Vesulanorũ, qui nobis bene cupiebant, animi: sed erexerunt postea illos iterum literę ab eodem Patre per Serenissimum Principem Albertum Austriacum expressæ, quibus totius rei negotium P. Prouinciali committebatur. Itaque ille, cùm iam collectitiæ pecuniæ satis operi perficiundo ex publicá priuatáque ciuium liberalitate factum esset, Vesulium venit anno CIↃ. IↃC. X. magno ciuium exceptus plausu, & lætitia, & festa quadã pompa. Placuit in primis vrbis facies, & ædificiorum

Digitized by Google

ciorum pulchritudine, & ingenio loci peramœna. Sita illa ad radices vitiferi collis, cui etiamnum à veteri superstitione nomẽ est, Martis ara. Is molli cliuo in medij milliaris altitudinẽ assurgit, donec in aream haud ita amplam se colligat, quę olim arce principali insessa fuit, subiectóque Benedictinorum monasterio nobilitata; nunc duobus Gallicis bellis nihil nisi ruinæ. Ex eius summo despectus est in planitiẽ, quà nemorũ opacitate, quà duorum fluuiorum vario errore, quà pascuorum lætitiâ iucundissimus. Ea postquam in longissimum excurrit spatium, vitiferis collibus quasi muro perpetim ducto cingitur in theatri speciem. Circumfusorum verò oppidorum tum muratorũ, tum aliorum tanta frequẽtia, vt vno corporis circumactu ex illo colle, cui vrbs adiacet, amplius centum designare possis, quorum quod remotissimum est, duarum horarum itinere aditur. Genio loci ingenia virorum paria, humanitatis, literarum, literatorúmque amãtissima, quorũ in hac vrbe copia permagna, ob Iurisdictionis amplitudinẽ dignitatémq;. Pietatis studia cum nostri nominis mentione maximè erigi cœpta; mirum enim, quantum priùs iacebant; quæ res optimũ quemq; ciuem permouebat, nihil vt omitteret, quo Societatis operarij in tam vberem messem immitterentur. Quorũ cognito Prouincialis studio, compositísq;, prout & ipsis & Societati cõmodum erat, rebus, Collegiũ scholarũ quatuor admisit. Missi huc priore anno Sacerdotes tres, Magistri totidẽ, Coadiutoréſq;. Horum pro numero fructus, adiuuante Domi-

Digitized by Google

Domino maior. Nullum non obitum ex assuetis promouēdæ pietatis exercitijs. Concionibus vrbanis, Catechismis domesticis, Confessionibus, ægrotis, captiuis nauiter data opera. Excursum in Lotharingiæ quoddam oppidū & vicinos pagos festis diebus creberrimè, vt ingēs in rusticorum animos & religionis sensus, & nostri amor sit iniectus. Deniq; factum auspicato hoc Collegij huius anno, vt versam in melius vrbis faciem omnes gaudeāt. Domo vtimur cōductitia, dum noua nobis quæritur: vetere enim Collegio nostris vsibus minùs accōmodo cessimus Virginibus, quæ nouitium quidem ab Italia institutum, sed sanè laudatissimum sub Annunciatæ, vt vocant, VIRGINIS titulo arripuerunt.

XXXVI. ROANNA mediam longè latéq; protensam planitiē, & collibus circumquaq; surgētibus cinctā occupat, castellis & oppidis pluribus in orbē collocatis tanquam mœnibus & propugnaculis gaudet: alluitur amne Ligeri; totóq; illo tēpore, quo intestinis bellorū incendijs Gallicanum regnum conflagrabat, inter tot oppidorum vicinorum deprædationes intacta perstitit, sæpius quidem appetita, sed fortiter defensa, & ab omni hæreseon contagione ita seruata, vt ne vnum quidem accolam hæreticum iam à pluribus annis patiatur. Caput est Ducatūs Roannensis: Clerum habet inculpatæ vitæ, & nobis amicū: Cœnobio Patrum Capucinorū in extrema sui parte iam pridē cōstituto, illustrata; paucísque antè diebus ampliore iurisdictione causarum ciuilium aucta: maxima tamen sibi videtur

Digitized by Google

præ multis vrbibus adepta præsidia, postquam nostrum domicilium ad alteram suam oram fixum intuetur. Habitauit illud prius, deditque Societati clarissimus vir Iacobus Cotonus, Dominus de Cheneuoux, nostri Petri Cotoni frater, & iam fundator noster: possedimus octo, tres Sacerdotes, quinque non Sacerdotes: excepit omnes ingenti gaudio & gratulatione. Domus venusta est, nostrisque vsibus percommoda, cui adiunctus hortus & fons. Pars verò, quæ in vsum scholarum cessit, tribus iam classibus extructis, & III. Nonas Nouemb. frequentari cœptis, loco ad plures erigendas vacuo distinguitur. Hinc commodè in templum paulò quidē angustius abitur; quod tutelæ S. Michaelis Archangeli commissum est III. Calend. Octobres anni huius, quem Ecclesia eiusdem dedicationi consecrauit. Priusquam huc veniſſemus, iam sacræ vestes auro argentóque graues, vasa, conopœa, trabeæ, omnísque exterior altaris apparatus aderat. Domesticis commoditatibus Prioratus Reorgiensis quarta circiter leucæ parte à nobis remotus respondet, ad alimentum corporis attributus. Bene erga nos affectos habemus omnes vicinos, à quibus ad munia Societatis euocamur, inuisimur, de conscientiæ dubijs consulimur.

Cùm nuper hîc nouus Præses crearetur, ipse, cum nonnullis causarum forensium actoribus stipatus ad sacrum, deinde ad nos accessit, rogatum, vt omnibus scholasticis in ædem conuocatis

catis hymnum Spiritûs Sancti ad eius opem ipsi postulandum decantari præciperemus. Omnisi primis vespertinis precibus, primæque concioni de nomine IESV, quibus nostrum templum personuit initio vertentis anni, tantus hominum numerus interfuit, quantus ædis sacræ ambitu coarctari potuit: longè maior adfuisset, nisi ad vitandum discrimen portâ obseratâ turbam irruentem repulissemus. Sæpissimè suadetur Nostris, vti plures Sacerdotes huc mitti curent, qui confitentibus dent operam, cùm tanta pœnitētium caterua præcipuis anni festis diebus sit, vt à mediæ noctis sacrificio vsque ad aliquot post meridiem horas, aures illis præbere oporteat; quos aliquando nec collapsa Confessarij sedes potuit arcere. Equidem ad cultum DEO præstandum gens ista procliuis, paulatim mores, quibus illius nomen apud cæteros boni sit odoris, indutura videtur. Ambimur & tribus nobilium feminarum Cœnobijs; ad quorum duo, è Nostris vocati iecrunt. Alterius Antistita, pietate iuxta ac nobilitate illustris, ingenuè fatetur, se aliud claustrum, vnde digressa est, nunquam relicturam fuisse, nisi sciuisset nos Roannæ sedem breui posituros, vnde solatia suæ solitudini posset emendicare.

DOMVS PROBATIONIS AVENIONENSIS ET LVGDVNENSIS.

XXXVII. DECEM fluxére anni, cùm primus

Digitized by Google

lapis in templo Domûs Auenionensis est positus; opúsque hoc tandem tempore DEI potissimum beneficio, tum etiam Dominæ Ludouicæ Dancezunæ illustris. feminę, aliorúmq; piorum liberalitate absolutum: adeò vt ad X. Calend. Iunias templum ab Illustriss. Archiepiscopo Stephano Dulcio è Dominicana familia ritu solemni potuerit dedicari. Læta illuxit ea dies, & iucunda tum è ciuibus optimo cuique, tum Dominæ Ludouicæ præsertim, quæ non solùm ædis bonum promouet, verum etiam Nostrorum se præbet, & omnium ferè Religiosorum ac pauperum parentem; vt cuius vita iam est remotis turbis soli DEO vacare. In Tironibus clarè perspecta non semel fuit DEI vocantis sapientia, cùm aliàs parentes inani conatu se opponerent, aliàs filiorum propositum sincero studio literísque promouerent: alijs aliæ, vt fit, DEO ita ordinante, ad Religionem fuêre apertæ viæ & occasiones: quoídam sanctimonia BB. Aloysij & Stanislai considerata, in rete Societatis vocauit. Alium parens Hæreticus Lugdunum miserat ad fratrem natu maiorem à Religione Catholica reducendum; qui spem parentis ita lusit, vt non modò Catholicus ipse, sed & Iesuita post annos aliquot sit factus. Præconem verbi putabat se genuisse pater, certè optabat: qui tamen & ipse iam de sua emendatione filium nonnihil sperare iussit.

XXXIIX. MINOR est in Lugdunensi Domo Tironum numerus, non virtus. Similia plerâque:

que: sed & foras exportata opera: domi autem ad B. P. N. commentandi modum exculti cùm Religiosi viri, tum alij. Sacerdos quidam primarius, iuxta & diues maluit apud nos primùm facere sine turbis, quàm alibi maiore cum apparatu & strepitu. Auctæ rei domesticæ angustiæ, solutis nominibus & ære, quo domus adhuc grauabatur: neque enim nobis hîc desunt amici, neque beneuolentia primariorum; quod totum DEI munus est.

††*†*
†

Digitized by Google

Numerati ſunt in hac Prouinciâ Socij ſupra quadraginta ſex, ducenti. Diem ſuum obiêre duo. Admiſsi in tirocinium duo de viginti.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores*
Toloſæ in Collegio	LXXV.	XXII.	VI.	XXXV.	XII.
Toloſæ Domo Probationis	XXXIV.	V.		XXVII.	II.
In Collegio Billomenſi	XX.	VII.	V.		VIII.
Mauriacenſi	XIII.	VI.	III.		IV.
Ruthenenſi	XIIX.	VII.	VI.		*V.*

Digitized by Google

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Ad utores.*
Auſcitano	XX.	VIII.	VI.		VI.
Auicienſi	XXVII.	XII.	VII.		VIII.
Biterrenſi	XXX.	X.	VI.	VIII.	VI.
Cadurcenſi	XXVI.	VIII.	V.	*VII.*	VI.
In Sede Albenacenſi	VI.	IV.			II.

Ad Eccleſiam Catholicam reuerſi ſexaginta tres.
Spiritualibus B. P. N. Exercitijs adiuti viginti tres.
Reſarta animorum diſſidia viginti tria.
Pudicitiæ periclitanti conſultum ſepties decies.

Digitized by Google

COLLEGIVM TOLOSANVM ET DOMVS Probationis ibidem.

I.

DEDIT Collegium Toloſanum vrbi ad primarias Quadrageſimæ conciones vnum è Noſtris, qui frequenti admodum ſenatu & populo auditus eſt. Partita dein induſtria in quatuor præcipuas ciuitatis parœcias, vbi pueris & rudibus expoſita fructuosè Catecheſis. Sãctimonialibus, aliiſq; eiuſdẽ ſexûs honeſtioribus quibuſdam ſacra B. IGNATII Exercitia mirũ quantum profuêre ad iter Chriſtianæ virtutis alacriter percurrẽdum. Liber P. Ribadeneiræ de Vitis Sanctorum precariâ pecuniâ comparatus, & catenâ ferreâ è publico pulpito ſuſpenſus, in vſum eorũ, qui ad remum acti otio frequenter improbáq; verborum procacitate fallere tẽpus amant. Ex eo peritior aliquis anagnoſtæ vices agens ſtatis horis ad cęteros audientes dicit, iſq; iam nonnemini

nemini pietatis sensus hac ratione ingeneratus est, multi vt affirment, se homines facinorosos & nocentes Christi Diuorúmq; exemplis excitatos pati plura desiderare. Decē à Caluino ad Ecclesiam conuersi: ex his Sacerdos vnus fugâ elapsus sacrilegâ plurimos iam años aberrabat à via: alij ab infantia biberant impietatem. Quidam, cuius animo semper latens aliquis & pius erga principem Apostolorū affectus insederat, ipsis Calend. Augustis manus fidei dedit, ignarus eum diē Apostoli honoribus anniuersariū coli; quo intellectū est, non facilè gratis quemquā merita Diuos veneratione prosequi. Quantū verò subsidij in pœnitētiæ quoq; Sacrameto sit constitutū aduersus Diaboli machinas, vidua quædā declarauit. Erat hæc vnius Coadiutoris nostri parēs, & nubilis iā puellæ, quam secū habebat in domo cōductitiâ: cuius pretiū paupercula persoluere cùm nō posset, mœroris immodica, cogitationum variarum æstu cœpit agitari, & inopiam ferre iniquiùs, quàm deceret Christianam. Non fugit veteratorem occasio prædæ, eíque proinde tam noctu quàm interdiu sæpiùs astat, & oblatis vltrò pecunijs pro ære alieno dissoluendo victimam orco mercari contendit. Illa piæ filiæ monitu exitiale pretium auersari, salutiferæ Crucis signo frontem & pectus obarmare, & ceream agni effigiem à nostro Sacerdote acceptam importuno mercatori opponere. Sed ille ad minas cōversus & iramí, malis modis bonam feminam accipere: quæ etiam cùm præ doloris an timoris magnitudine muliebriter vociferaretur; *Etiamne*

inquit

inquit Cacodæmon, *eiulas? Enimuero tu mihi acerbiores multò pœnas dares, nisi me consecratà in cerà imago, natúsq; tuus Religioni iuratus arcerent. Auferjis hinc, & abjice suspensam è collo ceram; cape aurum hoc, meum iam mancipium; quando frustra te versas, velis nolis, mea es.* Aduolat ad Nostros filia, & matri auxilium quærit; iubetur lectulo affigere imaginem B. IGNATII: affigit, nihilo tamen tranquilliorem miseræ matri eam noctem fuisse liuida in brachijs verberum vestigia ostenderunt. Refixerat quippe Cacodæmon è lectulo imaginem, quę postridie diu multúmque quæsita nusquam comparuit. Quietem denique habere cœpit ab infesto tortore vidua, postquam totius vitæ noxas in templo nostro Sacerdoti explicuit: cui gaudio ne quid deesset, triduo quàm illud peregerat pòst, ei duæ Virgines, (quas è Societate S. Vrsulæ credebat) effigiem B. Patris nostri retulerunt: *Ecce tibi*, inquiunt, *sublatam iconem: sed caue in posterum, ne quando otio torpentem, aut non occupatam reperiat hominum hostis.*

II. VIR PRIMARIVS recuperatam valetudinem Nostrorum precibus, & aquæ Diuorum reliquijs attactu consecratæ tulit acceptam. Suam quoque adolescens voto, quod B. VIRGINI fecerat, renouato. Aliud eidem factum votum vnà cum precibus ad Beatorum Apostolorum corpora fusis, quæ in D. Saturnini Basilica religiosè coluntur, matronæ cuidam nobili stuporem aurium & surditatem, quam medica ars deteriorem semper fecerat, omnino abstulit.

III. SCHO-

Digitized by Google

III. SCHOLARVM vix vnquam maior hîc frequentia: mille sexcenta cẽsentur auditorum capita; adeò vt Gymnasiò prohibere complures, & numerum pro singulis classibus certum determinare fuerit necesse. Specimina data industriæ, & eruditionis singularis à tam numerosa iuuentute aliquot. Præcipua fuêre, cùm Illustrissimum Condæum, & supremæ item Curiæ principem recèns adlectum consalutarunt: hunc festiuo Dialogo, illum pereleganti tragœdia, & duodeuiginti linguarum epigrammate. Et mirum meritò fuit visum adeò florere scholas hoc maximè tempore, quo tantum est in Societatem hominum maleuolorum, Caluinianorum præsertim, odium & obtrectandi libido; qui tumultuarijs libellis & rumusculis in vulgus sparsis, vbicunque aliquid nebulæ & infamiæ nomini nostro offundere possunt, non omittunt. E multis, quæ rata haberi à Christianissimo Rege postularunt, fuit hoc vnum caput, vt ne cui è nostro Ordine in vrbibus, quas occupant ipsi, esse aut officium nostrum exercere liceret: sed repulsam tulêre, quóque inuidiosiùs ab hoc hominum genere fuimus traducti, hoc à bonis honestiùs amplioríque cum honore nominamur. Quanquam sanè facinus quoddam Coadiutoris nostri imprudentissimum (ne quid dicam grauiùs) ad nostri nominis inuidiam atque obtrectationem multùm valuit. Hic fratrem germanum inter exteros habebat, tenui copiola fortunáque hominem; quem dum non satis institutî memor cùm puella prædiuite, sed pupilla, con-

Digitized by Google

nubio iungere, inſcijs Noſtris illiúſque tutoribus ac parentibus, ſatagit, ídque furtiuis colloquijs literíſque vrget, eam in nos procellam cõmouit, vt ciuium bona pars nos eodem ſcelere quaſi auctores implicaret dictitans, hunc eſſe hamum ab induſtriâ iactum in prædam opulentæ hæreditatis, aliâque id genus, quæ vulgò ex illo æſtu ebullire ſolent: vt vix etiam homine è Societate dimiſſo abſtergi illa ſuſpicio, aut macula inuſta deleri potuerit. Tanti intereſt, Religioſum virum Chriſtum propinquorum loco, non loco Chriſti, ppinquos habere: & (quæ illi malorum radix fuit) altiora ſe non quærere, ſed intra pedis menſuram, quod ſolet dici, conſiſtere. In alio etiam penè probatum eſt, quàm ſit procliuis è flagitio in flagitium gradus, à transfugio in hæreſin. Hic enim cùm Societatis caſtra ſceleratus transfuga deſeruiſſet, & in deſtinatam impijs deſertoribus latebram (Hæreticam vrbem) conceſſiſſet, parum abfuit, quin ad partes Caluini deficeret. DEO Opt. Max. laus, qui nos alienis malis ad agnoſcendum cum timore Vocationis beneficium inſtituit.

IV. MONTABANVM altera eſt apud Aquitanos Geneua, quò velut in aſylum coëunt, qui in hæreſin & in omne flagitium nomen dederunt. Circæum dicas ſtabulum cum ſuis lupis, leonibus & vulpeculis: perpaucæ hîc animæ boni ſenſûs; tota enim infecta veneno eſt, ſi à raro admodum populo, Clero, & Epiſcopo diſcedas. Ibi Sacerdos noſter toto Decembri, & Quadrageſima conciones habuit, frequentibus etiam

Digitized by Google

etiam Caluinianis, quos ab hoc commodo nec iterata publicè prohibitio potuit deterrere: duobus auctor fuit hæresis detestandæ: nutantes in fide multos stabiliuit: clero quæstiones de conscientia, & populo Christianam doctrinam explicuit: multorum è pagis proximis Confessiones generales excepit: excurrit & in vicos aliquot circũiectos pari fructu: duobus Apostatis, qui eò ad abiurandam conuentu publico fidem concesserant, meliorem iniecit mentem, eósque ad propria domicilia, negotio quidem perdifficili sed felici, hæreticis nequicquam frementibus, remisit. Deniq; concionum Quadragesimalium laboribus perfunctus, lustranti diœcesin Reuerendissimo Montalbanensi semper adfuit.

V. QVATVOR aut quinque è Tirocinio excursiones ad oppida vicina communibus peractæ sunt fructibus: ascetica videlicet B. Patris nostri tradendo quibusdam, qui de Religioso statu consilium cepêre: Parochos ad sacrificandum sæpius, aut Christianam doctrinam tradendam excitando: discordias inter inimicos componendo. Ipsi Tirones in sui victoria domi occupantur, quibus nunquam deest materia exercendæ virtutis. Vnus variè primùm à Patre atque aliquot consanguineis tentatus, siue tandem liberam dimissionem, siue simulatum extorserat cõsensum, atque adeò bona verba ad ingressum Societatis. Certè octauo circiter mẽse pòst, coacta magna manu parat incautum parens subito assultu opprimere, vt quod à fraude blanditijsvé desperabat, vi assequeretur.

Tironibus igitur à concione, vt fit, redeuntibus, ſtruuntur inſidiæ: in media platea filium incogitantem manu prehendit pater ipſe: ſed Tiro nihil turbatus Socios inclamat, obteſtatúrque, ne ſe velint eantvé in diſcrimine deſertum. Nec opus tum precibus: iuuenem alij ceu rem ſuam repetunt; plùs tamē apud id genus homines potuerunt iunctæ vires, quàm vis aut ratio, Noſtris præſertim religioſiùs quàm violentiùs, vt decebat, agentibus. E publico igitur, vbi altercatione & tumultu ſtrepebant omnia, in vicinam domum abripitur; tum etiam in ſuperius ædium cœnaculum defertur verius, quàm ducitur, vnico è Noſtris domum ingreſſo cum raptoribus importunis, etſi cubiculo arceretur. Hîc pater iuuenem impellere, quà parte ruituum ſperabat: obſecrare, in lachrimas ſupplices voces tendere; ſed nihil proficit: vanæ omnes machinæ ad euentum. Nam hæc intus dum aguntur, foris DEVS opem molitur: aduolat Magiſtratus, primóque ingreſſu, velítne cum patre abire ſciſcitatur: ille obnixè petit, ſe Domum Probationis reducat: *Laudo*, inquit, *te adoleſcens de tua conſtantia; ibis quò aſpiras:* tum ad parentem conuerſus; *tu verò*, ait, *ſi quid voles filio, apud Patres Societatis age:* nihilque cunctatus è domo producit iuuenem, liberúmque dimittit, quiritante nequicquam atque indignante parente.

COLLEGIVM BILLOMENSE.

VI. VNVS

Digitized by Google

VI. VNVS in hoc Collegio domestici operis adiutor Petrus Deportes, magnæ exemplum patientiæ, diuturna paralysi afflictus ad metam vitæ peruenit. Exercitiorum B. IGNATII nostri vsurpatorum nunquam tanta frequentia, tanti animorum fructus. In prædio Collegij lemures equos de nocte infestabant, sed immisso in parietem agno cereo quies fuit omnino: quæ & vicinæ domui per Nostrum lustratæ est reddita. Illius prædij villicus ægrotans amuleto malefici hominis abigi morbum curauerat; quem eundē in hominem cùm duabus circiter tribusvé post hebdomādis incidisset, audit minantem, nisi cōpotarent, nescio quod malum: id vt euitet, nihil cunctatus tabernam vinariam cum illō ingreditur: compotationis exitus fuit acerbissimi doloris principium: cœpit enim adeò vehementi febri æstuare, vt iam iam videretur animam exhalaturus. Ergo protinus comporore maleficō valere iussō Collegium petit, & à Nostris remedium: iussus adire templum, & ante sacram Eucharistiam peccati veniam (quòd hominis nefarij operā fuisset vsus) à DEO poscere; quod vbi fecit, conualuit.

VII. DVO VIRI primarij odio capitali inter se dissidebant, quod ratione non alia quàm alterutrius nece expiari posse credebatur. Eorum alter cùm inimicum ad Sacerdotis pedes Confessionis obeundæ caussā vidisset, propiùs accedēs in eius aures insusurrauit, memor esset eius, quæ inter eos intercederet, simultatis, se quidem illius vehementer pœnitere, nec priùs ausum ad

diuinam mensam accedere, quàm id, quod Dñi imperiũ & Christiana charitas requirat, egisset. His adeò cõmotus est alter, vt illico surgẽs & satisfacere cõmissæ culpæ paratus veniam petierit, ex eáque hora soluti amicitiæ nexus arctiori beneuolentiæ vinculo sint reuincti.

VIII. MISSI vicatim Patres sæpiùs haud inutilem posuêre operam proposito indulgentiarum lucro, cùm æstate summa nunquam adeò ruri sineret occupari se populus, quin pœnitentiæ Eucharistiæque Sacramentis celebrandis à summo manè ad meridiem vsque adesset frequentissimus. Scortillum alebat celebri in pago Sacerdos: eius loci matronæ, admonito priùs Magistratu obsentáq; facultate, domum eius ingressæ malum adoriuntur, duréq; habitum aliò facessere coëgerunt. Sacerdos vir sanè robustus iráq; præceps, vindictã in principes facti auctores meditabatur, erátq; offensio duplici nomine publica: sed admonitus Noster hominem adijt, de remittenda, quam sibi factam putabat, iniuria egit; eóque, DEO iuuante, perpulit, vt ad pœnitentiam animum applicárit. Ad alium item Sacerdotem diuturno grauíq; morbo lecto affixum accesserat Noster, ipso comitante loci illius Curione; qui cùm pro foribus adesse significaretur, nunciari iussit ægrotus, se quidem Iesuitarum operâ nequaquam indigere; vnde re infectà Noster nec sine rubore regressus est: postero tamen die æger mutata voluntate, vltro, quem repulerat, reuocandũ curauit, eíq; totius vitæ acta retexuit; dicíq; vix potest, quantã perceptæ

ceptis Sacramentis lętitiâ fuerit perfusus, quámque grata animi cum significatione abeuntem Nostrum sit prosecutus.

COLLEGIVM MAVRIACENSE, RVTHENENSE.

IX. MAVRIACI scholæ hoc anno multo quàm superiore, maiori auditorum floruêre frequentiâ. Vnum aliquid inter eos visum est accidisse memorabile. Versabantur in eodem cõtubernio scholastici quatuordecim, cùm ecce tibi nocte concubia sæuiente vento vehementiùs, anterior paries & tectũ disturbantur, atque suâ ruinâ tres domesticos opprimunt. Pauor ingens cunctis incubuit ad repentinum casum, cõcurritur trepidè, diuinóque miraculo alumni omnes nostri reperiuntur spirantes, vno dempto, qui immedicabili pleuritide laborans, suam salutem medico fecerat deploratam. Auxit admirationem frater ægroti septennis, qui in eodem lecto decumbens, nihil accepit incommodi.

X. QVADRAGINTA horarum susceptæ primùm celebritas non facilè dictu est, quantum nouitate sua inuexerit boni: spem quippe omnem superauit hominum concursus, vndique confluentium ad res antea non visas, qui nec incommodo tempore retardari, nec cœlo pluuio solóque lutulento potuêre. Conciones, quæ quaternæ minimùm quotidie tri duo illo habebantur, ædes nostra non capiebat, adeò vt multi interdum pro limine

Digitized by Google

ſtarẽ, aut excludi omnino cogerentur. Panẽ cœleſti eo tempore refecti ducenti ſupra mille; & pleriſque placuit à prima pueritia retexere exomologeſes: quæ paucitas, ſi ſpectes oppidi paruitatem Noſtrorúmque raritatem, multitudo videbitur.

XI. QVOTIES hinc exiêre Noſtri (exiêre autem frequenter in pagos & oppida, Aurilliacum præſertim & Salernum) diuino plerumque conſilio factum eſt, vt inciderent in homines complo-ratæ ſalutis, quíque expectarent duntaxat Noſtrorum aduentum, quòd alijs intima ſua credere non auderent. Corporibus item facta ſubinde medicina non aliter quàm aquæ potu luſtralis: nam longo iam vſu comprobatum ac compertum eſt, eos, qui aquam Eccleſiæ ritu cõſecratam & crucis D. Thomæ particulà contactam epotant, ex febribus recreari. Hinc frequens eius obtinendæ ad nos concurſus.

XII. IN RVTHENENSI Collegio ſacras B. P. Noſtri meditationes è Franciſcanorum familia Patres duo ſtudiosè tractárunt, magno bono & profectu. Quinque varijs ex locis Hæretici ad Catholicorum partes conceſsêre, noſtróque in ſacello errores ſuos abiurárunt. Quadraginta horarũ precatio ſuperioris anni ſuperauit ſplendorem & pietatem: mille trecenti ſacras epulas celebrárunt. Ciuis votiuum iter conceperat in ædem Montis Serrati: eò dum pergit cum aliquot pari mente ac religione ſocijs, accidit, vt tranſuerſim, quà erat aſcenſus, anguſto colle & ſaxeo in montem cõtendentibus plauſtra bubus

Digitized by Google

bus tracta venirent obuiam. Nec erat, quò se reducerent arcti vtrinque rupis crepidine. Ergo hi corporum declinatione, &, qua possunt arte, euitant periculum: ille Parthenius celerem quoque molitur transitum: at feritur primùm à bestia ferociente, ilia cornu traiectus: dein per confragosa auersus, in subiectum ruit præcipitium, ipsoque in casu sanctissimum IESV nomen & MARIÆ ciulabundus ingeminat; à quibus & auxilium tulit: è durâ namque caute, cui inciderat, in pedes se erexit, & inuio itinere arduum montem supergressus, iugo se stitit incolumem, socijs stupore attonitis, quibus hilariter occurrit, DEO ac VIRGINI seruatoribus grates vnà cum ipsis acturus. Alius ex eadem vrbe item Parthenius ex ischiade laborans cùm diu acerbissimos dolores summa pertulisset æquanimitate, ratus immodicos neruorũ humores calore ignis posse aliquantulum exsiccari, iubet se de lectulo ad luculentum focum deportari. Verùm eò loci etiã acriori doloris morsu pertentatus, pressúsque adeò est, vti contrarijs alternantium spirituum impulsibus cœperit agitari, impellentium subinde atque adhortantium, præceps in flammam rueret, hunc demum fore terminum ærumnarũ. Quibus anxijs cogitationibus exæstuans; *Heu me,* inquit, *summe hominum parens, ecquidnam perpeti necesse est aternis addictos incendijs? ecqua illis tormentorum finis?* Ita vim dolori faciens hoc extremo dicto Dæmonem in fugam egit, atque omnis repentè acerbitas sic prorsus sublata est; vt ne decennio quidem toto vel leuissima sit ægritu-

gritudine tentatus: iam enim antea gesta res erat, hoc primùm anno patefacta.

XIII. TOTIVS prouinciæ Ruthenensis & antea sæpius erga nos fuit, & his temporibus recens est liberalitas & beneuolentia. Cùm enim Electorũ, vt vocãt, iura emersa iam triennium abhinc publicos comitiorum conuentus expulissent, quà auctoritate, quà studio hi redintegrati; eodem affectu peractum à Rege est, regióq; consilio decretum, vt pro expensis è re, & prouinciæ commodis quotannis faciendis, aurei trecenti Collegio nostro in annos singulos attribuerentur, totâ in hanc sententiam eunte prouinciâ. Et videre fuit hæreticos ludibrio habitos, qui raucæ velut cicadæ questu suo rumpebantur ad clarũ nomen Societatis, & quo stridebant magis inuidiâ, eò iterum ridebantur magis. Quare cùm reclamatio peruicax nihil de pecunia minueret, iræ & stomacho parcere sũt coacti; atq; à Regio cõsilio tabulis in hæc verba perscriptum: *Patribus Iesuitis Collegij Ruthenensis, quò tot onera scholarum, Philosophiæ in primis sustineant, de consensu & rogatione prouinciæ totius, libra nongentæ redeunto.* Quod annuũ quasi vectigal licet antea pro arbitrio pensitaretur, dum stabat integra comitiorũ potestas, id tamen in posterũ tempus maiori auctoritate fixum ratúmq; permanebit. Quo in negotio Reuerendiss. Ruthenensis Dñi Franciſci de Corneillan præſidis Comitiorum studium valuit, dum nostri tuendi ornandíque partes nullas omisit. Quas domum ex oppidis circũiectis pagísq; ob sua in omne genus hominum merita re-

tulêre

tulêre laudes Patres noſtri conſultò ſilemus; quòd modeſtiam noſtram onerarent.

COLLEGIVM AVSCI-TANVM.

XIV. AVSCIS iuuenis erat impensè in pietatem propenſus, qui ex triſtitia immodica de repentè in alium mutatus, formidoloſáq; imagine è mẽtis ſtatu deiectus, vicos & vias diu noctúq; furibundus oberrabat; reliquum illi de prima modeſtia veſtigium tamẽ aliquod: vocabat MARIAM, eiúſque litanias, quo poterat cantu, recitabat: B. P. IGNATIVM, alióſque Sanctos, quibus inuocandis ſanus aſſueuerat, nominabat. Adhibitæ per Noſtros non ſemel preces, reliquiæ Diuorũ, aqua piacularis; in caſſum omnia, parante alibi medicinam Chriſto. Nam ſemeſtri pòſt circiter ſpatio ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo VIRGINI Garazoniæ votus (nouum illud eſt & celebre miraculorum promptuarium) ex ipſo Archiepiſcopio, vbi ad helleborum Hippocrateum aſſeruabatur, fugâ elabitur, deluſis cuſtodibus, rectáque vicum Garazonium petit abſq; comite. In via adhuc cõſtituto implorato Numinis beneficium cœpit affulgere, ſenſimq; allucere rationis lumẽ, ménſq; in ſuum ſtatum reuocari. Supplex inde factus DEIPARÆ, & in genua corá ſacro altari prouolutus omnino ſapit, animo iuxta corpore; ſanatus. Ad eandem Auguſtiſſimæ VIRGINIS ædem alius quidam ex Collegij Alumnis cum matre pia femina fratribúſque dum pergit

voti

voti caussâ, ex equo in profluentem corruit, & pari infortunio trahitur natu minor germanus. Quò se miseranda parens vertat clamoribus desperatis, dum cominus videt charissima pignora vndarum rapi vorticibus? Tota soluitur in fletum; neque cessat interim in vota & preces vocare VIRGINEM, ingeminare MARIAM; *Atqui hos*, inquit, *tibi, ô beata, tuam deducebam in aedem!* Nondum finiuerat planctum, nondum preces, cùm cœpit enatare iumentum, puerique (mirum dictu) natandi imperiti, manibus inuicem sibi porrectis læti hilaréque ad ripam vlteriorem prouehuntur memorabili prodigio: nam ex medijs aquis ne madefacti quidem emergunt, periculi omnis metúsque expertes. Cuius rei facta fides tum ab ijs, qui ad tam vsitatum spectaculum accurrerant, tum ipsius parentis testificatione, qui omnes dum pueros versant atque excutiunt, vix suis credunt digitis oculísque, adeò nihil vspiam tinctum aut madidũ, ne pilus quidem deprehendebatur. Qui veræ ac sinceræ pietatis fuit fructus.

XV. RELIGIONES autem falsæ ritúsque superstitiosi in Catechesi abrogati non pauci, quorum quidem vsus inoleuerat iam diu, atq; eam rubiginem hoc erat deterere difficiliùs, quò altiùs latuerat panno tecta pietatis. In hoc genere quædam, quo die primùm suos fuerant enixæ partus, mensam sternere consueuerant triformi illi Parcarum Dæmonio apud Poëtas celebri sale, vino, pane, ceteríque dapibus in vagientis cubiculo instructam, vt sorores lanificæ infanti nocte

ctę proximâ fata dicturæ adeſſent alacriùs, ac liberali velut hoſpitio demulcerentur. Puero ferè trimulo, quem morbus Herculanus exagitabat, remedium quærebant parentes non obſcuri cruce præſtigijs carminibúſque ſuſpectâ: inerant quippe notæ perplexæ, & incogniti characteres; quæ figmenta vbi monitu Noſtrorum abiecére, de peccatis ritè cõfeſſi in templum religione celebre filium detulére, inuento auxilio intellexerunt, quantum referret, qua religione quiſque vteretur. Mulier clara genere, clarior pietate ſacrum exaltatæ Cruci diem, ciuibus aliò diſtractis, & variè pro ratione temporum occupatis (feruebat enim vindemia) Sacramentorum in noſtro templo vſurpatione cultúque peculiari obſeruauerat: dein horulæ ſpatio in villam proximè ſitam maturauerat profectionem. Dixiſſes cœlum obſecundare mulieri pro religione amatæ. Vix enim ſubierat tectum, cùm ſubitò ruptis nubibus horrendũ in modum tanta grandinis procella incubuit, vt à telis & fremitu ſatis ſe proderet ira & potentia Numinis. Neque res ſtetit hoc termino: vis grandinis ingruens ruſticos duos occupauit eodem propemodum loco, quò, niſi diſceſſum ex vrbe pia matrona accelerâſſet, tranſitura erat: vt eorum alter multa ibi grandine obrutus ceciderit, alter periculi quidẽ ſocius & tempeſtatis in morbum inciderit grauiſſimum, valetudine prope deſperata. Contigit verò ad monimẽtum pietatis religioſæ matronæ, vt vinetis ſuis penitus illæſis, vicinæ vites crudeliter vaſtarentur.

XVI. Op-

Digitized by Google

XVI. OPPIDVM est in diœcesi Auscitana non ignobile, cuius cùm incolæ pleriq; omnes priuatis arderent odijs, tum verò oblata incendij materie ob honores quosdam municipales vniuersi in se inuicem ita sunt incitati, vt factione duplici partes iam ad arma concurrerent, mutuò conciderent, certúmq; exitiũ omnia spectare viderentur. Huc duo è Nostris missi properè tantum benigno Numine effecerunt, vt excussis è manibus gladijs omnium penè animos inter sese cõciliârint, quos multi viri grauissimi ad æquas pacis conditiones adducere ante nequicquã insudâssent. Quod idem officiũ in ipsa ciuitate ab ijsdem non semel præstitũ est, haud irrito conatu. Sex è Caluiniana hæresi ad Ecclesiam reuersi, quorum vnus iam biennium apud miserum gregem pastorem egerat, & de suggestu rabulam dicacem.

XVII. PERSCRIPTVM aliàs de Germanę de Seriac nobilis fœminę pia liberalitate, qua Societati opes omnes suas, & quidem amplas attribuerat, sed litibus, queis illæ fuerant obnoxiæ, declinandis, bonæ earũ parti cedere sumus coacti. Quod reliquum fuit ad libras admodum quingentas in annuum prouentum redactum est.

COLLEGIVM ANICIENSE ET RELIQVA.

XIIX. EXTINCTVS hoc anno est Anicij rei familiaris Adiutor Michaël Blè, homo eximiæ pietatis, & in DEVM constantis. Mores illum in ætate tam affecta fecerant amabilem. Trium & octo-

Digitized by Google

octoginta annorum erat, quorum tres & quinquaginta Societati dedit; præter alia incomoda senectutis, oculorum passus orbitatem, vtrumq; animo ferebat æquissimo. Primus in Gallijs è numero Coadiutorum, qui nobis se associârunt, à B. M. Patre Paschasio admissus.

XIX. PRÆSIDIVM Beati Societatis nostræ cõditoris IGNATII vniuerso iam orbe tot admirãdis rebus nobilitati, sensêre & hîc cõplures. Vnũ illustrius est. Grauida mulier perenni sanguinis fluxu tertiũ iam mensem acerbissimè angebatur; in qua ægritudine depellenda omnẽ Medici perdiderant industriã; dictitantes, frustra pharmaca laborémq; cõsumi; videri reliquum, vt humanæ cõditionis necessitatíq; memor ad mortẽ se præparet. Itaq; accitur Noster, à quo femina ritè Sacramentis expiata, sollicitè demum quærit, anne adeò ars sit exhausta omnis, & nihil spei in vllo deniq; remedio vspiam reponendum? Cui Noster, aliud aliquod omnino supra humanũ restare auxiliũ: quis enim modum cęlesti medico statuat? Beati verò IGNATII Societatis nostræ parentis opem ex fide flagitet, & affectu pio: alias etiam iam penè pro deploratis habitas eiusdem beneficia sæpius fuisse expertas. Et librum fortè, qui de vita Beati vulgatus extat, maritus habebat domi; quo in manus sumpto vota concipit. Abscedit interim Pater, & morbo nihilominus sensim momentis penè singulis ingrauescente, coniunx vterq; fiducia plenus beati fidem exposcunt, obtestantúrq;. Volumen ille pectori iam prope exanimatæ admouet, simúlque Beati

Digitized by Google

nomen inclamat sæpius magna vocis contẽtione. Mirum dictu! fœtum quartum aut quintum iam diem extinctum in vtero mulier effundit incolumis & ita confirmata, vt nunquam sibi fuisse meliùs palàm testaretur. Auxit rei gestæ magnitudinem medicorum fides, qui fœtum iam putrem & ossiculis omnibus fermè luxatis, & loco motis inspicientes iurati cõstanter affirmarunt, non nisi diuina virtute, & supra naturæ conditionem tam diu feminam superstitem esse potuisse, ne dum tam citò conualescere. Res sic gesta, & testium grauissimorum auctoritate cõfirmata, iussu P. Prouincialis Romam est perscripta. Subiungam quod accidit in eodem genere mirabile. Nostratium vnus ex Hispania redux (quò se contulerat votum iam antea cõceptum persoluturus DEIPARÆ in Monte Serrato) ferebat secum calculos aliquot è rupe decisos, cuius cauam specum B. IGNATIVS olim non procul ab oppido Minoresa dicitur incoluisse; de qua specu, deque lapillis inde erutis mira narrabat. Vocatur interea Sacerdos vnus è Nostris, qui mulieri iam propè depositę daret aures confitenti: eò cùm peruenisset, quæ paulò antè domi audierat, recẽset ægrotæ: orat illa vel tenuissimum calculi fragmentũ: exorat, atque in puluerem mox resolutum potat: conualescit inde, & B. Parenti nostro, in quem secundùm DEVM spem suam omnem coniecisset, acceptam refert corporis sanitatem. Simile quid euenisse alteri testatus est ipsius ægrotæ parens.

XX. NON

XX. NON segniori opera à Nostris ad moribūdos alios accursum, ad egenos & captos. Hæretici octo Caluini erroribus detectis ad antiquæ Religionis veritatem confugêre. Confitentium numerus toto anni decursu duodeviginti ferè millia confecerit, ijs si accenseas mille octingentos, qui illo ante Cineralia triduo publicarum expiationum fructū apud nos acceperunt. Quidam audierat Sacerdotem nostrum, qui tum foris in Missione agebat, ferentem acerbè & conquerentem, sibi suo maximo dolore (quod nunquam aliàs contigisset) in vrbem reuertendum, nullius audita Confessione. Quo intellecto ille protinus in cubiculum se abdit, & aliquanto pòst ritè paratus Patrem adit, nec antè voluit manus ad cibum sumendum abluere, quàm sordes animi Confessione peccatorum abluisset. In oppida finitima missi alij, iniquis pactionibus rescissis, res, quæ fide malâ possidebantur, suis Dominis reddidêre: fœneratores non paucos, qui grandi prouentu pecunias & alia id genus impunè & luce palàm exigebant, ab instituto reuocauere: duobus hæresin Caluinianam animo infixam excussere: implexas ac difficiles inimicitias explicauere: & quæ alia institutum nostrum à nobis exigit, ingenti fructu præstitere.

XXI. EADEM ferè Biterris peregrè missi. Oppidulum est altero hinc lapide, vbi octauo quoq; die Hæretici conueniunt: in eo frequentes per annum ferè totum Dominicis & festis celebrioribus diebus conciones à Nostris sunt habitæ contra Cathedram pestilentem; vnde oppidani à

contagione seruati immunes. Illic modò proloci tenuitate plurimus diuinorum vsus, fideiq; mysteria adierunt nonnulli, quibus totum quinquennium malè caruerant; eóq; prorupit ardor salutis, vt nulla hæreseos aut Ministelli ratione habita, ad Iubilæi veniam in templum nostrum longo agmine supplicatum prodierint. Nouem ab hæresi respirarunt. Oppidum fortè ingressus Noster ad consueta Societatis munia obeūda, Curionem reperit Circæo hæreticorum poculo iam ebrium, imò propalam in laudatos Ecclesiæ ritus debacchantem, & ad hostium castra simplicioris pectoris homines exemplo suo incitantē. Diuinitus accidisse diceres Sacerdotis nostri aduentum; qui mox Curionis partes perfidè desertas susscepit, effecitq; tātisper, ne detrimenti quidquam ouibus Pastoris adferret defectio.

XXII. VENIO ad vrbem ipsam. E Biterrensi iuuentute primas habet Marianorum feruor: aliquot ex eo grege ad diuersas Religiosorum familias se recepêre: vnus Augustinianorum PP. institutum est amplexus; qui quidem huius vnius in suum Ordinem vocatu, morúmq; venustate adeò sunt affecti, vt de priori instituti forma reuocanda, à qua fuerant longiusculè digressi, seriò putauerint inter se decernendum, atque pijs in eum finem B. P. IGNATII commentationibus etiamnum erudiri per Nostros cupiunt, tanquam ad opus iam susceptum singularibus adiumentis. Is porrò Sodalis matura iam ætate vir, & pietatis simul laude ac Sacerdotij insignibus ornatus dicere quibusdā antea solebat,

Digitized by Google

bat, familiæ huius instaurationi cœlesti se consilio esse destinatũ, quod vel modò rei probauerit euentus. Nec sui tantùm peculij bona est custos Mater DEI, quin foras etiam iaciat radios charitatis. Quidã vir clarus, & præcipuæ in vrbe auctoritatis, acceptas ab affine iniurias memori seruabat ira: nihil preces euicerant, nihil de DEO intentæ cõminationes; tam altè à nocẽti, vt aiebat, insederat vulnus. Et verò latiùs manasset furor, nisi Deiparæ clementia inhibuisset. Cùm festo die VIRGINIS ab Angelo salutatæ subit in sacellũ Cõgregationis, perlustrat curiosiùs omnia, & primũ capitur cultu loci honorario, multam pietatẽ aspirante: procũbit in genua, & VIRGINEM salutat. Vix dũ precatorios coronæ, quã gestabat, globulos versauerat, cùm asperũ homini pectus sic emollitur, vt mitem agnum modò crederes, qui antea efferatus fuisset leo. Quid enim multa? Egredienti fletu abundè rigatur facies, nihilq; misero antiquius, quàm veteris odij abstergere cogitationẽ, & ad veniam omnes expiare noxas. Accidit ergo ad pedes nostri Sacerdotis, inchoatæ litis proijcit tabulas instrumentum simultatis, negat se nisi ex eius nutu, quem pro diuino capiat, quicquam esse facturum. Rei successu lętatus Pater de eadẽ, quod aiunt, fidelia vtrumq; dealbat: alterũ accersit, pperè, quícum erat pax ineũda, & hunc inducit ad peccatorum confessionẽ: dein Nostri hortatu in mutuos ruit vterq; amplexus, iucunda significatione amoris.

XXIII. PVELLA humili quidẽ loco & cõditione seruilis, at pietate nobilior, cũ ab insano amatore

tore instigaretur ad facinus, neq; turpitudinem illa modò, sed nomen etiam & cogitationem vehementer perhorresceret, in hoc retinendæ castitatis proposito sibi visa est cœlesti ostento mirè corroborari. Pro atrij vestibulo sedebat ad opus, & ecce mulier, quâ specie eam fulgentem in cœlo iam viderat puella, sed habitu mendicatis, quæ stipem flagitauit. Hærenti tantisper (non quia non esset largiendi percupida, sed quòd exploratam satis heræ voluntatem non haberet) salutaria conseruandæ integritatis mandata perhumaniter ingerit, dein abscedit. Visum non vanum puella credit, proclamátque; neque hoc ei quisquam excutiat de pectore: quod adeò quidem nouum haud sit in VIRGINVM Reginâ patrocinium castitati ferente: cuius nunquam violata integritas dignitásque strenuè contra Caluinonestorianum Præconem à Nostro pro suggestu est defensa, ac propugnata. Qui quo vrbis totius applausu audientiúmque vtilitate id fecerit, ieiunij etiam magni temporibus, Religiosorum narratione, qui in vrbe multi sunt à Confessionibus, & fructuum collectorum vbertate, satis est supérq; compertum. Neque enim vnquam Biterris tam numerosam extitisse frequétiam affirmant eorum, qui vita omni accersita in gratiam cum DEO se reposuissent. Repertus est, qui vt peccata nostro cócionatori patefaceret, octo milliaria properatò confecit. Fuit & rusticanus homo, qui cæsa in vrbem ligna quotidie deportauit, studio non lucri, sed salutis & excipiendæ concionis.

Mon-

Digitized by Google

Monſtris hæreſeon acriter reciſa capita, perfectúmque, vt peſtifero Caluini dogmate reiecto quinque cum Eccleſia reconciliarentur. Infelix quædam Caluiniano dederat fidem in matrimonium, ídque dum perficeretur, etiam in hæreſin: ſed Noſtri opera ab infando pacto reſilijt, perſtátque nunc in ſaniori mente confirmata. Materfamilias à viro duriùs accepta ferro finire vitam obſerato iam oſtio decreuerat, ſtrictóque iterum ac ſæpius gladio ſibimet ad audendum fecerat animos: at non minùs in vita hæc ſapienti Noſtrorum induſtria eſt retenta, quàm illa infide.

XXIV. ALIVNDE quædam Biterras ſe contulit, cœleſti, vt putatur, admonitu. Cùm enim pro foribus ædium ſuarũ conſiſteret ſolito mœſtior, quidam inopis habitu ſtipe ab illius manu ſuſcepta mœſtitiæ cauſſam inquirit, cunctantíq; mulieri crimen occultum, nec adhuc pœnitentia deterſum patefacit, atque vt ad nos expiationis ergo maturet, impellit, futurum pollicitus, vt anima virtute Confeſſionis abſolutâ, continuò quieti ſecuræ & mentis ſerenitati reſtituatur: quod ita prorſus euenit. Sed enim quid illo factum hortatore, incertum: nuſquam certè exinde eſt viſus, licet magnâ vndique curâ perquiri eum iuſſerit grata matrona. Templo candelabra ex argento cælati operis acceſsére, centum aureorum munus: veſtis item ad Sacerdotem pro B. P. IGNATII natalitio die exornandum, cum pallijs duobus peramplis & pretioſis, hierothecæ & aræ amiciendis.

Digitized by Google

XXV. CADVRCI virè prima nobilitate positos sibi transilierat fines, & in Ecclesiæ iura obrepserat non satis æquus Sacerdotij curator. Hic ex Nostrorum cõsilio & hortatu non modo se illo abdicat lubens, escámq; noxiam reuomit fine stomachi fastidio, sed multos huic culpæ affines exẽplo ipse suo verbisq; castigat, sceleris vt pertæsi & diuini iuris memores periculum animæ declinent. Instituta mulierum Sodalitas in misericordiæ, vt vocant, Xenodochio; fructu suprà quàm credi potest singulari. Sacrilegam Caluini cœnam ac fidem execrata est vna. Aliam vt perderet, captauerat tempus hostis tartareus, induxerátque iam, vt in aquis perire decreuerit. Quæ cùm ita cœco furore moræ iuxta & luctis impatiens ad interitum raperetur, non fefellit obuios, qui furibundam sisterent, & Sacerdotẽ è Collegio nostro accirent; cui & de peccatis in vicino templo confessa sedatiori mente vti cœpit. Verum quæ huius sexûs leuitas est, iterum se vinci passa Dæmoni obstringitur, & in fœderis pacti indicium manifestum torpuisse sibi brachium asseuerat. Instatur nihil segniùs à Nostro, hostísque tandem euictus abscedit, impositó mulieri Rosario, cui B. IGNATII numisma erat appensum. Denique nostro in templo sacris corroborata mysterijs, nunquam est ab eo tempore ampliùs furijs illis exagitata. Quamuis enim sequenti nocte Dæmon ei ob perceptam Synaxin grauia minatus fuerit, non tamen eam numismatis præsidio tutam ausus est propiùs accedere.

XXVI. SACRA-

Digitized by Google

XXVI. SACRARVM meditationum vsu Sanctiniales quatuor sunt ad cumulatiorem pietatem à Nostris eruditæ; suo primùm, deinde puellarũ totidem emolumento, quæ se diuino famulatui addixerunt. Post amitæ excessum quædam monasterio celebri præficienda, in quod solæ nobiles cooptantur, duos è Societate acciuit, vt quasdam earum virginum seorsim nostris meditationibus exercerent. Octo tam vberem inde fructũ collegerunt, vt regulas Ordinis sui omni studio recuperare contenderint, ab illarum amussi pòst ne latum quidem vnguem discessuræ. Vulgatis in eadem Missione Indulgentijs, duorum pagorum incolæ vniuersi, quibuscunq; per ætatem licebat, confessione præmissa Corpus Domini perceperunt: nec defuit è vicinia concurrens multitudo, ea de Nostris passim concepta opinione, vt ad eos ægroti deferrẽtur, quorum nonnulli culparũ recognitione facta, & aqua lustrali epota, DD. Dosmæ & Damiani meritis, Diuique Thomæ virtute sunt ab incommoda valetudine recreati. Sacerdos item è Nostris ad concionem Aduentûs & Quadragesimæ Lausertam missus (vrbs ea est culta, & octo Cadurco milliaribus absens) templum ab Hæreticis afflictum ac penè prostratum restituit: solemnes sacrorum cęremonias ab informi & angusto fornice in illustrem transtulit amplitudinem: generales vitæ totius accusationes induxit: eóq; inflexit omnes ferè familias, vt precationis matutinæ vespertinæq; vsum verterent in consuetudinẽ: codices obscœnos & alia ex Diaboli in-

Digitized by Google

genio volumina pijs ac salutaribus libellis permutauit: effecit idem, vt amarent Catholicorum piacularia, imagines, aquam consecratam, alia similia, quorum DEVS vsu & cultu redderetur propitius: suasit præterea ciuibus domicilium Patribus Recollectis (Ordo est B. Francisci strictus & seuerus) in vrbe sua collocarent.

XXVII. ALBENACI ciuibus vtimur semper magis in res sacras intentis. Duo hauserant inter hæreticos perfidiæ poculum, sed errore agnito Ecclesiæ se restituerunt. Horum secuti vestigia exteri circiter vndecim: bis reducta domum vxor à viro expulsa cum filia; hæc quòd nubere recusaret hæretico, illa totis viribus dissuaderet. Alium Noster ab eodem proposito reuocauit.

XXXVIII. DVO OPPIDA obibat Pater vnus, qui in Residentia concionabatur, sicque triumoperariorum sustinebat partes, quòd magna his locis Quadragesimæ temporibus concionatorũ sit penuria: aliud ab alio non infructuosè institutum, purgatúmque. Puluis de specu Minoresiana, in qua B. IGNATIVS pœnitudinis tempore delituit, in vino sumptus pluribus matronis facilem aut certè felicem partum reddidisse comprobatus est. In vicino quodam oppido matrona nobilissima ad mortem decumbebat. Tempus captauêre emissarij venatici Caluinistæ, & blandè aggressi moribundam eò iam verbis pellexerant, vt in fide nonnihil vacillare videretur. Dissipatur interea per vrbem rumor, & secundis accipitur auribus hæreticorum, trium-

triumphant nimirum illi de nobilis animæ lucro, quam ſpe iam deuorauerant. Noſtri etiam cunctandum nihil rati, aduolant, conſilia meliora illi ſuggerunt, in iiſque aduerſus tartareas inſidias confirmant: quæ & omnium Sacramentorum deſiderio expleta, palàm ſe Catholicam profeſſa moritur, præciſa errorum Magiſtris occaſſione vlteriùs & triumphandi & loquendi.

†

Digitized by Google

Belgium octodecim in domicilijs numerat Socios octo supra septingentos & octuaginta : nouem decessêre, accessêre quadraginta septem.

	Vniuersim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholast.*	*Adiutores.*
In Collegio Louanienſi	LXII.	XXII.		XXIV.	X.
In Tornacenſi Collegio	XXVII.	XII.	VI.	II.	VII.
In Tornacenſi Domo Probat.	XCVII.	V.			XIII.
In Colleg. Audomarenſi	XXXVI.	XV.	VI.	*VII.*	VIII.
Duacenſi	L.	XX.	V.	X.	XV.

Digitized by Google

	Vniuersim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholast.	Admiores
Antuerpiensi	XC.	XL.	VI.	XIII.	XXIX.
Brugensi	XXVIII.	XIII.	VI.		IX.
Iprensi	XXVI.	XV.			
Cortracensi	LI.	XIII.	VI.	XXIV.	VIII.
Gandensi	XXV.	XI.	V.		IX.
Insulensi	XXXIV	XVI.	V.		XIII.
Valencenensi	XXX.	XII.	VI.	IV.	VIII
Montensi	XXVIII.	XII.	VI.	I.	IX.
Bergensi	XXIX.	XVI.	V.	III.	VIII.
Atrebatensi	XXVII.	XI.	VI.		X.

Digitized by Google

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores*
In Collegio Bruxellenſi	XLI.	XVII.	VI.		XVIII.
In Collegio Cameracenſi	XXIV.	XI.	VI.		VII.
In Domo Probat. Mechlinienſi.	XLVIII.				

Caluini aliorumvé impia dogmata Noſtrorum operá vniuerſim in Prouincia ſunt execrati ſeptuaginta

Totius vitæ errata apud nos recognouêre octingenti.

Diſſidia maioris momenti ſublata octo.

A cæde ſeu propria, ſeu aliena impediti ſeptem.

Ab apoſtaſia, deſperatione, aliové manifeſto animi exitio præſeruati retractivé duodecim.

Exercitijs Societatis noſtræ exculti quinquaginta.

Caſtitatis votum Noſtris ſuadentibus edidêre, & alij impudicè viuere deſiêre ſex.

Medicinam animo aliqui, alij corpori ſuo per Beatam Virginem Beatúmque Patrem Noſtrum inuenêre ſeptem.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM LOVANIENSE.

I.

QVADRIPARTITA Diuinę Virginis Sodalitas, Theologorũ, Iuriſconſultorũ, Philoſophorum, & ciuium capita recenſuit octingenta: ſexaginta admodum varijs Religioſorum Ordinibus iuncta: fuitque is omnium in Diuam Matrem affectus, qui viciſſim maternum in ſe animum rapere potuit, nec non ſingularia quædam inuſitati fauoris argumenta ab illa expreſſit. Inciderat in morbum, medicorum iudicio moleſtũ magis, quàm periculoſum, Sodalis quidam, Sacerdos ac Theologus, vir doctus & grauis. Suaſerunt medici, vt ad hebdomadas aliquot in patriam proficiſceretur: profectus eſt, ſed præter ſpem magis magiſque languere cœpit. Itaque poſt paucos dies ſororem ad ſe vocat horâ ſatis intempeſtiuâ, rogátque, vt abſque mora extremo viatico ſe communiri curet: cúmque omnes affirmarent, nihil opus eſſe feſtinatione, id præſertim temporis, nullóque adhuc vel in ſpeciem apparente mortis periculo, inſtitit ille rurſus,

Digitized by Google

rursus, dixítque, vix duas sibi horas vitæ restare: adfuisse enim sibi Beatissimam Virginem, & post gratissimam consolationem monuisse, vt se intra duarum horarum spatium ad æternam mutui consortij beatitudinem compararet. Paruit ergò soror perculsa tam inopinato responso. Ille verò munitus Ecclesiæ Sacramentis, integra ad extremum vsque spiritum mente, tanto pietatis sensu ad optatum Beatarum mentium Matrisque dilectissimæ consortium se comparauit, vt circumstantibus omnibus, qui è vicinià frequentes confluxerant, lachrimas excusserit; donec tandem vix alterà horà elapsà faustis omnium votis prosequentibus decessit. Itaque gratulatur hic sibi, ni fallor, de adeptà per Matrem misericordiæ æterna illa vita: alius autem & ipse Sodalis præsentem hanc eâdem interueniente sibi relictam profitetur; qui diuturnâ atq; ardenti correptus febri, raro pietatis exemplo præsidibus Collegij sui ipsique medico erat admirationi. Is ad extrema iam redactus, cùm deesse videret humana, ad diuina præsidia intensiùs animum conuertit. Iubet itaque aliquot segmenta quercûs D. Virginis Sichemiensis dilui, rogátque præsentem Confessarium nostrum, vt potioni solità formâ benè precetur: tùm vitrum manu tenens, defixis oculis in imaginem ex eodem ligno, votum Diuæ Sichemiēsi cōcipit, atq; ita ebibit. Vix caput in puluillū declinauerat, mox Rectorē Sodalitatis magna voce compellat, ac roganti quomodo se haberet: *Sacrū*, inquit, *illud lignum mirificè me exhilarauit.*

Dein-

Deinde sacro oleo confestim vnctus ita repentè mutatus est, vt Patres nostri, qui vigilaturi aduenerant, omni cura soluti domum rediuerint. Ille paulatim sibi restitutus sanitatem suam Diuæ Virgini etiamnum acceptam refert.

II. AD CONCIONEM, quæ nostro in templo habetur, nouem vrbanis, ac præterea aliquot suburbanis Catechismis excolitur iuuentus. Plures quàm ducenti totius vitæ peccata expiárunt, quod non absque singulari fructu ac pietatis incremento in Academijs fieri consueuit. Tres supra triginta spiritualibus exercitijs vacárũt: Caluinianam hæresim deseruerunt quinque. Puella quædam primarijs orta parentibus, cùm fortè fortuna concionatorem nostrum de Virginitatis laudibus differentem audisset, ita subitò in eius virtutis amorem, Deo faces subdente, exarsit, vt extemplo dimissâ concione ad altare D. Virginis, quod est in æde primariâ miraculis clarum, se contulerit, ibique multis lachrymis à D. Virgine contenderit, vt aliquo indicio declararet, forétne sibi gratum, si perpetuæ virginitatis voto se obstringeret. Sequenti nocte apparere, visa est D. Virgo, & post suauissimam cõsolationem hortari, vt nuntio mundanæ pompæ, cui seruiebat, remisso, virginitatem amplecteretur. Fouet igitur illa conceptum animo propositum frequenti Synaxi, donec etiam parentes in sua vota pertrahat. Cæteris, quæ vel his affinia, vel cum præteritis temporibus sunt communia, omissis, hoc erit extremum, splendorem scilicet. Antecineralium tãtum fuisse, vt superioris anni quam-

quamuis celeberrimam pompam superârit. In ara summa numerati sunt cerei supra sexaginta, præter sparsas magno numero per templum lãpades. Sacrosancta Communione refecti sunt ter mille quingenti; confluxerunt rustici è sexaginta fermè pagis; & quis dubitet, quin maximo animorum fructu? Sanè non libuit magnopere Patribus nostris de sufficienti detestatione peccatorum anxiè sciscitari, cùm audirent alios media nocte cœlo insereno difficillimis itineribus à domo profectos, alios viderent pluuiâ stillantes, mulieres etiam sub horam duodecimam audirẽt rogantes, vt aures sibi confitentibus darent, se enim pluuiâ perfusas ab hora septima continuò accessum ad Confessarium tentasse, nec tamen eo vsque turbam potuisse perfringere.

COLLEGIVM TORNACENSE CVM DOMO PROBATIONIS ibidem.

III. TORNACI in templo Collegij Dominicis festisque diebus vespertinum Officium iussu P. Prouincialis musicè à discipulis nostris cantari cœptum est, magna multorum approbatione & Societatis laude; qui modesta iuuenum ad pietatem compositione prompti, ad idem ipsi præstandum excitantur. Est non inferiore incitamento noua augustáque templi facies, quam acquisiuit erectis aris tribus arte & operâ visendis. Vniuersi operis impensæ ad sex mille aureos ex piorum hominum munificentia conflatos effi-

Digitized by Google

ciunt. Aucta est & nouo altari varijsque illius ornamentis Parthenia piorum virorum Sodalitas. Tres ædis maximæ Canonici, cum cæteris eiusdem Parthenij Sodalitij socijs P. Ioanni à Campis, eius Congregationis quondam Rectori, in æde Domus Probationis, vbi è viuis excesserat, veteris beneficentiæ memores iusta persoluerunt. Præter aliquot primarios Canonicos etiam Reuerendiss. Antistes Dominus Michaël Desne ad suos eiusdem Sodalitatis collegas exhortationem spiritus ac feruoris plenam habuit.

IV. MAGNA per Catechesin, quæ in singulis Paræcijs numero duodecim instituitur, ciuiū, præsertim iuniorum, ad pietatē accessio facta est. Æger quidam valetudinis ob fractam venā desperatæ Sacerdotis nostri consilio, votis D. Virgini Beatóque P. Ignatio nuncupatis, integrè conualuit. Lutosa, oppidulum Tornaco vicinum, missione Societatis in Spiritu subleuata est: Clero potissimùm instruendo erat instituta, sed populo vrgente ad vniuersos ordines Sacerdotis nostri industria dimanauit. Is fuit fructus, vt viri graues palàm testati sint, populum se haud aliàs vnquam tantopere ad pietatem vitæq; sanctioris propositum incitatum conspexisse.

V. IN Probationis domo obijt P. Ioannes à Cāpis Mōtensis, anno ętatis suę sexagesimo, ingressûs in Societatē quadragesimo, Professionis quatuor votorum vigesimo, X. Cal. Mart. Is vnico duntaxat die, sed tam acutis calculi doloribus cruciatus est, vt raptus potiùs quàm mortuus videatur: repressa quidem semel exquisitissimis remedijs

medijs morbi acerbitas fuerat, sed pòst adeò recruduit, vt ægrum à sensibus atq; intelligentia alienârit. Secunda igitur medela preces Patrum & Fratrum adhibitæ. His sibi redditus à P. Rectore ibi tum præsente obnixè expetijt, sibi vt aures confitenti daret; cui cùm integris planè sensibus magno cum animi motu & pietate cõfessus esset, ad Diuæ Virginis (cuius honoris ac venerationis erat studiosissimus, cuíq; officium eiusdẽ quotidie cum quinq; psalmis, qui litteris Sancti eius Nominis respondent, perlegere solitus erat) opem implorandam, atq; eius patrocinium identidem inuocandũ se conuertit. Expletis deniq; omnibus pietatis officijs in grauiorem quàm priùs syncopen relapsus, vi dolorũ acerbè morsicantiũ vitam exuit. Docuerat litteras humaniores, præfuerat Conuictoribus, Rectorem Leodij complures annos egerat, fuerat Cameraci primùm, deinde & in missione Castrẽsi annos aliquot Superior, postremò Prefectus rebus Spiritualibus, vir prudens, grauis, humanus, pius.

VI. LÆTAM ceterà & speciosam huius domicilij faciem, motis contra eam litibus, velut inductis quibusdam nubibus, molitus est inimicus turbare. Accesserunt enim Hæretici nonnulli, qui prædia, quorum in possessionem Alexandri Farnesij nobilis memoriæ Ducis Parmensis attributione, & Philippi II. æternæ memoriæ Hispaniarum Regis propẽsissima voluntate veneramus, qui ea, inquã, bona & prædia tùm alijs ex caussis tùm potissimè induciarũ cum Hollandis prætextu repeterent. Faciebant enim indu-

Digitized by Google

ciæ ijs, qui alterutra ex parte per bellicos tumultus exuti bonis fuissent, in ea postliminio remeandi potestatem. Et iam rumor præcipuam huius domûs dotem abiudicârat: sed Nostri iure, & DEO nixi statuerũt, rem suam, quamuis à vulgo conclamatam, seriò tueri ac defendere. Ad DEVM, B. Virginem, B. P. Ignatium Nouitij; Rector ipse tum Bruxellas ad secretioris Principum consilij senatores, tum Atrebatum ad Clarissimos curiæ Artesiensis iurecõsultos, tum ad duas Belgij celeberrimas Academias Louaniensem ac Duacensem super negotij huius æquitate discutienda (nec enim fuit humanum auxilium negligendum) se contulit. Cuius vt diligentia in iusto perquirendo, atq; confirmando apud viros amplissimos non parùm potuit, ita in eo expediendo ac præcidendis nonnullorum procrastinationibus plurimùm apud Serenissimos Principes P. Prouincialis valuit auctoritas. Responderunt vtriusque Academiæ Doctores, ius pro nobis facere, & quidem, quod valde ex vsu fuit, sententias in rem nostram facultatum suarum, sigillis obsignarunt. Postremò cùm Theologi Louanienses non licere Principi saluâ conscientiâ donationem Religiosis ab eius maioribus irreuocabiliter & cum euictionis promissione factam aliquo priuatorum respectu rescindere, cõmunibus suffragijs & subscriptis nominibus affirmâssent, fuissetque id ipsi Principi significatum, is decisionem cõsilio suo imperauit: quæ & facta est die octaua Assumptæ in cœlum Virginis, quam omnibus votis patronam huic causæ Ti-

Digitized by Google

sæ Tirones, quorum res agebatur, sibi adoptârant. In tribus alijs litibus, quæ de bonis similibus intentatæ domui fuerant, pridie octauæ Natiuitatis eiusdem DEIPARÆ (ipsius etiam, vt credimus, patrocinio) secundùm nos est iudicatum. Ita secundissimo cœlestium fauore è turbidis litibus ad pacis & tranquillitatis serenitatem religiosæ mentes receptum habuêre. Extructum est interea ad vsus necessarios nouum ædificium duplici contignatione, opus ex latere solidum, & in rupe iuxta riuum, qui domum præterfluit, fundatum.

COLLEGIVM AVDOMARENSE.

VII. COMPLVRES huius Collegij incolæ grauibus hoc anno morbis sunt tentati. Ipse Rector viâ functus: P. Henricus Obrecht Leodiensis, vir multis ornatus virtutibus, sed eximia in primis charitate ac sinceritate, cum ingenti salutis animarum studio coniuncta. Agebat ætatis suæ annum quadragesimum quartũ, initæ verò Societatis circitèr vigesimum. Docuerat annos quinque literas humaniores partim Græcas partim Latinas, & post confectum Louanij Theologiæ cursum Vallencenensibus scholis præfuerat: postea Duaci Confessarius, Concionator, & Minister fuit: inde superior Dionantensis, post remò Collegij Audomarensis Rector. Quibus omnibus in officijs ita se gessit, vt nescires domesticisne, an externis esset charior. Nam & ipsè

Digitized by Google

Reuerendiſs. Antiſtes, & vrbis Gubernator, ac Cœnobij Bertiniani Præſul, tria ciuitatis Audomanenſis capita, vnicè illum diligebant. Quorũ hic quidem, vt ſuam in defunctum teſtatam faceret beneuolentiam, ipſa S. Crucis exaltationi die ſacra, quod pro defunctis perſolui ſolet officium, Pontificali ritu perſoluit religiosè, & die altero ſacrum decantauit, breui eandem ingreſſurus viam. Obijt enim eodem anno IX. Calend. Nouembr. vir Societatis noſtræ quàm amantiſſimus, cuius in Rectorem pietati reſpondere vices visũ eſt; præter ſacrificia enim & preces pro eius æterna ſalute fuſas etiam ordine compoſito diſcipuli (qui ſeptingenti numerantur) ad Bertinianam ædem pro ſuo præcipuo mœcenate deprecaturi proceſsêre: Sodales quidem, tam qui ſub Virginis Deiparę quàm qui ſub Angelorum titulo & tutela ſunt, ſeorſim; ſeorſim & qui non ſunt Sodales: vtroque in Sodalium agmine imago Virginis ex Sichemiẽſi ſculpta ligno præferebatur, ſplendido incluſa tabernaculo: ad ſepulchrũ ſeptem Dauidis Pſalmi decantati. In ipſa verò fidelium animarum feſtâ cõmemoratione aulam Gymnaſij, quæ perampla eſt, pulla veſte Sodales circumueſtiuerunt, & eidem Abbati Bertiniano maioris Sodalitatis nomine (cui & ipſe viuens meruerat) ſplendidè parentârunt. Studium porro animarum in P. Rectore cùm aliàs ſæpiùs in varijs occaſionibus, tùm non multò ante mortem ita conſtitit. Nefarij parricidij rea puella capitalem ſententium acceperat, ſed ſui prorſus impotens, ac velut

Digitized by Google

velut in rabiem versa nullis sanis monitis aures dabat. P. Rector primò quidem sacrificium pro eius salute obtulit, tum ad eam profectus, vbi obsurdescere ad hortatus suos non secus atque ad aliorum, siue Nostrorum, siue aliorum. Religiosorum animaduertit, flexis humi genibus & iunctis manibus maiorem in modum per Christi sanguinem eam deprecatur, vt sui, vt pœnarum aut præmiorum æternorum meminerit; spondet sacrificia, & vt spondeant, qui adsunt, exorat. Nec multis: frangitur peruicax animus, fatetur noxas, pane cœlesti reficitur, talis ad mortem graditur, vt præ gaudio omnium sequatur comploratio, & Societatis in ea iuuanda studium celebretur. Similibus ergo virtutum operibus maturum cœlo se Henricus fecit, cuius viam post acerbos in lõgo morbo cruciatus, rebus domi compositis, & dicto eadem nocte, qua obijt, (sentiebat enim mortem vicinam) Vicerectore, spei bonæ plenus XVIII. Calend. Octob. inijt.

VIII. TEMPLVM Societatis pro frequentantium numero non satis illud amplum quidé, magnificis tamen donarijs augescit. Hoc anno altare, quod antè fuerat humilius, aliquot grádibus assurrexit, quod BB. PP. nostrorum imaginibus ad venerationem dextrâ læuáque propositis religiosiùs colitur. Tanta certè BB. istorum simulachris, Ignatij præsertim votiui luminis affulget copia, vt paucis diebus ceræ pondo cẽtum arserint; quam non de vulgo tantùm accenderunt, sed viri etiam domi militiæq; clari

Digitized by Google

clari & generis splendore illustres. Fuit hoc inter cætera nobile. Hesdinium oppidum est, cùm bellum ingruit, fortissimum contra Gallos præsidium. Huic Præfectus vir multis clarus stipēdijs dirissimis torquebatur cruciatibus, adeóque efferbuerat morbi vis, vt obstructis vreteribus spes omnis, quæ medicorum ope nititur, collapsa iaceret. Adfertur Christianorum de more viaticum: adsunt Nostri summis euocati precibus: spes vna IGNATIVS: omnia viri militaris in Ignatium quondam militem vota coëūt: manibus ipse suis, quæ adhiberi solent, pharmaca euellit, abijcit: Ignatium spectat vnicè: hunc crebris citat suspirijs. Audijt Pater in miserorum opem procliuis: aperiuntur canaliculi, tantúmque pauco tempore infesti liquoris egeritur, quantùm vix capiant congij duo; tantùm arenarum, vt manum implere possint. Mens illi erat nullâ interpositâ morâ templum adire, & tāti auctorem beneficij palàm reuereri: consilio intertium est diem perendinatum; tum sacrâ Synaxi celebratâ gratias egit vitæ, vt aiebat, assertori. Hic corporis medicinam inuenit: animi altera. Matrona magnæ familiæ curis intricata in eam spem venerat, posse se omni importuna concitatione mentem liberare, si eam in rem B. Patri supplex fieret. Supplex facta est, & precibus Ignatium sollicitauit: obtinuit quod efflatauit, tantáq; morum mutatio consecuta, támque infracta fortunæ excepit insultus, vt miraculo accenserent affines, qui pridem illius mores vitámque nouerant. His aliisque insolitis euentis cre-

Digitized by Google

tis creſcit in dies erga B. Patrem & ciuium & externorum veneratio.

IX. CONFESSIONVM generalium tam creber iam eſt vſus, vt vix vllus ſit in vrbe, qui eo beneficio maxima cum vtilitate perfruitus non fuerit. Reducti nonnulli à mortis propè ianua, quam iniquioris fortunæ tædio ſibi ipſis aperire ferro ſtatuerant aut laqueo. In ſcelus à duobus ſollicitata mulier cum altero, qui præferendus videbatur, in hoc conuenit, venenum vti mitteret, quo maritus è medio tolleretur. Dies dicta: mittit nefarius homo cum litteris lethale virus: intercipitur, marito detegitur lenocinij huius ignaro; iámque in manibus flagitium, ante oculos cædes futura, in necem coniugis coniux armatur; nec ſolius, adulteris non ſine causâ infeſtus. Actum tamen à noſtro Sacerdote, vt non tantùm veneno & ferro locus nullus, verùm etiam inter ſe rurſum conuenirent coniuges, & nefarij criminis reis cogitati facinoris impunitas concederetur, tantâ integritate, vt nullum exinde animorum diuortium, nullum fuerit auditum vel vxorium, vt ſolet, litigium.

X. HABET hæc vrbs illud cum paucis cõmune, quòd diuerſi idiomatis non ſuburbana tantùm, ſed etiam vrbis partem habeat, eorum ſcilicet, qui Teutonicam linguam pertinaciſſimè retinent, & inter ſe vſurpant propè ſolam. Ad eos Societatis Sacerdos verba facit magno fructu, vt oſtendit pœnitentium numerus. Febris adoleſcentem rationis vſu ſpoliarat, & animæ medicinam adhibendi locus dabatur nullus: Sacerdos

Digitized by Google

noſter Sanctiſſimæ Matri litanias recitat, lignum de Sichemienſi quercu ori admouet: & ecce culparum ſeſe reum ſubitò æger agnoſcit, pœnitudinem indicat, & ſolemnibus abſolutus verbis felici, vt confidere licet, exitu vitâ defungitur. Hoc in iuuene: aliud firmioris eſt ætatis. Femina diuturno confecta languore, qui veneficijs adſcribebatur, cum medicorũ opem experta diu fruſtra fuiſſet, Societatis implorat auxiliũ. Pater, vt totius vitæ labem Chriſti in ſanguine abluere conetur, ſuadet: paret illa, & medicis valere, iuſſis Euchariſtiæ Sacramẽtum in medicinã corporis animiq; recipit, nec multò pòſt conualeſcit, ac ſaluberrimo Patris conſilio ſanitatem ſe ſuam debere arbitratur. Tulit hoc fructus Teutonica prouincia, cui fouendæ atq; amplificandæ Sodalitatis iacta fundamenta ſunt, tam felicibus auſpicijs, vt centum pluréſque numerentur, qui Dominicis diebus conueniunt, & pro Sodalitatum conſuetudine ſacræ interſunt cohortationi. Exurrexit etiam noſtris conſilijs noua nuper ſchola, in qua puellæ ad omnem puellarem honeſtatem ijs, quæ illas decent, diſciplinis gratis informentur: vnde magnum in Rempublicam emolumentum ſperatur manaturum.

XI. AD SVPPLICIVM ducendus erat vir, multis nominibus morte dignus, ſeditioſus, homicida, in B. Virginem blaſphemus, hæreticus, homo deniquẽ ſpei abiectiſſimæ; is noſtro adlaborante non tantùm hæreſin abiurauit, verùm etiam, cùm prope ſupplicij locum ſacellum eſſet virgi-

Digitized by Google

Virgini sacrum, summa doloris significatione, eò se conuertens à Diuorum Regina sceleris veniam petijt, & mox admirabili constantia & æternæ spe vitæ mortem obijt. Alius à Batauis profectus hæreticus, nocte diéque cruciabatur animo malo velut spiritu infestus: is rabidum suum pectus Sacerdoti nostro aperuit, quo agente fidem Catholicam amplexus, suáque detestatus flagitia, postquam cœlestem adijt mensam, teterrimo illo cruciatu liberatus est. Hæc in vrbe; foris quæ sequuntur.

XII. VIX IN OPPIDA vicina deuenitur (festis id præsertim diebus fieri solet) quin confessionibus excipiendis tempus ita omne consumatur, ægrè vt otium sit corpori reficiendo: multò enim ante lucem considere coguntur ad meridiem vsque; tum exiguo dato interuallo ad multam rursus noctem. Quo fructu commotus Grauelingæ senatus, vt Nostrûm aliquis quarto decimo quoque die eòdem rediret, vehementer efflagitauit. In pagos cùm venitur, exit obuiam ingens multitudo, eadémque redeuntes prosequitur eximia hilaritate & fructu, dum & nostris inhiat colloquijs, & quæ ad salutem sunt, auidè discit. Quidam erat pagus asperrimis incolarum moribus ita infamis, vt flagellum DEI vocaretur. Hîc pastorem nullus agere volebat; vix enim eorum aliquis, quantùm hominum memoria assequi potest, ex eo sine vulnere discessit. Itaque à Pastoribus desertus præda lupis vel luporum potiùs videbatur contubernium: vnius tamen è Nostris

Digitized by Google

Noſtris ſolertia euicit & conſtantia, vt non modò Patrem ſtudiosè accerſerent, ſed præterlautum certúmque, quem habebat cenſum, de ſuo certatim offerrent, quò viuere poſſit & honeſtiùs & decentiùs: omnes interim confeſſionis vſi Sacramento: baptizati infantes aliquot: quibus extrema cum morte lucta, ſolitis Eccleſiæ præſidijs muniti: quos emori contigit, ſepulturæ beneficio affecti: tandémq; templum, quod ſimile ſtabulo apparebat, deterſo ſqualore ad nitorem reuocatum: fons pueris baptizandis extructus: tectum collecta ſtipe inſtauratum. Itáque viget nunc ijs locis Sacramentorum religio, in quibus antè propè nulla: pueri & adoleſcentes grandiuſculi, qui aceruatim congregati, cùm peccata exponere deberent, ſola Parochi benedictione percepta diſcedebant, ſua crimina legitimè confiteri didicerunt.

COLLEGIVM DVACENSE.

XIII. MORTEM oppetiére duo; P. Henricus Van Hasbrouck Bruxellenſis, & P. Guilielmus Laubegeois Duacenſis: ille natus annos quadraginta tres, è quibus octodecim in Societate noſtra vtiliſſimè impendit, Poëſin vno anno, Rhetoricam quinque, Philoſophiam ſeptem docuit, & iam Præfecturam Duaci adminiſtrabat; vir vt celerrimi ingenij, ſic in animarum lucrum intentiſſimi. Mirabilis porro in eo fuit ex humanis diſcedendi cupiditas, qua ex cauſa identidem has voces in morbo repetebat: *Eamus, eamus, quid mora-*

Digitized by Google

moramur? Cur tam lentè? & rogatus, num in Societate mori iucundum esset? *Superat hoc*, inquit, *omnem cogitationem; beneficium est beneficiorum, nemo credit, nemo credit.* Habet hîc B. Virgo cœtum suum è selecto iuuentutis flore cõflatum, qui trecentis sexaginta & ampliùs capitibus censetur. Horum tanta charitate, tanto animi ardore bonus hic Pater curam gessit, vt ipsi inductu suo communi omnium cõspiratione iacenti, & lectulo affixo Patri mille & octoginta Rosaria, totidémque Veni Creator; Consultores verò viginti octo sacræ mensæ Communiones sanitati à magna Matre illi impetrandæ obtulerint, hæcque sua vota in publicas tabulas emblemate vermiculato retulerint. Neque hîc stetit grati animi significatio. Cùm enim die Veneris vita excessisset, ipso Dominico Sodalitatis aulam pullis panis vestierunt, quos mortis & B. V. insignibus hinc inde luculenter aspersérat. Pararat & vnus orationem funebrem in functi laudes, sed obstitimus, nec aliquid hac in parte à modestia nostra passi sumus deesse. Alternis tamen vicibus per diem integrum subeuntes, & hora quinta confertim omnes pro eius anima preces fuderunt. Lecta sunt & epicedia in aulæ ianua fixa. Quæ omnia cùm nobis inscijs ingeniosus adolescentûm ardor excogitasset, prohiberi eorum aliqua etsi certè potuerint, omnia tamen ob communem doloris sensum non debuerunt. Proximis enim diebus quàm magnificentissimo potuerunt apparatu funebre Missæ sacrificium pro demortui, vel potius iam viuentis sa-

Digitized by Google

tis salute indixerunt, & viginti aut amplius funalibus, quæ à nobilioribus gestabãtur, cohonestârunt. Idem voluit facere sub Sanctorum omnium auspicijs collecta Sodalitas Iurisperitorũ ac Theologorum, quibus ipse præfuerat: sed cõtrà stetimus, & hic tritum illud obseruauimus: Ne quid nimis. Alter annos duos supra quadraginta vixerat, abhinc triennio in Societatem cooptatus, & iam Collegij procurator: vir enim erat maturus, prudens, benignus, & iam, antequam se daret Religioni, sacræ Theologiæ lauream adeptus. Hic lethargiâ, ille febri hecticâ finiêre. Nunc ad viuos.

XIV. RARÒ aliàs tam felix Philosophiæ cursus: quadringenti initio fuêre auditores, è quibus plures nonaginta ad varias Religiosorũ familias animũ adiecêre, ad Societatẽ quadraginta sex: viginti quatuor petitam iam obtinuerũt. Extremis ante Cineralia diebus instituta est in domo nostra horarum quadraginta solemnis comprecatio, ad quam vt magis populus pelliceretur, nouæ quædã machinæ, incitamenta pietatis, adinuentæ atq; excogitatæ sunt: quibus & binæ in dies singulos conciones rebus singulis, quę per illud triduũ repræsentabantur, accomodatæ adiungebantur. Tantus omnium ordinum fuit cõcursus, vt ipsi etiam Magistratui visum sit, ad sacrum solẽne non diuisim, sed toto, quod aiunt, corpore, nemine vno absente, vt in primis & maximis celebritatibus publicis fieri solet, à domo ciuica ad templũ nostrum procedere. Itaque ad sacras Epulas illo triduo accubuêre tria millia

millia septingenti. Par item pietas pridie Calen. Sextiles (quo die B. P. Ignatij felix memoria publicè celebrata est) emicuit, & quidem ex eo tempore (quòd tum eius virtutes pro concione populo comendatæ forent) multò densius quotidie ad ædem nostram agmen ventitare, multò religiosiùs coram eiusdem imagine Beatum venerari, votiua lumina afferre, & simul suam in eum religionem, simul suam in Societatem beneuolentiam testificari. Quam vel inde colligas, quòd illo ipso die mille quingenti mentes suas cœlesti pabulo refecerunt. Ipse Hibernorum Præses Alumnorum suorum pompam ducens ad templum processit linteatus magni ponderis cereum manu gestans, quem ante B. Patris imaginem supplex fixit, ad cuius pedem centum quinquaginta & amplius libræ ceræ per aliquot dies arserunt. Anglicana verò iuuentus vocum fidiúmque modulatissimum concentum, isto die in Parentis nostri cultum & honorem, tanquam in commune symbolum cõtulit. Inferiore huic pompâ & apparatu, nouo tamen hac in vrbe, vndecimo Calend. Iul. (quem diem B. Aloysij memoria sacrum fecit) est supplicatum, tum frequẽti eorum numero, qui cœlestibus delitijs pasti sunt; tum eorum, qui votiua lumina ante ipsius imaginẽ accenderunt. Habemus porro domiè B. P. vestibus particulã, eiúsq; manu inscriptũ, dum viueret, nomen, vtrũq; argento insertũ, adeóq; miraculis clarum, vt propè semper per ęgrotantiũ domos, lectulos, & oscula volitẽt, qui in ijs habent certũ contra nascentes morbos præ-

Digitized by Google

præsidium præsensq; aduersus corroboratos remedium. Duos tantùm in ceterorum fidem hic subiungam, quibus B. Patris inuocatio apprime fuit salutaris. Mulier coniux grauissimis afflicta lateris doloribus à parēte suo chirurgo, qui frustra esse alia remedia crebrò expertus erat, monita, vt quādo ista non prodessent, ad B. P. Ignatij opem implorandam sese conuerteret, mox pietate in eum stimulāte, & doloribus quasi impellētibus, sacras eius reliquias domo nostra adferri efflagitat: adfert vnus è Patribus; illa veneratur, lumen è cera candida coram eius effigie vouet: & ecce tibi extemplo dolores mitigari, & illa postridie sana surgere, quæ heri propè abripi à morte credebatur. Sensit & præsentem eius opem puer sexennis; qui sæuis calculi cruciatibus dudum vexatus, auditis à Patre suo, quæ B.P.Ignatius patrarat, miraculis, eius colendi amore captus mensem vnum in eo exorādo cùm posuisset, lenitis sensim doloribus, ac calculo minutim dissecto, meliùs habuit. Feminæ item duæ intolerabili febris æstu ardentes nuncupatis B. Patri votis flammas restinxerunt. Facta est ad sacram templi supellectilem quingentorum aureorum accessio.

COLLEGIVM ANTVERPIENSE, BRVGENSE.

XV. EXTREMVM diem obijt P. Melchior Wonzelius Antwerpiensis, anno ætatis quinquagesimo quinto, expletis in Societate viginti sex, professus

fessus tria vota. Totum eius officium, postquam è Tirocinio exiuit, fuit in confessionibus audiendis tam extrancorum quàm domesticorum, in quibus tanta versatus est, etiam cùm vehemētissimis podagræ aculeis pungeretur, diligentiâ, vt nec ad extremum vsque vitæ biduum à cōfessionibus Nostrorum potuerit auocari; immo ad templum se deferri, cùm incedere non posset, obnixè postulârit, donec pituitosus catarrhus cum modico fluxu sanguinis per nares eum lecto affixit, vbi singularē præstitit in magnis morbi doloribus patientiam.

XVI. IVVENTVS augescit in dies, éstque ea nunc multitudo, vt tertia classis Grammaticæ, quæ in duas centurias semper diuidebatur, loco etiam fuerit distinguenda. Hollandi pueri, quorum hîc non exiguus numerus sub nostra disciplina est, cùm indictis vacationibus nauim conscendunt in patriam, de pijs rebus sic inter se cōferunt, támq; constanter D. Virginis & Diuorū aliorū heroica facta & miracula à Magistris audita commemorant, vt ceteris vectoribus ipsisq; partem magnā hæreticis sint admirationi. Quidam è Fratribus nostris habitu mutato in Hollādiam missus aliquot ita inter se differentes cùm offendisset, volens constantiæ puerilis periculū facere, acriter illos quasi blasphemos minitabūdus increpuit: verùm illi nihil terreri, sed contrà fortiter stare, & pro religione sua tuenda animis contrà niti & pugnis, adeóq; vnguibus etiam ad pugnam se armare, donec Noster personâ depositâ Catholicum se ostenderet.

Digitized by Google

XVII. SODALITATES ducenis ampliùs hoc anno auxêre capitibus: illi, quæ varios huius vrbis cùm doctrinâ tum dignitate clarissimos cõplectitur, felicibus auspicijs adscribi voluit Reuerẽdiss. Antistes. Ex hac quidã Sodalitate honoraturus patronã suam ad statuã illius in tẽplo nostro affabrè adornatam lychnuchũ pensilem ducentorum aureorũ appendit. In primo vrbis tẽplo pia matrona è primarijs Belgij familijs oriũda, clara nuptijs Illustriss. Gubernatoris arcis Antuerp. D. Decano aliisq; Canonicis arbitris puellas in cõcertatione catechistica superiores munusculis sua manu liberalissimè cõdonauit. Ita nunquã iacet hic puerilis institutio: & quanquã suburbanũ agrũ Tirones nostri hinc abeũtes deserere coacti fuerũt, studiosi tñ nostri in eorũ locum succesere, fructu non pœnitẽdo. Sed & solitis concionũ nostrarũ sedibus, quæ nunc duodecim, aliàs quatuordecim fuêre, vna est addita cathedra in celebri & perãtiquo huius vrbis cœnobio, petẽte atq; vrgẽte Prælato. Ibi noster cõcionator miro quodã animi sensu B. Aloysij Gõzagæ Angelicam puritatẽ deprædicârat, cùm ita dulcissimo sermone duorum coniugum animos mouit, vt pari consensu (quẽ maritus multis annis flagitauerat, nunquam impetrauerat) mutuâ cõgratulatione, præuijs precibus, & mixtis gaudio lachrimis, DEO votum castitatis & continẽtiæ nuncupauerint, Virgineum suum Aloysium fidissimũ sibi patronum, & strenuum contra dæmonis insultus adiutorẽ inuocantes, ac venerãtes. Idem aliàs ex oratione D. Hippolyti de Cõ-

summa-

Digitized by Google

ſummatione ſęculi æſtu quodã dicẽdi in impiorum ſceleratos mores ac pericula inuectus, cùm horrendũ illud ſum̃i Iudicis in damnandos fulmen exaggeraret, honeſtus ciuis, qui tũc aderat, & Hippolyt⁹ vocabatur, in ſe fulmẽ illud vibrari ratus examin⁹ cecidit; domũ relatus grauiter decubuit: ſtatim igitur Eccleſiaſte noſtro ad ſe vocato animę ſuæ ſalutem conſcientię ſuæ maculis expurgatis & ipſe & vxor eius ſunt conſecuti.

XVIII. SÆPE triginta Patres in varijs vrbis templis aures pœnitentibus dederunt: feſtis ſolennioribus tria millia & centum circiter ſacrâ mensâ in æde noſtra refecti ſunt. Auditi à varijs trecenti, qui generalem totius vitæ cõfeſſionem inſtituerent; ad idem præſtandum ruſtici non pauci, quorum rudes animi à Noſtris Chriſtianæ doctrinę rudimentis fuerant imbuti, à quarto ab vrbe lapide & amplius ad nos aduolârũt & alios ſecum noſtrorum comitate æquè in pauperes ac diuites deprædicata inuitârunt. Multi confeſſionis remedio à præſtigijs dæmonum, & ſceleratis machinationibus liberati. Quidam à quinquennio varijs vitijs immerſus aliquot annos cum Patre graues inimicitias aluerat, atque ad duellum frequenter prouocârat, ita vt parens tædio & graui filij inſolentiâ labefactus credatur interijſſe. Quæ macula cùm illi à conſanguineis aſpergeretur, & ille identidẽ peierando non tam elueret quàm augeret, ecce tibi eadẽ nocte ſubluſtri, quâ periuriũ hoc aliàs ſexcẽties reus cõmiſerat, horrẽda ſpecie dæmones cubiculũ ingreſſi violẽtas ei manus parabãt inijcere: ipſe metu pę-

Digitized by Google

nè exanimatus exilit è lecto, proſtratus Seruatoris clementiam implorat, vniuerſæ vitæ ſuæ exomologeſin & peregrinationem ad B. V. Aſpricollinam vouet: poſtera die vni è Noſtris adhuc metu perculſus magno animi ſenſu cõfeſſus reſipiſcit. Puellæ ex nefariorum ſcelerum conſcientiâ in deſperationem, & ex deſperatione in amentiam, & ex hac in necem ſuam inclinanti ſpectra primò, quibus velut ab Harpyis vidēbatur ſibi diſcerpēda, poſtmodum Confeſſarij noſtri, quem ad ſe accerſiri infirma curauit, monita, preces, ſacrificia, & poſtremò ipſiuſmet reæ debita confeſſio medelam, ſanitatémque animæ & corporis attulerunt. Nam præciſis omnibus peccandi occaſionibus atque illecebris vitam honeſtiſſima Virgine dignam nunc ducit.

XIX. EXERCITIIS ſpiritualibus, vt ceteros omittam, vir Conſularis vnus, Religioſi tres exculti; quorum vnus, poſtquam duos annos Religionis ſuæ caſtra deſeruiſſet, in antiquam ſe reddidit diſciplinam: alter ex fuga, quam meditabatur, redijt: tertius Prior deſignat⁹ ſe ad id muneris obeundum meditando præparauit. Publicis cuſtodijs aliquid etiam emolumenti importatum, ſeu altari neceſſariâ ſupellectili inſtruendo, ſeu ſacrificium ibidem omnibus Dominicis & feſtis diebus offerendo, ſeu pijs exhortationibus adhibendis, ſeu deniq; peruicacibus noxiorum animis ad pœnitentiam & piam mortem incitandis ac deducendis. Quidam è primarijs ciuibus quòd pauperum miniſterio, ad quod pro laudatâ vrbis cõſuetudine publicè delectus erat, vacare

Digitized by Google

vacare nollet, ſummâ bis mille aureorum mulctatus quiduis potiùs quàm ſtatutum pretium perſoluturus videbatur: ſed ita cuiuſdam è Noſtris congreſſu emollitus eſt, vt non modò pecuniam omnem è veſtigio addiceret, ſed etiam eodem die ſuis ipſe manibus numeraret, & cum mulctæ auctoribus datis vltro citróq; dextris in gratiam rediret.

XX. CREBRÆ hîc ſunt cum Hæreticis eorúmque capitibus velitationes, & verò fructuoſæ. Vnde quadraginta ad Eccleſiæ gremium reducti, quorum multi integram vitæ confeſſionem inſtituerunt. Puella annis & formâ florens ex Zelandia ad vrbis encænia Antuerpiam venerat, inuiſit ædem noſtram, ſacris adſtitit, aduertit Eccleſiæ cultum ac ſplendorem, vidit populi frequentis modeſtiam, & religionem: his ita capta eſt, vt ad ſuos redire noluerit. Bonis igitur omnibus expoliatam inſignis matrona ex Noſtrorũ cõmendatione domo & mensâ excepit, vbi ipſa animis pluſquam puellaribus Religionem Catholicam omni conatu tenet tuetúrque.

XXI. SVB SOLEMNES Sanctorum omnium ſtatiuas ferias ad milites Sacerdos quidã excurrit; vbi tantus ardor conciones audiendi fuit, vt ſub noctem horâ circiter octauâ ſolido die confeſſionibus audiendis impenſo publico nomine Patrem rogari iuſſerint, vt quod in meridie filũ dicendi abruperat veritus anguſtias temporis, nunc longiori ſermone cõpenſaret. Itum etiam in Paſchate ad pagum ſub muros vrbis Bredanæ ſitum; ibi non modò Bredanorum, ſed & eorum,

Digitized by Google

qui nocte intempesta nauem cõscendentes ex ipsa Hollandia cõfluebant, confessiones auditæ. Cõcio autẽ propter Hollandorũ, qui tam vrbis quã pagi dominatum tenẽt, interdictum haberi non potuit. Lyræ, quò singulis Dominicis excurritur, propter nimiam multitudinem ad Catechismum accurrentium migratum est è sacello satis amplo ad sum̃um templum, quò tota ciuitas cõfluit. Numerãtur pueri supra mille, & vix adultorum adæquant numerũ. Isti tanto flagrãt Catechesis desiderio, vt quidam ad nuptias inuitati ituros se negarint, si Catechismi lectione carendum foret; illã enim sibi omni animi relaxatione esse potiorem. Manè vix somno excitati sanctas lectiones decantant, quas toties in officina, in mensa, in ludo repetunt, vt se nihil aliud à liberis suis audire parentes fateantur. Quæ cùm Reuerendissimus Antuerpiensis Episcopus intellexisset, interesse aliquando & manu sua præmia distribuere & sacra illos pace impertiri voluit; vidit feruorem pietatémque puerorum, addiditque, similem nunquam à se visam diligentiam. Tantam denique hausit lætitiam, vt serió promiserit, quoties Lyram se conferret, toties lectioni Catechismi interfuturum.

XXII. INSTITVTA BRVGIS hoc anno noua Sodalitas iuniorum opificum, cuius initia, vt se dant, lætam admodum spondent messem; ex ea quinque Societatem ambiunt, & vnus impetrauit: alij in expectatione sunt. Iuuenis quidam cum hectica febri alterum iam annum

num conflictatus, medicorum iudicio properabat ad mortem, sed Sodalitatis ineundæ proposito, & peregrinatione ad B. Virginem Aspricollensem suscepta, exiguo tempore ita valetudini est restitutus, ac si tentata ea fuerit nunquam. Cum adhuc honoratiores viri ac nobiles sibi dedecori penè ducerent, si eorum quisquam in solemni supplicatione sanctissimo Christi corpori manu præferret facem (famulos enim & pueros id officij præstare iam moris erat) nunc Sodalium exemplo ipso sacratissimæ Eucharistiæ sacro die nouo ipsi diuini honoris incensi ardore, facibus è pura cera instructi, prodiére in publicũ ex ipsorum numero propè ducenti. In Damensi oppido, quò sacræ Crucis venerãdæ causâ quotannis solemni more Brugensis populus statotẽpore excurrere solet, toto octiduo sacræ ad populum conciones habitæ magno animarum emolumento: ducti eòdem longo agmine discipuli, & docti cum fructu sacras peregrinationes obire; quippe toto itinere aperto capite silentésque procedebant, nunc Rosarium, nunc Litanias varias, nunc septem Psalmos recitantes; eodem ritu, cùm ibi sacrum & breuem exhortationem à Nostro habitam audijssent, redière.

XXIII. CVM Hæreticis fructuosè laboratum. Plures ex ijs in sinum Ecclesiæ Catholicæ multorum annorum abiurata hæresi reuertére; non nemini, vt deserta hæresi simúlque patrio solo hîc Catholicorum more viueret, persuasum: quod consilium etiam

Digitized by Google

integra familia errores Caluini complexa adhuc est secuta: alij pestifera sectariorum scripta igni tradenda attulêre: nonnulli è vicinis hæreticorũ oppidis sanioris doctrinę studio huc profecti auxilium à Nostris accepêre: alienum sexcentorum aureorum æs Dominis redditum.

XXIV. VICVS est quidam Catholicorum Slusano oppido proximus. Hic cùm Catholicorum ritu sacra in posterum fieri, concionésq; haberi hæreticis impedientibus desijssent, ad vicinum propugnaculũ festis & Dominicis diebus itum, atque è vico illo & Slusana vrbe pellecti Catholici sacris concionibus in antiqua Orthodoxa fide sunt corroborati. Quidam desertâ Ecclesiâ hæreticorum errores multorum cum offensione fuerat amplexatus, totósque iam viginti septem annos Ecclesiæ Catholicorúmque hostis extiterat acerrimus: hic tandem, positis prius coram sanctissimo Eucharistiæ Sacramento erroribus, hæreticísque libris flammæ datis, Ecclesiæ, vnde turpiter discesserat, sese reddidit, & tanto nunc hæreticos, quanto nuper Catholicos, odio auersatur.

XXV. SACRÆ supellectili præter alia donaria duæ accessêre hoc anno argenteæ cymbulæ thuri administrando non vulgaris pretij: radij item argentei ad ornatum statuæ Dei Matris ex sacra Aspricollẽsi quercu. Senatus Brugensis ad quatuordecim millia aureorum in scholarum ædificationẽ nuper collata hoc anno alia millia octo adiecit: Franconatensis verò ad septem millia in eundem vsum nunc totidem alia addidit: diuersi

Digitized by Google

uersi item sex millia : constitit porrò totius Gymnasij moles aureorū quadraginta millibus.

COLLEGIVM IPRENSE, CORTRACENSE, GANDENSE.

XXVI. Hoc ineunte anno in gratiam Alumnorum Seminarij Episcopalis cœpta est hîc explicari Theologia moralis, & dogmatica de fidei controuersijs. Habitæ exinde celebres disputationes, quas præsentiâ iuâ Prælati cōplures, ipse autem Reuerendiss. Præsul etiam seria disputatione cohonestauit. Inuitati quoque Ministri Hæreticorum, qui tum fortè ex Hollandia huc venerant: & adfuerunt quidem, sed tacuerunt. Scholæ inferiores cùm aliorum, tum illustrium aliquot adolescentium accessione non parùm adauctæ. Lectissimi quique industriam suam mirificè probârunt in Reuerendiss. Domini Ioannis Vischeri Iprensis Episcopi inauguratione, in cuius gratiam rara argumenti facilitate alium Ioannem Vischerum Episcopum Roffensem ac martyrem in scenam dederūt, eâ celebritate auditorij, quam præter insignem Nobilium Doctorúmque hominum coronam duodecim quâ Episcoporum quâ Cœnobiarcharum præsentia secum ferebat.

XXVII. INTER discipulos præcipua fuit Sodalitatis Partheniæ laus: quam & in ætatis flore tuendo, & in varijs animorum ornamentis sibi parandis meruit insignem. Est tribus abhinc

Digitized by Google

milliaribus pagus Rosebeke, id est, torrens rosarum dictus, votiua ad B. Virginis ædem peregrinatione sacróq; arboreto nobilis, quod templo vndiq; circũfusum pijs stationibus per interualla dispositis spatiosã atq; amœnam religiosè circumeuntibus viam præbet. In quo illud constat accidisse mirabile, quòd superioribus hæreticorũ turbis, cùm ille tract⁹ in primis siluosus, ac latrociniijs infestus, eóq; planè incultus iaceret, agri omnes huic viæ adhærẽtes enatis temerè arbustis in siluas degenerârant, sola hæc sacræ supplicationis via pura, vt erat, liberáq; permansit. Eam peregrinationem piè obeundi adolescentes nostros, tum SS. Angelorum tum Deiparæ Sodales, cupido incesserat. Facta ergo potestate plurimisq; cereis cõparatis processêre ex vtroq; Sodalitio circiter octoginta, tripartito per viam agmine, B. V. coronam officiúmq; recitantes, aut pios hymnos decantantes. Vbi ad locum ventũ est, Virgine Matre salutata, cereisq; oblatis, solẽne sacrũ vno è Nostris faciente cecinerũt, è cuius deinde manu sacrã pleriq; omnes Cõmunionem perceperunt; tum demũ obitâ religiosè, quæ tum maximo concursu celebrabatur, supplicatione, curatisq; nõnihil corporibus, sub vesperam, quà venerant serie, domum repedârunt. Ita edocti tam ipsi quàm ipsorum exemplo alij suas peregrinationes pietate ac precibus adornare.

XXVIII. QVATVOR in hæresi enutritis & ritu Catholico expiatis Christiana sacra præbita. Nobilibus quibusdam coniugibus, qui inualidè contraxerant, opportuno remedio salua eorum existi-

existimatione consultum. Illa celebritate, quam Quadragesimæ præmittere solemus, Reuerendiss. Episcopus Iprensis præter sacrum luculentũ quoque sermonem ad populũ in templo nostro habuit. Quidam è pœnitentibus passus aliquot annis graues & importunas vexationes contra Castitatem, quam Deo vouerat, demũ conceptâ fiduciâ in B. P. N. Ignatij meritis, eóq; inuocato & in somnis conspecto, ita se deinde ab infestationibus illis liberum omni ex parte cognouit, vt omnes impuræ imaginationes quasi spongiâ absterſæ ex animo viderentur: quo nomine perpetuum se B. Patris clientem virtutúmque illius prædicatorem fore spopondit. Alius primariæ nobilitatis, cũ periculoso morbo teneretur, Sacerdotem è nostris accersiuit, quem & sacras eiusdem Beati reliquias secum deferre voluit; quibus sibi applicitis, votísque conceptis, haud multò pòst sanitatem recuperauit. Nec externis magis, quàm suis visus est B. Pater auxilio adfuisse. Quidam è domesticis adiutoribus, diabolo an melancolici sanguinis vitio illudẽte, sanus alioqui & vigilans ac muneri suo intentus, modò in oppositum aquæ vas subitò capite pronus mergebatur, modò retrorsum quasi succisis poplitibus corruebat, modò alijs eiusdem modi vexationib⁹ magno cum suo atq; adstantiũ horrore nec sine sudoris vndiq; erumpentis indicio afflictabatur: & huic ergo suspẽsæ de collo Beati reliquiæ omnem hanc molestiam ademerunt.

XXIX. VIR QVIDAM magni nominis, sed peritæ in liberos suos indulgentię, cũ ab vno è Nostris

Digitized by Google

ſtris ſeriò eſſet monitus, neque tamen filiorum excessus ſanè graues magni facere videretur, haud multis pòſt diebus ſatis improuiſa morte interijt. Cùm enim è licentiore quadam Religioſorum familia (Noſtris olim conſiteri ſolitus) confeſſarium euocari iuſſiſſet, ante rationis vſu deſtitutus eſt quàm ille aduenire, ac paulò pòſt extinctus.

XXX. MISSIO BELLIOLANA per Quadrageſimam repetita; vbi præter quotidianas concio-nes noua inſtituta ad famulos & ancillas totius anni Dominicis diebus concio: labantes nonnulli in fide confirmati: errantes ad auitam religionẽ reducti. Meſſinium oppidum eſt duobus hinc milliaribus diſſitum, opulento nobilium virginum monaſterio celebre; eò excurrit per dies Dominicos vnus è Noſtris Catechiſmi & exhortationis gratiâ magno cum fructu, cõuerſionéq; animorum. Religioſæ enim iuxta ac ciues, quibus antea parum vel nota vel probata erat Societas, nouâ iam præſertim pijſſimâque agente Antiſtitâ, loci Dominicâ, ſic Noſtrorum miniſterijs capiuntur, vt & affectum non vulgarem exhibeant, & ipſum Cœnobium maiorem in dies pietatem ſpiret.

XXXI. SACRA ſupellex veſte Sacerdotali diuerſi generis, & duplici altaris palla magni pretij ex piorum liberalitate aucta eſt. Celebris item apud ſuos Iuriſcõſultus non tam ad Societatem admiſſus, quàm poſtliminio ad eam, vnde ante annos aliquot valetudinis cauſa Tiro receſſerat, reuerſus; cùm olim centum aureorum mutuum

à vi-

Digitized by Google

à viro quodam primario sub nominis sui Chirographo contraxisset, iámq; de eo nomine expediendo cogitaret, ecce tibi altero, quàm in Collegium venit die, creditor spõte Chirographum reddit, debitúmque condonat, nihil ab eo repetendum ratus, qui se totum DEO obtulisset.

XXXII. CORTRACENSE templum nostrum, hoc demum anno perfectũ, & ab Antistite Tornacensi, ægro quamuis, & aliena manu tantùm, in pedes erecto, magno tamen ipsius & nostrûm omnium gaudio dedicatum est. Catechesi hoc loco Magistratus ipse adest, pueritiam recenset, præmijs merentes, absentes nota afficit. E Nostris amissus vnus, P. Franciscus Bouwens octo in Societate versatus annos, in litteris humanioribus tradendis duos: in præfectura studiorum, administranda quatuor reliquos; vir mirè suauis & candidus.

XXXIII. E GANDENSI ciuitate nunquam tam multi támque insignes iuuenes Religionem ambiuêre, atque hoc anno: Societatem nouem, duo iam ingressi. Discipulorum alij nuptijs, alij cõuiuijs propter sacras conciones & templi exercitia mirantibus domesticis se subducunt: integritatis propagandæ mirè studiosi. Primariam in hac vrbe sedem non pauci Ecclesiastici oratores ambiebant; delata est illa Nostris nihil tale cogitantibus ab Episcopo & Canonicorũ Collegio, quæ vulgi opinionem de Societatis existimatione non parum auxit. Dies olim Bacchanalium, nunc hîc quoq; sunt pietatis: æmulantúrq; pagani vrbanos ea contentione, vt ne imbribus qui-

Digitized by Google

quidem densis à tam pio negotio se sinant excludi. Communicârunt ijs diebus bis mille, septingenti. Templi supellex imagine B. Patris IGNATII aucta, cui tricorne candelabrum, cum igne perpetuo honestæ matronæ munus acceßit.

COLLEGIVM INSVLENSE.

XXXIV. INSVLIS hoc anno nouum Collegium (quod munificentissimæ Reipublicæ Insulensi bene atque ad Dei Opt. Max. gloriam vertat) numeris omnibus absolutũ perfectúmq; est. Habitatio, scholæ, templũ, hortus, area, omnia ampla & cõmoda, atq; à fundamẽtis firmo ac solido opere structa. Impendit Magistratus in omnem ædificationẽ aureorum quadringenta millia: nõ est proinde in Prouincia hodie par Collegium. Eò transmigratũ est XV. Cal. Nouemb. huius anni CIↃ.IↃC.XI. qui dies erat D. Lucæ sacer, Religiosa ac solemni pompa. Dedicârat biduo antè Reuerendiss. Episcopus Tornacensis templũ, & quidem sub titulo & patrocinio Deiparæ Virginis: quippe cui nullũ in hac vrbe antehac consecratum esset, vt merito beneficiũ hoc reseruatum Societati nostræ videretur. Aræ laterales, dextra quidem Principibus Apostolorum Petro & Paulo, sinistra autẽ D. Victori, cuius corpus ex dono P. N. Generalis Claudij Aquauiuæ Româ exspectamus, sacratæ sunt. Iam quo celebrior augustiórq; foret transmigratio, decre-

Digitized by Google

decreuit Senatus quàm honorificentissimè supplicationem adornari, Religiosorum Ordinũ familias inuitari, publicâ prœconis voce per cõpita edi, vt plateæ locáve, per quæ supplices iremus, expurgarentur omnia, & festiuo quà tapetũ quà imaginũ ornatu splenderent; adeòq; suis impendijs quatuor conspicuis in locis eleganti aras paratu ponere decreuerat, nisi tres nobis amici suo id priùs labori vendicássent. Eidem visum est præclarum operæ pretium, vt omnes, qui Magistratum gererent, sacrosancto Christi corpori cerea pura faces prælucerent. Quæ omnia vbi accepit Episcopus, Pastores vrbis singulos vnà cum Clero linteatos adesse iussit, tum ex nostro & Senatus voto Eucharistiæ ferêdæ operam addixit suam. At verò supplicationis forma & ritus hic fuit. Postquam ad vetus Collegium vniuersi Ordines ex Senatûs & Patrum volũtate ad instituêdam publicam supplicationẽ conuênere, hoc ordine processum est. Qui piũ terræ sanctæ iter emensi sunt ciues signa byssо vibrantia, quibus Christi passi appicta erant mysteria, per pueros agmini suo curárunt præferenda. Hoc insecuti de Gymnasio nostro Ephebi longa serie tædas gerentes. Inde sacrorum virorum primus Ordo Capucini, ac deinceps alter S. Franciſci familia, tum denique S. Dominici sectatores. Hoc exceperunt Parochi cum suis, qui vtrinq; cantorum linteatorum agmen claudebant. Cantoribus Canonici duo succedebãt; qui chlamydibus opere phrygio intextis auro byssoque & ad limbos acu pictis augusti, baculos argen-

Digitized by Google

argenteos manu gestabant. His omnibus insistebant plerique ciuium, quà Sodales quà nobis amici, ardenti prælucentes face. Proximus ab his ordo noster sanè magnus, qui ad latera lipsanothecas stipabant, linteati & cereos gestantes ea serie ibant, vt non Sacerdotibus ipsi Sacerdotes ordine suo quisque succederent, extremum vtroque ab latere P. Prouincialis & Collegij Rector obtinerent locum. Intra tam pios grauésque stipatores octo è Sacerdotibus domesticis Sacerdotali ornatu sacris reliquiarũ thecis succollabant. Nouum id omnibus & gratissimum mortalibus spectaculum fuit: nouum quidem, quòd tali nũquam amictu hac in vrbe Sacerdotes lipsana circumtulerint: gratissimũ verò propter elegantium thecarum & sacrorum ossium æstimationem. Primore loco ferculum fuit S. Catharinæ plurimorũmque aliorum è Diuis tam Virginibus quàm alijs: byssino illud candenti tectum erat, quod opere phrygio arte magistra coronis, palmulis decussatis, capreolis, ramusculis ex auro variè illusum erat, pictis etiam ex auro circùm nominibus. Alteri pheretro imposita erat Treuirensium martyrum theca: blatteo hęc holoserico vestita, palmulis decussatim, capreolis, coronis, nominibus per ambitũ ex auro coruscabat. Tertiam arculam ornatu primæ similem ex vndecim millibus virgines vendicauerãt sibi: vltimam Dilapha Tyria, & auro leniter ardentem paribus secundæ figuris S. Mauritius & Thebæi martyres. Nostrum hunc Senatus chorum excepit. In eo quadraginta viri è candida cera

Digitized by Google

cera facibus prælucebant, cornicibus ac liticinibus eorum in medio modulantibus: tum Canonici aliquot ac D, Petri Decanus ſplendido quiſque ſacróque ornatu, vt qui mox ſacris ad aram operaturi eſſent. Ab his Epiſcopus ſacroſanctum Chriſti Corpus, ſuorum inſigni cultu ſpiẽdentium choro ſeptus, gerebat; cui ſupra caput vmbraculum aureo panno decorum obtendebant nobilium ciuitatis primores quatuor. Illuſtriſſimus Annapij Comes vrbis Gubernator, Abbates duo, Præpoſitus D. Petri, Præfectorum rationalium Præſes, Diœcetæ Regionis aliquot, Nobilium ingens numerus tædam quiſq; geſtãtes pompam inſigni decore clauſerunt. Strepebant interim feſtiuo pulſu æra campana in turribus, in vrbis prætorio cornua lituique. Soli ex tota vrbe prioris Collegij, vnde iam migrabamus, vicini mœrorem teſtari ſuum viſi; nempe quaſi vnà nobiſcum præcipua ipſorum commoda cum aris & ſacris noſtris aliò transferremus: & ſparſus eſt, veréne an falsò? rumor, pleriſque tum in mentem veniſſe mæſtitudinis ergò totam viciniam nigris velis obtendere.

XXXV. POSTQVAM intra templum pompa omniũ recepta eſt, S. Petri Decanus ad aram fecit: nec ferè aliàs ſacrum fuit & harmoniâ muſicâ, & communi ciuium pietate, atque ſincero gaudio lætius. Habita concio, in qua ſubinde meritò in ſenatûs laudẽ inſigni gratia, & approbatione auditorum concionator noſter excurrit. Sacris peractis publico Senatûs & Ordinũ Prouinciæ impendio noſtra in cænatione tali homi-

Digitized by Google

num confessu dignum epulum est datum, in quo præclara certè conuiuantium enituit temperantia: quam in rem non parùm valuit acroamatum varietas, quibus à nostris hominibus inter epulas è suggestu varijs in senatus laudem linguis est itum. Sublatis mensis eleganti admodū emblemate laudatus, & donatus est Comes. Magistrat⁹ hinc carmine notis hieroglyphicis egregiè depicto, illinc ēblemate ingenij manúsq; solertis. Ab cœnaculo sacram in ædem reditū est, vbi tandem vesperis musicâ symphoniâ decantatis idem vesper celebritatem clausit & diem. Dici autem vix potest, quàm optato successu, quàm ex Senatûs nostráq; sententia fluxerint omnia. Quantum sanè voluptatis hauserint Gubernator, senatus, ceteri, publicus priuatúsq; discedentium plausus argumento fuit. Venio nunc ad fructus Societatis instituto proprios.

XXXVI. ADOLESCENTIVM, qui scholas nostras studiorū & morū gratiâ frequentant, is iam numerus, quo nunquā antea maior hîc fuit: prolicientibus (vt fit) Gymnasij elegantia & laxitate. Ciuium Sodalitas tam frequentiâ quàm pietate admodum floret: eam propiùs, quātùm adniti potest, vtraq; Studiosorum æmulatur. Horum vnus generoso & nobili in paucis facto claruit. Suborta cuidam adolescenti fuerat suspicio, apud Præceptorem ab isto se delatū. Grassante igitur animi dolore grauissimo in eū odio sic exarsit, vt ne quidem æquis oculis adspicere posset, ac tandē quam volebat nactus occasionē, coniectâ in faciem manu ei colaphū infringeret. Nihil

Digitized by Google

Nihil ea moderatum iuuenem iniuria commouit, nullum ei animi dolorem expressit alium, quàm quo cædentis & crimẽ & miseriam deploraret. Eadẽ ergo die sub noctem cùm ne sic quidem aduersarij odium exsaturari perspiceret, in eius se cubiculum penetrans humo aduoluit genua, & cuius immunis erat culpæ veniam deprecando tam diu se terræ afflixit, donec efferatam eius mentem generoso facinore demulceret.

XXXVII. ANGLI inter captiuos duo adulteratæ monetæ suspecti cùm capitis arcesserentur, criminis apud Iudicem reos se cõfessi, omnes totius vitæ noxas vni è nostris Sacerdotibus aperuerũt, & postquàm alter eorum, quâ diu fuerat imbutus, hæresin abiurasset, vterq; ad furcam sic paratus abiuit, magnas vt DEO gratias haberent, quòd id genus morte apud omnes populos infami, quam scelerate traduxerant, feliciter vitam abrumpere liceret. Veteri porrò more inoleuerat, vt qui scelerũ rei capitis essent damnati, paucis dumtaxat horis ante supplicium de mortis sententia monerentur: quo sanè frequẽter euenit, vt tam graui nuntio perculsi complures attonitis hæserint animis: & obruta vehementer ratione, minùs quàm par fuit, magno discrimine salutis ad purgandas vitæ labes incubuerint; omnes verò sacra Eucharistiæ perceptione priuati non mediocri ad mortem fortiter obeundam caruerint adiumento. Hoc igitur anno tandem impetratum ab ipsis iudiciorum Præsidibus, vt pridie, quãdo commodè fieri posset, aut saltem, si aliter nequiret, exeunte nocte

Digitized by Google

sub diei crepusculum adiudicatæ sibi mortis apparitoris voce commonefiant. Exin itaque perfectum est, vt paratioribus per expiationem animis, & sacrosancto Christi corpore muniti alacriùs ad subeundum quodlibet infamis lethi genus in scelerum compensationem abeant. Sacro templi instrumento accessit è collatis amicorum symbolis elegans Eucharistiæ monstrandæ hierotheca: nouum item cum vestibus Sacerdotis duabus altaris velum, quorum omnium materies eadem, pannus auro crispatus argentóque contextus.

COLLEGIVM VALLENCENENSE, MONTENSE.

XXXVIII. FRVCTVS VALLENCENENSIS Collegij hæc ferè capita habent. Nonnulli, qui aut externa tantùm specie Catholicam fidē profitebantur, aut in hæretico solo prauas animo doctrinas imbiberant, virus omne respuerunt. Impermisso vsi cōsortio ante legitimum matrimonium aliqui vel sciūcti, vel ritè copulati: vnicus Sacerdos quinquaginta supra centum à primis pueritiæ annis peccata repetentes audiuit. Deiparæ congregatio multorum senatorij ordinis virorum pietate florens, è panno nobili tensum seu conopœum conficiendum curauit, sub quo à quatuor primarijs Sodalitij viris sacrum Christi corpus ad ægros deferatur. Templo nostro nouus conciliatus decor. Aræ B. Ignatij transennæ præfixæ: in Beatæ Virginis picturam & stru-

Digitized by Google

& structuram aurei mille insumpti, à beneuola in nos muliere tributi: sacrarium tabulis in hierothecas distinctis instructum, quod opus sexcentis aureis stetit. Odæum præterea perelegans ter mille aureis æstimatum Illustrissimi Archiepiscopi Cameracensis liberalitate est erectum. Domûs etiam commoditati est prouisum: horti angustiæ adiecto altero laxatæ: domus vicina quinque aureorum millibus coëmpta, cuius solum scholis struendis est aptissimum, ad quarum fabricam vrbis Magistratus tribus aureorũ millibus alia nouem adiecit. Labores iam Nostrorũ si æstimemus, foris ferè maiores quàm domi reperiemus; adeò fœcundi fuêre veneficorum & lamiarum agri. Certè Sacerdos vnus anni huius spatio centum & sexaginta eius generis hominibus extremo afficiendis supplicio vtilem nauauit operam; inter quos fuit, qui nec minis nec precibus ad peccatorum declarationem moueri poterat, donec eo spectante Pater acerrimè flagellis in tergum suum, vt ab eo Dei iram auerteret, desæuiens effecit tandem, vt ille tam insigni charitate permotus latebras animi penitus reseraret. Nec eo scelere puerilis ætas immunis fuit. Puellæ enim duæ, quarum vna octennis, altera septennis erat, & nouennis puer eiusdem matris liberi, sortilegij conuicti ad palum vitam finierunt; qui mortis euasissent supplicium, nisi septennis puella virum sibi in carcere cibos deferentem adhibito maleficio sustulisset: innocens alioquin ætas, quæ cupedijs, & puerilibus crepundijs ad mortem patienter ferendam fuit

Digitized by Google

excitanda. Miserandum sanè erat videre pueruulos inter se complectentes extremùm dicturos vale, matrē execrari, quæ eos Dæmoni deuouerat, infandáſq; artes ita docuerat, vt ex eis puella non priùs Matri assensa sit, quàm ea iniectis in filiam baxeis tres ei dentes crudeliter excusserit. Iucundiùs Nostrorum desudauit industria in docendis Christianis institutionibus, & indulgentijs euulgandis, quas PAVLVS V. Pontifex Societatis Missionibus applicuit: tanti scilicet fuerunt eæ ponderis, vt in Marchianensi oppidulo duo è nostris Sacerdotes à quarta matutina ad nonam vespertinam oppidanos animum confessione expiare cupientes audire sint coacti. Idem fermè Querceti & Buxinij oppidis vicinis, & in pagis quàm plurimis præstitum. Singulare tamen inter alios pietatis specimen dederunt oppidi incolæ, quod à S. Amando nomen mutuatur. Cùm enim ibi euulgatæ essent indulgentiæ per quatriduum à quinque Sacerdotibus, quorum tres erant è Nostris, Cōfessiones exceptæ: quartâ demum luce indicta est supplicatio, quæ magno cum apparatu & incolarum studio, loci Archimandritâ SS. Christi corpus sub conopæo deferente, solenniter instituta fuit. Fama est, ad eam celebritatem in oppidum conuenisse vniuersos ferè incolas pagorum duodecim crucibus & sacris vexillis præeuntibus. Mirum quàm id populum Societati deuinxerit, adeò vt ab hominum memoria inauditam rem vidisse se omnes vno animi consensu testentur.

XLIX. Mon-

Digitized by Google

LXIX. MONTIBVS Hannoniæ ſplendorem, ſcholarum non mediocriter adauxit ſeminarium, liberalitate ac munificentiâ D. Antoniæ Godin viduæ piæ memoriæ D. Franciſci del Haije receptoris generalis Cleri per Hannoniam, recens fundatũ, coëmta ad id domo totius ciuitatis ampliſſima, ornatiſſima, atque in eam rem mirè opportuna viginti ſex millibus aureorum. Præter Burſarios (quos vocant) qui quinquaginta futuri ſunt, nobilium honeſtorúmque ciuium filij ad conuictum admittuntur, qui omnes legibus à Societate præſcriptis viuunt. Placuit enim Reuerendo P. N. id fundatrici concedere, vt à Collegij Rectore Seminarij moderamen dependeat, ac penes eum ſit, Præſidem Præfectóſq; deligere, dirigere, ac ſi etiã opus fuerit, mutare; burſas adhibito examine dignis conferre; ea denique, quæ ad rectum regimen ſpectant, maturè præſcribere. Quæ gratia illi meritò facta, quæ & Collegij noſtri dotationem in ſe ſuſceperit, & vniuerſã, quæ ad eam ſpectant, ritè perfecerit, præterquam quòd vſum fructum ſibi ad vitam reſeruârit. Catecheſes per vrbem frequẽtes ciues largitionibus pecuniarijs inſigniter promouent, quibus præmia honeſtioribus diuidenda, veſtimenta tenuioribus eroganda coëmantur. Concionibus inter alias, turpiſſima illa conſuetudo, quâ nudato pectore collové mulieres in publico videbantur, multum repreſſa.

XL. BINCHII (quod oppidum Hannoniæ eſt non ignobile, tribus à Montenſi ciuitate diſſitũ milliaribus) cùm per ſacrã Quadrageſimæ hebdoma-

Digitized by Google

domadam Pastoris inuitatu duo è Nostris cõfessionibus & alijs id genus instituti nostri proprijs operam darent, magno oppidanorum fructu captata prudenter opportunitate pax confecta est inter quatuor fratrum familias, annis iam pluribus tentata sæpiùs, sed frustra. Ea tam felici & insperata pacificatione motus Cœnobiarcha quidam è primarijs Hannoniæ Præsulibus eosdem Patres ad suum Monasterium euocauit, litem annis iam viginti inueteratam maximo & Monasterij sui dispendio & omnium offensione (amplius nimirum viginti aureorum millibus in eam insumptis) eis proposuit, & si quâ ratione possent, consilium afferrent, rogauit. Et verò attulerunt. Actum enim cum Religioso totius litis auctore, qui idem Curio erat (habet enim istud Cœnobium iure Patronatûs pagos ampliùs quatuordecim opimos, quibus ex suo corpore Pastores tenetur sufficere) actum est, inquam, cum illo à Nostro tantâ efficaciâ, vt tandem post appellationes ad Generalem, ad Episcopos, ad Nuntium Apostolicum, ad consilium politicum Brabantiæ; post excommunicationes, suspensiones, aliásque pœnas, præteritorum pœnitentiâ ductus vltrò ad pedes sui Præsidis supplex acciderit, veniámq; magnâ animi demissione & pœnitudine coram Nostris poposcerit, séq; ex eius deinde nutu quod vitæ reliquum in Religiosa disciplina tuẽda transacturum promiserit. Gratissimus fuit hic Nostrorum labor & industria Generali Ordinis, ipsi Prælato, Episcopis & Abbatibus, qui ad sedandam hanc controuersiam diu

Digitized by Google

diu laborauerant. Ipse interea Prælatus præstiti sibi non immemor beneficij multa ex Nostrorũ consilio libenter secutus est, quæ ad meliorem Monasterij sui disciplinam spectant. In quorum genere est illud è multis vnum, futurum imposterum, vt quos ex Religiosis Pastorum functuros officio inde ablegaret, intelligerent à se Vicarios mitti, ac reuocari pro arbitratu posse; se insuper annis singulis visitationem instituturum iuxta Concilij Tridentini præscriptum, quomodo singula ex officio illis procedant intellecturũ. Nec minoribus implicata difficultatibus inter Magistros (vt vocant) ferrariarum officinarum gliscebat discordia, quæ familias ordinis eiusdem complures offensione implacabili colligabat: sed Nostrorum interuentu sedata est. Alia item complura inter viros primarios grauia dissidia sublata: & quidẽ inter duos Parœcos acerrimum: siquidem pagus in primis amplus magna ex parte incẽdio absumptus per iniuriarum vindicandarum cupiditatem creditus est. Euocati igitur Nostri ab Excellentissimo D. Barbansonio rem DEO adiuuante quàm felicissimè peregerunt.

XLI. EXCVRSVM etiam fuit ad pagos & oppida alia vicina. Ad Cœnobium Lætiense & Pagum illi adiunctum ipsius Præsulis ordini nostro addictissimi rogatu profecti sumus: habitæ conciones tùm ad Religiosos priuatim, tùm ad populum publicè: tãtus Religiosorum fuit feruor, vt eorum plerique sacris B. P. N. commentationibus excoli desiderarent. Domus hoc anno ædibus

Digitized by Google

dibus, ad quas perfecto templo, quod nũc erigitur, Noſtri commigraturi, vicina nouem millibus aureorum & quingentis eſt coëmpta.

COLLEGIVM BERGENSE.

XLII. E VIVIS abijt hic Petrus de Kiens Iprẽſis, Coadiutor, natus annos viginti quatuor: in culinâ ferè ſemper magna cum charitate verſatus. Cui illud fuit peculiare, quòd poſtquam ad vltimum certamen inunctus eſſet, tantâ deinde vſque ad vitæ ſuæ terminum, id eſt, toto triduo animi dulcedine perfuſus eſt, quantâ nunquam aliàs in vita. Vnde fiebat, vt in acerrimis febrium doloribus dierum breuitatem ſatis mirari non poſſet.

XLIII. SCHOLIS, Sodalitatibus, concionibus antiquus curſus decurritur. Ruſticus fuit, qui famulo ieiunium in Quadrageſimâ interdicebat, quòd à ieiuno eadem, quæ alias obſequia, præſtari non poſſe dictitaret, atque etiam mentem Eccleſiæ, quæ huiuſmodi operas obligare, non intenderet, allegabat: cui ille, *quidquid ſit*, inquit, *de mente Eccleſiæ, ego contra tam piam abſtinendi conſuetudinem, quam à Patribus Societatis & concionatoribus laudari accipio, non faciam: ſi labor meus ſolito minor tibi videatur, mala mihi de mercede diurna, quam de ieiunij obſeruantia detrahi.* Quidam multòs menſes ad vitã ſibi adimendam à Dæmone ſollicitatus non priùs ſe vulnerare potuit, quàm Agnũ DEI, quo à Noſtro erat inſtru-

Digitized by Google

instructus, deponeret. Illo depositò cõtra quam à Patre cautum erat, præterquam quòd multis se sauciârit vulneribus, in puteũ se quoq; præcipitauit; vnde cùm viuus extractus esset, munitus iterum cereo consecrato, & reliquijs B. P. N. ad collum suspensis, licet grauissimè in hanc horam tentatus, liber tamen exinde à perimendi sui voluntate permansit. Alia quædam grauiter à Dæmone vexata ad Collegium à parentibus abducta, facta peccatorum exomologesi curata est. Fuit item, quæ à parente defuncto ab annis vndecim toto anno infestata sit, donec tãdem tertio nonas Augusti desiderio suo, quod antea nõ explicarat, factum esset satis. Erat autem hoc desiderium, vt duo sibi fierent sacra; de defunctis vnum, alterum de Spiritu sancto: hoc autem in templo Prædicatorum, illud in pago Cleensinten dicto. Huc comitatus est filiam parens, adstitit ei toto sacrificij tempore, communicaturam ad altare non deseruit, flexit cum flectente, recessit cum recedente: finito autem sacro, quod nostrûm vnus faciebat, gratias egit filiæ, & vt Patri nostro atque comitibus suis gratias ageret, iniunxit, atq; ita ei, quam & priùs ad virtutem fuerat adhortatus, valedixit, adiecítque, à purgatorijs pœnis liberum in cœlo cum Christo mox futurum. Ne verò ea de parentis sui salute dubia ancépsque hæsitaret in via, cùm à pago circiter medio milliari abesset, domum rediens, videndum se ei rursus in veste splendida obtulit. Duynkerka æquè mirandam Angli cuiusdã à perfidia conuersionẽ dedit. Venerat is

huc

Digitized by Google

huc ex Anglia à fratre viro optimo inuitatus; pro salute eius laboratū non minùs à Nostris quàm externis: cúmque nulla ratione ab Hæresi abduci potuisset, atque tertio Idus Iunij inter cœnandum multus inter domesticos de Religione & igne æterno extra Ecclesiam cōstituris destinato fuisset sermo, accidit, vt cùm more suo cubitum cōcedens iuxta lectum oraret, & ad nonū Symboli articulum peruenisset (sanctam Ecclesiam Catholicam) progredi omninò non posset, quid agat? lecto se committit parùm securus, atque in fide suâ penitus vacillans, & animo plane perturbato. Sub mediam verò noctem tussi inopinata, subita, & vehementi valde correptus tantam sanguinis copiam effudit, vt animam daturus putaretur. Tumultu excitatus est in superiori cubiculo decumbens frater, aduolat ad periculum, dolet miserandum animę illius statum; in aures insonat, vti fiat Catholicus, & voluntatis huius signum aliquod commonstret: & ecce, manibus in cœlum sublatis, qui à mente amotus iacere videbatur, exclamat: *Agite, vt admittar in Ecclesiam Catholicam, quam vnam & solam Romanam profiteor: rogo vocetur Magister Loo* (Sacerdos erat Anglus ei in ista ciuitate notus) quē cùm ab vrbe abesse cognouisset, hinc euocari sibi iussit Patrem quendam Anglicę peritum, cum quo de Religione sæpe ante disputauerat. Huic ergo cōscientiam detexit, & hæresin est detestatus, & cui à medico vix horæ tres promittebantur, septimanæ sex à DEO sunt adiectæ; quibus quotidie pro agnitā veritate DEO frequētes egit gratias.

Digitized by Google

gratias. In quo illud fuit singulare, quòd qualibet ingruente animi molestia ad decadem piacularem, quam à Patre commendatam acceperat, & penes se semper seruabat, tanquam ad asylum confugerer, & illicò liberari se aliereret. Demùm omnibus munitus Sacramentis tertio Kal. Augusti ab hac vita ad æternam, vt speramus, commigrauit.

XLIV. IN MISSIONIBVS miles quidam immani alterius odio imbutus longa febri ferè tabescebat, neque vlli peccatorum conscientiam, nisi fortè è Nostris cuipiam, aperturum se dicebat: geminum tandem accepit hic beneficium, vt & conualesceret, & cum inimico in gratiam rediret. Digredientes post absoluta Missionum exercitia Nostros ciues lachrymis, rustici precibus, vt sæpe & breui reuerterentur, sunt prosecuti. Perseuerat & vrbis Magistratus in nos esse beneuolus, cuius fauore atque impensis & templum assurgit, & aulæ recreationis atque aliquot cubiculorum posita sunt fundamenta, & cœnatio tabulis affabrè factis vndique conuestita & mensis nouis instructa; quibus velut pro corollario etiam ducenta quatuordecim stanni Anglicani pondo superadiecit.

COLLEGIVM ATREBATENSE.

XLV. ET HINC abijt ad superos vnus, P. Eleutherius Pontanus, Insulensis, professus vota quatuor, natus annos octoginta quatuor, è quibus exe-

Digitized by Google

exigit in Societate vndesexaginta, & quidē horum partem maximā in Superioris atq; Rectoris officio varijs in regionibus prudentissimè atque sanctissimè obito. Primum regendi munus ab ipso B. P. IGNATIO (cui & conuixit) accepit in Sicilia: deinde ab alijs Generalibus in Gallia & Belgio, idq; pluribus in locis & annos plurimos. Erant Romæ tempore B. P. Ignatij, qui clàm atque insciis superioribus à prandio in cubiculum secederent, vbi varijs afflictationibus & modis à spiritu Societatis nostræ abhorrentibus sese exercebant: inuitatus, vt sese adiungeret, non modò renuit (licet alias corporis edomandi suique vincendi, sed ex obedientiæ præscripto aut concessione cupidissimus) verùm etiam, tota vt res ad B. Patrem Nostrum deferretur, effecit: qui B. Pater vbi resciuit, eos omnes ad mensam publicè reprehendos curauit; vnde istiusmodi in cœnatione reprehensionis vsus, qui etiamnum in Societate perseuerat, ortum habuisse existimatur. Vir sanè erat præclarè ijs præditus virtutibus, quas vnicè B. P. in Societatis hominibus commendabat: tam DEO coniunctus, vt senas interdum horas suauissimè meditans auelli vix posset, & auulsus identidem recurrere, vt habitus oris ac corporis præseferebat, non cessaret: tam pauperum amans, vt superior magnam de demenso cibo portionem, quam pauperibus largiretur, sibi detraheret: corporis denique castigationis tam studiosus, vt alternis diebus aut in se acriter sæuiret, aut thorace cilicino eóque asperrimo membra crebris ieiunijs tenuia

tenuia & ficca etiam ſenex affligeret. Pariſijs cùm eſſet totum annum ita illum continuò tulit, vt non, antequam detereretur, exuerit; quo indutus interdum quatuordecim Belgica milliaria & æſtate & ieiunus & pedes confecit; nonnunquam ſine omni cibo & potu exegit. Et qui in ſe erat tam auſterus, in alios erat quàm ſuauiſſimus, nihilque ne in ſenectute quidem aſperitatis morúmque ſenilium habuit; ſemper lætus, facilis, commodus, charitate plenus: erga ægros tam ſollicitus, vt ſuperior, ſi cui vena inciſa eſſet, ſæpenumero etiam nocte media (quod exemplo B. Patris IGNATII facere ſe dicebat) eum interuiſeret: hunc denique & alios quoslibet infirmos ſuauiſſimo alloquio & ope promptiſſima ſubleuaret. Tantus quoque fuit ſui contemptor, vt nihil aliud quærere, quàm videri vilis & abiectus videretur. Hinc cùm viliſſimis atque infimæ ſortis hominibus tractare atque verſari, munia ea appetere, quæ honoris minimum haberent, laboris verò & oneris plurimum: ad extremam propè ſenectam pauperes pueros fidei rudimentis inſtituere, detentis in carcere & vinculis frequens adeſſe, de pabulo mentis, ſimul & corporis eis prouidere, omnia denique diligentiſſimi Paſtoris munia diligētiſſimè exequi, vt vulgo à primarijs vrbis huius viris, qui eius norāt ſanctimoniam, cōpeditorū Parochus per iocū appellaretur. Domi quoq; contēptiſſima quęq;, quantū ętas ferebat, obire cupidiſſimè, & animis ſupremis, cū per viriū defi-

Digitized by Google

deficientiam aliud non posset, Ianitoris munere sæpenumerò & libenter fungi. In energumenis, & maniâ laborantibus adiuuandis, vel si qua fraus dolusve subesset, deprehendendis mirifica eius fuit ars & solertia. Itaq; in Phantasię morbis vulgò ad illum vti ad medicum peritissimum, & felici successu recurrebatur. Impudens mulier energumenam adeò dextrè simulabat, vt multos viros graues, quorum esset de huiusmodi rebus iudicare, in fraudem induceret. Pater Eleutherius illorum rogatu feminam aggressus, & nescio quid in ea dolo subodoratus, iubet sibi exesa ossa, puta veruecis, aut bouis byssо inuoluta pro reliquijs deferri, ea mulieri applicat, atque exorcismorum loco horrida quędam carmina è Grāmaticæ præceptis desumpta pronunciat: aqua communi in vicem consecratæ etiam adspergit, tum illa torquere oculos, fremere, spumare, totum corpus concutere, horrendum inclamare, se sacra illa ossa, sacra illa verba ferre non posse: postremò fraus detecta, ipsimet fraudi fuit; Patri verò qui detexerat honori atque laudi. Quemadmodum verò in pauperes benignus erat ac liberalis, ita Deum in se nonnunquam experiebatur. Semel rei domesticæ inopiâ pressus foras eleemosynæ conquirendæ causa egrediebatur, cùm ecce tibi in ipso egressu hominem, qui ei cētum aureos in manus tradit atq; abit, nec se quis esset prodens, nec prodi volens. Denique fuit P. Eleutherius primorum Patrum, quos vidit, & quibuscum vixit, viua quædam imago, & velut expressum nobis, quod sequeremur, Religiosæ vitæ

Digitized by Google

vitæ perfectum exemplar: cuius opinio sanctitatis tanta non apud Nostros tantùm, sed etiam apud externos fuit, vt Archimandrita ipse Vedastinus vir magnæ ætatis & virtutis, & amplissimus Artheſiæ Præſes cum pleriſque Primoribus, & Guardianus Capucinorum totius conuentûs nomine fauſtam eius apprecationē expetierint, atque extorſerint. Videtur autem præſcius mortis ſuæ, & vocationis in vitam meliorem fuiſſe, quando in ipſis morbi initijs eum ſupremum fore dixit, & vocato ad ſe rerum ſpiritualium Præfecto, vti animæ ſuæ curam ſuſciperet, popoſcit: atq; ex eo tempore nullos ferè niſi de vita æterna ſermones tenuit. Quas in cubiculo habebat res pias ſeptem ante excellùm diebus in ſuperioris manus reſtituit. Ipſe verò identidem ſpei, ac fiduciæ plenus: *Egredere anima mea, egredere*, ingeminabat. Tandem placidiſſimè, defectis magis ætate quàm morbi violentia viribus, placidè obdormiuit. Cùm funus appararetur, Præſes ipſe Artheſiæ, qui tum aderat; *Iuſta*, inquit, *Patres, ſancto viro perſolutum itis, non quia neceſſitas, ſed quia conſuetudo exigat.* Elatus hinc eſt ad templum D. Vadaſti, vbi & magno ſanè populi concurſu, & opinionis, quam de eius ſanctitate conceperat, teſtificatione eſt conditus. Eidem tanquam optimo Parenti in quinque Paroecijs diuerſis eſt parentatum.

XLVI. ACCESSIT & alterum funus nobis luctuoſum, nempe Domini Guilielmi Gazæi Parœci ad D. Magdalenæ, inſignis certe fautoris & amici Societatis. Is enim, vt Societas noſtra in

Digitized by Google

hanc vrbem reciperetur, omni gratia & auctoritate, quâ plurimùm hic pollebat, adnisus est: receptam omni ope & opera fouit, & ne ex penuria cedere cogeremur, opportunè subuenit. Nam in maximis rei familiaris nostræ angustijs, ecce mulier nobilis sexcentos eidem aureos annuos credit in pios vsus, pro eius tamen arbitrio expendendos: hos ille egestati, quâ premebamur, sublenandæ adscripsit. Idem quoque, præter aliqua de supellectili quinquaginta alios annuos, donum, si exiguas eius copiolas spectes, non exiguum legauit.

XLVII. EMOLVMENTA, quæ antecineralium ferijs in sacello nostro tum apparatissimo collecta sunt, nec leuia fuêre, nec pauca: illud ex præcipuis, quòd, dum nobilibus virginibus per eos dies choreæ, vt fit, à suis procis oblatæ ac indictæ essent, nullæ totâ ciuitate eiusdem ordinis repertæ fuerint, quibus conuenire liberet; quòd se aut sacris Epulis, quibus eo die accubuerant, aut religione diei, quam in sacello nostro hauserant, prohiberi dicerent. Imò questos aiunt huius vrbis tibicines, se per hos dies amplius quàm ducentorum aureorum quæstu esse frustratos: nam solitos antehac trecentorum quæstum facere, nunc verò non amplius, per hanc Religionem quàm sexaginta fecisse. Pari concursu & fructu extremis Quadragesimæ diebus ad CHRISTI sepulchrum augustè adornatum, & indictas sacello nostro solemnes preces atque conciones conuentum est. Nec parum profuit pro concione singulis Dominicis Quadrage-

Digitized by Google

dragesimæ declarásse Concionatorem, quæ singulis diebus illius hebdomadæ sacellum nostrum frequentantibus concessæ essent Indulgentiæ. Tanto enim affluxu totâ Quadragesimâ concursum ad illud est, vt diem aliquem festum representare quotidie conferta agmina viderentur.

COLLEGIVM BRVXELLENSE.

XLVIII. NEC HOC à funere immune fuit Collegium; quando ipse Rector P. Franciscus Pratanus quatuor vota professus excessit, vndetriginta de Societate annis benè meritus. Fuit enim Duaci Philosophiæ professor, deinde ibidem Minister, Procurator, Rector: exinde totius Prouinciæ Belgicæ Procurator, & postremò Rector Bruxellis: domesticis perinde charus, & externis: certè apud Belgicos Principes, & omnem nobilitatem inprimis gratiosus, & magnæ auctoritatis, quam sibi eximiâ humanitate, modestia, comitate, prudentia conciliârat.

XLIX. DISCIPVLORVM eruditio crescit & pietas. Pietatem inflammârunt electi aliquot dies. Verbi gratia D. Catharinæ, Gregorij, aliorum; quibus procincto agmine longa studiosorum series solemnè apparatum festúmque instituit, & vicinum D. VIRGINIS templum subiens, longè magnificentissimo exquisitis omnibus vndique instrumentorum & musicorum generibus sacrificio vnà cum parætibus

Digitized by Google

aliisque nobilibus interest, seq; verbo Dei, quod à Præfecto latinè habetur, & sacro ferculo pascit. Studiorum instauratio IV. Non. Octob. vnà cum ditissimorum præmiorum distributione Ducis Arschotani liberalitate, qui ducentos aureos eam in rem attribuit, magna celebritate, & ordinum omnium plausu celebrata est. Externorum iuuenum Sodalitas Virgini visitanti sacra hoc anno erigi cœpit: quo fructu hinc iam patescit, quòd eorum plurimi octauo quoq; die se vtroque viuifico Sacramento reficiant, quod nonnulli ad diuersas Religionum familias tetenderint, plures aspirent.

L. CONCIONVM, catecheseon, hortationum, messis non sterilis fuit. Varij hæretici ad sanam mentem reducti, & solidæ iam virtutis specimen præbent, & alios ad veram fidem stabilitate sua pertrahunt. Non paucæ virgines per causam summæ egestatis in desperationem iam iam præcipites ibant; consilio, ope, opibus adiutæ. Vni è Nostris facilè cētum vitæ totius anteactæ exomologeses factæ. Vir priuatus è nimiâ Taulerij, Harpij, Rusbroukij, & similium lectione peregrinum, & insolentem precandi & meditandi modum hauserat, & quasi viam ad perfectionē cōpendiariam inuenisset, librum scripserat propediem imprimendum: is dolo bono in manus nostras venit; multi errores & hæreses deprehensæ. Itaque & scriptor & scripta in potestate iam sunt Archiepiscopi Mechlinienſis, à quo & septuaginta prauæ opiniones animaduersæ. Homo est minimè pertinax, & censuræ patiens: sed tamen

tamen hinc liquet, quanto versentur in periculo, qui priuato sensu, & intelligentia, amplius quam oportet, innituntur. Homini quinquagenario ex salutis diffidentia voluntariam necé meditanti, atque propterea mensem integrum vinculis constricto, tandem ab vno è Nostris & vitæ securitas, & animæ medela adfuit, Omnis enim retroacta vita confessione salutari expiata quietem & tranquillitatem attulit. Mulier perpetua dimicatione, à Dæmone lacessita, impendentis pugnæ metu, & præteritæ tædio, tandem adacta inferno hosti acriùs instanti, & importunè extorquenti Rosarium dedit. Cum facti pœnituisset, & tres menses nequicquam sibi restitui illud flagitàsset, auctore & hortatore Patre nostro, non priùs à votis precibúsque temperandũ statuit, quam hosti arma in manus data recuperâsset. Domini circumcisi celebris dies erat: pomeridianis horis templum nostrum subiens, ante aram prostrata præsentem DEVM supplex intuita, preces & calida vota fundebat: insuper B. Virgini Aspricolli, nec non B.P.N. Ignatio (quorum statuæ illius à dextro, huius à lęuo altaris latere conspicuæ stabant) se suúmque Rosarium succensâ mente commendat. Nec mora, adfuit Dæmon, & ignotam nigri catelli pellem indutus, in vestibus eius primò resedit; inde in viri formam mutatus, rosariúmque manu premens, imperat, vt ex eo loco discedat, certum crimen (quod ei indicabat) foris committat; ita sibi rosarium esse restituendum: illa negare se facturã, sed ipsum virtute omnipotentis DEI, & D. Virginis,

Digitized by Google

ginis, ac B. P. Ignatij meritis & precibus, quorum simulachra in æde intueretur, necessario redhibiturum. Irritatus Dæmon graui pugno illi os contudit, rosarium cõtra eam reiecit, euanuit: illa ad confessarium in templo tum orantem læta accurrit, cui re pernarrata rosarium in manus tradidit.

LI. IN CVSTODIA detentis suppetiæ, vt res exegit, latæ. Reis sacellum magno tandem labore comparatum, vnus atque alter ad fidem, alius ad Baptismum adductus: cuidam exilium, & alia corporis pœna intercessione Nostrorum remissa; alteri cum exilio publica etiam infamia. Duo vi & astu Dominum suum è carcere expedire conati cineres in oculos custodis coniecerant, vt turbato, & titubanti claues è manibus extorquerent, vtque inter eos conuenerat, Dominum liberarent: sed ianitore claues pertinaciter retinente, & opem vicinorum inclamante, proditores deprehensi, & eisdem custodijs detenti mortique sunt adiudicati. Hos Nostri precibus redemerunt, & probè in fide, quam ignorabant, institutos, & Sacramentis refectos, cùm animi tùm corporis libertate donârunt. Mulier rusticana viginti tres annos nata, & pauculis mensibus viro iuncta, sed non ex animi sententia, tædium suum coniugis interitu vindicare ausa est: nam dormienti guttur præcidit, caput sustulit, concisum membratim abscondit. Rea igitur mortis, dici vix potest, quà pœnitudine animi, quà pietate gradiens ad supplicium, cunctos permouerit: ade-

rat

Digitized by Google

rat Noſter ſalutis eius curator, & cui ignes viuenti, & lentâ morte extinguendæ apparabantur, vt poſt mortem differentur, impetrauit. Nobili adoleſcenti proiectiſſimæ vitæ, & profligatiſſimis moribus ita ſubuentum, vt præteritam ætatem vberrimis lachrymis, inediâ, aſperrimo ſibi inflicto dolore, denique omni genere acerbitatis ſex circiter hebdomadis pœnitentiâ plenus emendarit. Religioſa femina, diutiſſimè Dæmone vſa diem, quo cum illo abiret, paciſcebatur; calceos, veſtimenta, & reliqua ad iter neceſſaria comparabat: fortè in vnum è Noſtris illic confeſſiones excipientem incidit, diu ſecum ſuſpenſa, num onus fœdum excuteret, & libertatem priſtinam recuperaret, luctabatur. Noſter latere quidpiam ſalebroſum ſubodoratus, eam paulatim inducit, vt ſe candidè aperiat, & quidquid eſt tetri euomat; deniq; eò traxit, vt pactum reſciderit, & nihil ſe abſque nutu eius facturam promiſerit.

Ab aliquot menſibus pertinaciſſima febri quidam è Noſtris affectus iacebat: ſpes exigua ſuberat priſtini roboris recuperandi: D. Virgini Hallenſi vota fudit, à votis ſtatim ſperata ſanitas redijt. Philippus III. Hiſpaniarum Rex cœpit huic Collegio aliquid ferre ſubſidij, patrocinâte præſertim Duce de Lerma, qui ad Rectorem noſtrum litteras, non minùs apud regiam Maieſtatem auxilij quàm fauoris & beneuolentiæ plenas dedit. Æris alieni non mediocris ſumma diſſoluta eſt; ſtatua B. Virginis, quæ

Digitized by Google

magnitudine communem mulierum ſtaturam longè excedit, veſte argentea, duplici corona, ſceptro, torque ditata.

COLLEGIVM CAMERACENSE, CVM DOMO PROBATIONIS MECHLINIENSI.

LII. ERREPTVS ex humanis P. Touiſſanus Thomæus Leodienſis, Collegij Rector, annos natus quadraginta quinque. Vixit in Societate annos ſeptem & viginti, Religioſæ diſciplinæ tenaciſſimus. Docuit humaniores litteras, Philoſophiam, & quæſtiones ad animi forum pertinentes: profeſſus fuit quatuor vota: Superioris perſonam annis tribus, Rectoris ſeptem, quam laudatiſſimè ſuſtinuit; vti communis omnium dolor, quē in eius inualetudine ac morte interni externiq; ſenſerunt, abundè patefecit. Illuſtriſſimus Archiepiſcopus. & D. Gubernator non ſolùm de eius ſalute ſolliciti, ſed & anxij eſſe viſi ſunt: tam crebrò inuiſebant, tam ſæpe de ſtatu inquirebāt: erat enim omnibus Ordinibus ſummis æquè ac infimis charus, & quod animo moliebatur, optima gratia & naturali ingenij bonitate feliciter aſſequebatur. Itaque raptus eſt eo tempore, quo propter ſpem ædificationis, quæ magna in eo erat, neceſſarius maximè videbatur.

LIII. FRVCTVS iam ſi videamus, fuerunt ij partim inueterati tredecim ipſos annos odij atq; ſimultatis extinctio: partim parentum cum filijs, poſt multorum fruſtratos eádem in re ſudores neceſ-

Digitized by Google

necessitudinis reconciliatio : partim Hæreticorum (ij fuére quatuor) ad Ecclesiæ Matris gremium reductio: partim sagarū ab impio Dæmonis cōmercio, nefandísq; sceleribus reuocatio: & inter ceteras vnius, quæ octiduo in carcere sæpe manibus violentis ignominiosum suppliciū per excubitorum negligētiam præuertillet, die quo cremata fuit, expugnatio & maxima hominum admiratione ad veram peccatorum confessionē inductio: denique Partheniæ Sodalitatis insigne incrementum; nam cùm duo sint hîc prima capita Illustriss. D. Archiepiscopus & Regius Gubernator, qui vrbem Cameracum eiúsque ditionem armis militéque defendit, vterque hoc anno Deiparæ Virginis Sodalitáti nomen dedit. Et huius virtute, quam hebdomadaria in templo nostro Confessione ostendit, præsidiarij cōplures attracti octauo quoque die animum sordibus expurgant sanctissimóq; Sacramento roborantur. Illustriss. etiam Archiepiscopus paulò post suum in vrbem ingressum Beatiss. Virginis Patrocinium in eadem Sodalitate cōplexus est, eámq; auctoritate sua aduersùs obtrectatorum maledicentiam tuetur, & suo splendore adauget. Insecutus est hunc admodum Reuerend. S. Auberti Antistes, multíq; alij viri tùm nobilitate tū alijs titulis insignes. Felicissimis hisce Sodalitatis incrementis desideratissimū cōplementum imposuit Illustr. D. Guido Bentiuolius Sumi Pontificis in his Belgicis Prouincijs Nuntius cum potestate Legati à latere; qui rerum famâ excitatus, præsens conuentui interfuit, finitáque oratione

Digitized by Google

vndecim diuersis linguis à scholasticis nostris exceptus, indulgentias Congregationi liberaliter donauit, eámque suauissimè compellans, ac studium suum & in vrbe & in Belgio amplissimè pollicens omnium animos erexit.

LIV. TAM hisce rebus quam Nostrorum laboribus ciuitatis amor in nos creuit. Magistratus, quo antiquam beneuolentiam suam in nos stabilem declararet, imaginem ante triennium à se aræ nostræ consecratam, & quidquid in vicino eius ornamento seruit, vt cortinarum frontalia, trecentis aureis peritissimo ex Brabantia euocato artifice auro polito adornauit, aureáque omnia ex ligneis fecit. Eiusdem artificis opera vsus est ciuis re apprimè lautus, qui tabernaculum SS. Sacramenti variáq; illi vtrinq; cõnexa loculamenta Diuorum pignoribus honorandis, eleganti opere nobis sculpi iusserat. Collatá aureorum centum & quinquaginta eóque ampliùs eleemosyna opus numeris suis omnibus absolutum reddidit.

LV. CÆTERVM secunda Probationis domus, quæ Tornaco Antuerpiam velut noua colonia deducta erat, Mechliniam hoc anno traducta est; ad quam vrbem respectum potissimum habuit R. P. Prouincialis, tum propter loci opportunitatem & salubritatem, tum propter nonnullorum eximiam in Societatem beneuolentiam, præsertim D. Francisci VanderBurght Cathedralis Ecclesiæ Decani, qui certam piam fundationem à Domina Ioanna Fresneau Domina de Hyon pientissima femina testamento legatam,

Digitized by Google

tam, bona hæredum voluntate & ſummi Pontificis auctoritate, in Tirocinium Mechlinienſe deriuandam procurauit. Tum etiam Dominæ Balliæ Viduæ Domini Tacquet opulētæ matronæ, quæ moriens villam vnam quadringentos aureos annuos pendentem, & præterea ſex aureorum millia numeratæ pecuniæ Societati, ſi intra annum Mechliniæ aut Lyræ haberet Reſidentiam, legauit: tum deniq; duarum piarum Virginum, quæ trahendæ in hanc vrbem Societatis deſiderio mille annuos offerebant. Hæc conſtituendi Mechliniæ Flandrorum Tirocinij fuit occaſio, qua P. Prouincialis vtendum arbitratus, & opportunam Noſtrorum habitationi domum Cæſaream veterem quidem & caducam, ſed amplam area & ſitu commodo futuram ratus, eam à Sereniſsimo Principe Alberto poſtulauit; qui lubens annuit, & hanc velut arrham piæ voluntatis ſuæ, quam domus Probationis plenè dotandæ habebat, Societati donauit.

LVI. ITAQVE ANNO milleſimo ſexcenteſimo vndecimo, octauo Idus Septemb. poſtquam magnæ cum inquilinis difficultates magna pecunia ſuperatæ eſſent, P. Prouincialis, cum facultates magna ex parte deficerēt, Dei propè ſolius auxilio confiſus tirocinium Antuerpia huc tranſtulit: prouentus ſi quidē erat mille nongentorum aureorum vel circiter: & eleemoſynæ à ciuibus, tum ob eorum tenuitatē, tum ob Cleri modicam coniunctionē, haud magna ſpes oſtē-

deba-

Digitized by Google

debatur. Rebus porrò hic constitutis P. Prouincialis Sereniſſimos Principes ad ſuum domicilium, & alumnos viſendos inuitauit, quod vti beneuolè facturos ſe promiſerunt, ita inſolita humanitate præſtitêre decimo Cal. Octobres, eodem anno maxima omnium admiratione. Occurſum eis ad portam vſque ſupplicantium ritu ab omnibus domeſticis, ibi in ſtrato holoſerico tapete Archiducibus genu vtroque nixis Pater Prouincialis, qui pluuiali indutus erat, Crucem, quam adorabant, præbuit deoſculandam, & aquam aſperſit luſtralem: inde ad ſacellum domeſticum recitando TE DEVM LAVDAMVS proceſſum, vbi & eiuſdem Patris ſacro interfuerunt. Quo peracto Tironum duo, aduentum Principibus venêre gratulatum: hic Gallicè Sereniſſimæ Iſabellæ, ille latinè Archiduci Alberto: & vtrique Religioſum munus, ex Miſſæ ſacrificijs, precibus aliiſque pijs operibus contextum, obtulerunt: quod illi pergrato animo accepêre, atque inde ad luſtrandam domum, hortum, cubicula inſigni ſemper beneuolentiæ ſignificatione comitante Nobilitate ſe conuertêre.

VICE-

Digitized by Google

VICE-PROVINCIA BELGICA.

In octo huius Vice Prouinciæ locis commorantur Noſtro-[illegible] centum quinquaginta quinq;. Sublati ſunt per mortem tres: in eorum locum ſuſcepti ſeptem.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
In Colleg. Leodienſi	XL.	XX.	V.	IV.	XI.
Traiectenſi	XXII.	X.	IV.		VIII.
Luxenburgenſi	XXV.	X.	VII	I.	VII.
Siluaducenſi	XIX.	VIII.	VI.		V.
Namurienſi	XV.	VI.	IV.	I.	IV.

Digitized by Google

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores*
Dionantenſi	XVIII.	IX.	IV.		V.
In Sede Ruremundenſi	XVI.	VI.	IV.	I.	V.
in Miſsione Hollandicâ.		XIV.			

Eripuerunt Noſtri à prauis hæreſeos erroribus triginta.
Audierunt omnis anteactæ vitæ peccata repetentes centum ſeptuaginta.
Exercuerunt ſanctis B. P. Noſtri contemplationibus octo.
Reconciliârunt diſſidentes ſibíque grauiter mutuo infenſos decem.
De Salute ſua diffidentibus ſpem animúmque reddidêre quinque.
Inhoneſtè viuentes ad honeſtam probatámque vitam traduxêre nouem.
B. V. B. Ignatij nec non agni cerei & imaginum ſacrarum vim opemvé, Noſtris monentibus imploratam, ſenſêre nouem.

COLLEGIVM LEODIENSE.

I.

TRIA VOTA professi duo clausêre hoc in Collegio diem: P. Iacobus Natalis, & eiusdem prænominis alter P. Iacobus Viuarius: quorum ille cum podagræ & chiragræ, hic cum calculi, vt credebatur, acutissimis doloribus diu conflictatus est.

II. DISCIPVLI in scholis numerati supra mille, eius indolis adolescentes pietatisque, vix vllum vt his in partibus religiosum ordinem sit reperire, in quo è Parthenia præcipuè vite traduces complures non iam efflorescant. Et fuit ex eo numero, qui arduum illud B. Patris nostri facinus ausus est æmulari. Viderat Sodalitati tum Præfectus suspectum sibi iuuenem ad Virginem quandam hospitis sui filiam, cuius nimiam cum eodem familiaritatem frequenter alias verbis castigauerat, adijsse, séque in locum arbitris haud ita peruium abdidisse; ratus, vt erat, periculosæ plenum opus

Digitized by Google

opus aleæ, ad preces confugit, depositóque thorace in se ipsum sæuiens benè largum è tergo suo cruoris imbrem elicit, quo impurum alterius ardorem extinguat: nec factum dissimulat, sed arreptos adhuc sanguine madentes funiculos ei, cuius causa res agebatur, ostendens, *Disce*, inquit, *misera, vel fuso sanguine seruandam, quam Christus redemit animam. His ego memet malè multaui modis, vt imminentem capiti tuo ruinam propellerem.* Mariæ Elisabeth visitantis diem sibi natalem magno pietatis ardore celebrárunt, per octo dies decantatæ laudes ante virginis iconem Collegio nostro contiguã: narratum item pium exemplum, ad quod audiendum tantus concursus, vt ad duo propè hominum millia excreuerit. Sodalitas mechanicorum, cælibum & iuniorum, à paruis satis initijs ad quadraginta supra centum aucta est: sex dedit Societati non inutiles operarios, spémque facit ex eâ cohorte plures olim domesticæ rei bonos Coadiutores adiectum iri.

III. GENERALIVM confessionum constitit in primis fructus. Pater vnus audijt centum quinquaginta. Religiosa quædam turpem defectionem honesto visendorum parentum pallio tegebat; eóque miseram suppressa sæpiùs in confessione peccata adduxerant, vt & de veritate Eucharistiæ nihil veri sentiret, & de sacrilegis nuptijs in Hollandia cõtrahendis agitaret. Sed DEI gratiâ, Nostrorum industria secundante, ad meliorem mentem primum, deinde & ad deserta Monasterij septa rediuit.

Pere-

Digitized by Google

Peregrina huc venerat vnà cum coniuge, cui non legitimè ante biennium inter Hollandos se coniunxit, de qua istud commemoro. In grauem morbum maritus inciderat, opes attenuatæ spei nihil ferè reliquerant: quid faciat infelix? inopiam prodere vetat pudor, malo mederi non potest; rerum itaque omnium egena, pessimum à desperatione mendicat consilium. Hospitio sub vesperam egreditur, Mosam petit certa mori, iámque aquis se immerserat, cum ecce tibi in tempore accurrunt ciues, retrahunt obluctantē, causam impij facinoris scisciantur, audiunt nihil præterquā DEVM omnia nosse. Ita eam dum delirare credunt, Nostrorum aliquē accersunt, qui intellectâ aliâ causâ remedium tulit: inopiæ primum, liberali ad hoc eleemosynâ corrogatâ; tum conscientiæ vtriusq; pœnitentiæ Sacramēto; nec non matrimonio coram Parocho & testibus iuxta Concilium Tridentinum renouato. Itaque benè animati duplicique instructi viatico viam suam porrò abierunt. Aliæ item mulieres nonnullæ, quas nocturnis spectris inaníque metu Dæmones territabant, animo diuinis Sacramentis ritè munito, eorum incursiones penitus compresserunt.

IV. VIRGINEM quandam Cacodæmon in hominis specie ad connubium ea lege inuitauit, vt à Caluino reformatam nuper Religionem amplecteretur: quæ quidem conditionem impiam auersata, vitam sibi quam auitam Religionem eripi malle respondit. Hac responsione fugatus ille quieuit aliquamdiu, nec tamē cæpto destitit

Digitized by Google

omnino, donec illi per confessarium detracta laruâ, quid procaretur, ostensum. Virgini hinc frendere, indignari, minari Dæmon Collegium igne se absumpturum. Et sanè nihil propiùs fuit, quàm vt mendacij pater verum diceret. Quidam enim ad confessiones audiendas euocatus, candelam abiens sic extinxerat, vt à stygio Vulcano haud difficulter suscitaretur: rediuiua igitur flãma proxima quæq; lambere, & inclusus cubiculo Dæmon incendiũ promouere exultans: actũque fuisset de Collegio, nisi periculũ fumus prodidisset, concursantiúmq; gnauitas, aut DEI potiùs misericordia, ppulsâsset: quod Collegij summum periculum ita Virgini eidem sub idem tẽpus repræsentauit Cacodæmon, vt ipsi igne iam absumpta omnia viderentur. Præsenti igitur defunctos discrimine, aggreditur viâ aliâ, & qñ vniuersos simul nõ potuit, singulos sternere insistit. Euocauerant è Collegio P. Rectoré negotia domestica, abierátq; fortè biduj iter eques; cùm ecce tibi viâ haud ita lubrica sic repẽte pronus corruit equus, vt sessoris sui impeditã tibiam alterã ipso lapsu attritam grauiter admodùm affecerit, luxauerítq;. Mirum dictu! Eodem tẽporis articulo Dæmon gloriabundus apud Virginem illam iactitabat, se Rectori Iesuitarum tibiam fregisse. Idem aiebat, Patribus nostris morientibus negotij non parum se facessiuisse, & quidem cum vno horam integram, cum alio etiam diutiùs luctatum, ab vtroq; tamen Rectoris aliorúmque Sociorum interuentu propulsum. Præter hæc acerbiora in dies mala nobis minitatur, ni Virgo ipsa

ipsi obnoxia fieret: nec desistit duris eâdem modis accipere, quò expugnet: sed fidei munita clypeo Virginitatisque vmbone, tela nequissimi ignea fortiter ac viriliter repellit. Sæpe apud eam questus est, B. P. Ignatio infestiorem hostem habere se neminem. Data erat aliquando Virginii theca, in quà effigies B. Patris cum eiusdem syngrapha: quam cum pro amuleto gestaret, ecce tibi tres Dæmones, quorum vnus proci formam, alter sororij, cognati tertius induerat. Hi cum frustra aliquoties thecæ illius copiam sibi fieri flagitassent, ad extremum fatentur, ægerrimè se id ferre, hostium suorum maximi reliquias collo illius appensas, proinde poneret: renuentem fustibus cædunt, sed ad Beati inuocationem exanimati recedunt.

V. HOC ANNO Mosa fluuius ita intumuerat, latéque alueum suum transgressus se diffuderat, vt aquis vndique cingeremur: indictæ nihilominus ad Bacchanalia Indulgentiæ solemnes: ad quas ædificatis tumultuario opere ponticulis per longas ambages & viarum anfractus benè multi concurrerunt. Communicantium numerus, duo millia superauit.

VI. AB ATHEISMO vnus, ab hæresi respirarunt quinque: dissimulo autem, qui fecêre apud nos Exercitia, qui posuêre lites. Diem duello dixerant, & ne ignotum esset, impressis etiam libellis vulgauerant Principes viri duo, quos nec magnatum preces, neque Sereniſſimi Principis Archiducúmq; auctoritas, neq; adeò minæ de sententia dimouere potuerãt. Tandem Nostrorum

Digitized by Google

sollicitâ, atque indefessâ curâ, præmissis aliquot nobilibus, qui tum fortè loco certamini designato præsto erant, dirempta pugna, aliorúmq; etiam interuentu stabilita pax est. Vouerat se Societatem nostram ingressurum Sacerdos quidam benè doctus, qui & fuerat admissus: sed dũ ingressum differt, ita sensim cum proposito pietatem humanitatémque omnem exuit, vt ne à parente quidem manus impias abstineret. Submonitus à Nostris non semel, caueret vindicem iusti Numinis iram: & verò etiam scueram opinione citiùs sensit. Aliquanto enim post laxato vitijs fræno, ob cõcubinatum infamis, & ab ipso suo parente de eo flagitio ad Iudicem delatus, dũ contra non absq; publica offensione litigat, lue, vt putatur, venerea correptus, repentè & imparatus extinguitur.

VII. IN VICINIS pagis & oppidis opera Nostrorum eo fructu fuit posita, cui vel Cacodæmon inuidit. Erant proinde, qui aduentantibus Nostris calumniarentur ac dicerent, pecuniam non animas quęri, operísq; singulis libram Flandricam in dies singulos numerãdam: alij à Principibus missos tãquam Corycæos & patriæ proditores, immò derogatum venisse pastorum Curionúmque auctoritati. Sed cùm hæc omnia tanquam nebulæ ad primam concionis facem euanuissent, sceleratos esse oportere viros aiebãt, & grauioris noxæ condemnatos, quibus pœnitẽtiæ nomine tantum laboris esset impositum; neque enim innoxios nullâque necessitate coactos tam difficilem prouinciam adituros fuisse.

Pri-

Primam accusationis partem Patres Nostri sua abstinentia ac frugalitate, posteriorem Pastores ipsi suo exemplo cumulatè diluerunt; qui suis ouibus viam vt sternerent, de peccatis vitæ totius omnibus plerique omnes sunt confessi. Sed & momenti plurimum attulit venerabilis Antistes religiosi cœtus, cui à Valle DEI nomen est. Is ad milliare Nostros insecutus & assecutus, vniuersas animi labes confessione eluit, & ad suos humanissime inuitauit; qui magna animi alacritate Præsulis sui vestigijs institerunt. Quibus rebus effectum est, vt Nostrorum charitas multis innotesceret, & bonus Societatis odor latè spargeretur. Pagorum Dynastæ parùm officio benè fungi se putabant, si omni cum humanitatis denuntiatione Nostros acciperent, nisi & litteris P. Rectori prolixè gratias agerent, quorum in victu sobrietatem, in iuuandis animis industriam, in diurnis nocturnisq; laboribus assiduitatem mirè deprædicabant. Lugubre imò verò iucundum spectaculum erat, vberes cernere lachrymas reuertentibus nostris orbitatem suam complorãtium, & beatos eos prædicantium, qui illa, quæ diceremus, perpetuò audirent. Ædificatum interea temporis domi. Collata in eam fabricam ab amicis aureorum millia sex: quadringentis alijs accreuit res sacra; caput B. P. Nostri ex argento conflatum stetit quingentis: artem maioris æstimes.

COLLEGIVM TRAIECTENSE, LVXEMBVRGENSE, SILUaducense.

Digitized by Google

VIII. TRES TRAIECTI abiurata Hæresi Ecclesiæ Catholicæ reconciliati : Baro vnus non ex postremis, qui secum familiam, quæ tota ferè Caluini perfidiam sequitur, exemplo tracturus speratur: iuuenis item, qui cum militem profiteretur, latronem egit, sed ante supplicium nouissimum non modò Catholicam fidem amplexus est, verum etiam litteras ad parentem Hæreticum scribi curauit, quibus & illum ad saniorem mentem reuocaret. Matrimonia aliquot, quæ præter nomen sacri nihil habebant, dissoluta: aliquot impuri è voluptatis cœno extracti : duo Curiones rurales Exercitijs B. IGNATII ad munus suum accuratiùs obeundum incensi.

IX. LVXEMBVRGI P. Nicasium Antwerpiensem, Coadiutorem formatũ præstanti patientia virum, Deus ipso B.P.Ignatij festo die, ex hac misera vita ad iucundiorem, vti speramus, euocauit. Fuit hic solito maior frequentia eorum hoc anno, qui ad SS. Eucharistiæ ferculum accedunt: quorum numerus ipsa B. Ignatij aniuersaria luce ad septingentos, ferijs antecineralibus ad octingentos excreuit. Constitit & excursionum fructus ad vicina oppidula Buburgũ & Dudeldorffium. Coronæ orbiculares, quæ D. Virgini persoluuntur, ita vilucrant, vt vno in oppido vix tres illis vterentur, in altero etiam vti publicè erubescerent. Sed Noster paucis cõcionibus, quibus D. Matris cultum extulit, tantũ profecit, vt passim omnes, summi atq; infimi, domi, ruri coronã pie recitent, nonnulli etiam in hanc rem

Digitized by Google

rem somno aliquantū subtrahant tēporis, quod diurnis officijs, & negotijs impendant. Et quoniā à Nostro intellexerant, Luxenburgi apud P. Dominicanos celebre Rosarij Sodalitiū esse institutū, efflagitarunt in vno oppido ferè omnes, in altero quāplurimi, maxime primarij, vt per Patrē nomina sua eidem darentur; quod & factū, magna Religiosorum Patrum gratulatione. Præcipuus extitit Christianæ fructus; quæ primum in priuatis ædibus explicata fuit, deinde in domo Ciuica, ac demūm etiam in templo, cum maior in dies puerorum aliorúmque accursus locum capaciorem exigeret. Neque fidei rudimentis tantùm, sed optimis vitæ morúmque præceptis imbuti sunt. Vnde factum, vt pueruli identidem suapte spōte apud Patrē peccata in confessione deposituri accurrerēt: itemq; matutino ac vespertino tēpore, ad vtriusq; parētis pedes acciderent, rogantes, vt ritè sibi benèq; precarētur: alij etiam, si quem temerè iurare audissent, ad Patrem veluti cēsorem ac iudicem fideliter deferrent. Nec defuerūt, qui parentes etiam hac in parte delinquentes amicè admonerēt. Qua in re iucunda fuit matris cuiusdam cum filia contentio pietatis plena: cùm mater filiæ pecuniolam certam promitteret, quoties se hoc nomine admoneret; illa verò id quàm studiosissimè præstaret, neque sibi tamen, sed pauperibus promissam pecuniam vellet erogari. Curatum denique est (ne tenera hæc virgulta cultore destituta iterum silvescant) vt pastores post discessum nostrum ijsdem excolendis seriò insistant.

Digitized by Google

fistant. Ita repudiatis muneribus magna omnium admiratione plausúque inde discessum, aliò translatâ operâ. In municipio quodam Noster pro concione frequêter in brutas illas compotationes inuectus fuerat, & quendam eo nomine infamem priuatim etiam non rarò monuerat; vindictam diuinam, ni resipisceret, intentans. Sed surdo fabulam, dum grauis illi ira diuina incubuit. Ipso enim D. Catharinæ festo die anno CIↃ. IↃC. X. cùm adeò se vino ingurgitasset, vt à duobus in lectum deportandus esset, inuentus est postridie in illa sua crapula infelicem animam eructasse: cadauer autê ipsum tam tetrum odorem exhalabat, vt pretio conducendi fuerint, qui linteo inuolutum sepulturæ mandarent. Alius quidam leuiorem sensit DEI manum; sensit tamen. Intulerat hic diebus Rogationum imaginem Christi è cruce pendentis in tabernam vinariam, & illam ipsam quidem imaginem, qua in supplicatione publicè atque adeò in ipso altari vsi fuerant. Indignata hospes redarguit hominis temeritatem: ille festiuo scilicet ioco subridens; *Careres*, inquit, *domi tuæ cruce, nisi ego intulissem:* sed profecto suo ac suorum lusit infortunio. Nam distento ventre domum reuersus inuenit domi suæ filium ex carri euersione fracta scapula decumbentem. Alius contra eodem ferè tempore sensit saluti sibi fuisse honorem cruci exhibitum. Hic memor Christiani moris, priusquam arborem conscenderet, signo crucis se munierat: decidit inde præceps fracto ramo, & ita quidem, vt subiectum in terrâ li-

Digitized by Google

rà lignum casu suo confregerit illæsus ipse & infractus. Illud porrò hac in Missione iucundum fuit, videre eos, qui paulò antè vix vsum Rosarij nouerant, nunc è concione redeuntes in via publica singulos vel binos alternatim coronam attentè percurrere: in templi dedicationibus non paucos pro fœdissimis comessationibus cœleste Dominici corporis conuiuium celebrare: relictis choreis ad templum cõfluere, & post concionem in ipso saltationum loco, cunctis attendentibus, summa exhortationis capita cum Patre repetere. In pago quodam vbi dedicati templi celebritas agebatur, cum dato signo vix quisquam ad sacrum audiendum accederet, Sacerdos noster ad vicinam tabernam diuertit, inuenítque ibi combibonum multitudinem, exhortatur ad sacrum audiendum, obsequuntur illi duobus exceptis; quorum alter proteruè respondit, sufficere sibi pridie sacris interfuisse. Abijt paulò pòst idem ille ad capiendam anatem siluestrem, quam in proxima piscina fistula ænea traiectam inaudierat: exuit se vestibus, comittit aquis, illicò mergitur, ídque sub ipsum pene sacrificij tẽpus, vt de vindicta diuina minùs dubitari posset. Alteri contra pietas sua commodo filióque, quem tenera in ætate tenerrimè diligebat, saluti fuit. Is cùm festo die Assumptæ Virginis audisset Patrem è cathedra prolixè disserentem de cultu DEIPARÆ, de Rosarij recitatione, DEIPARÆ statim clientem se mancipauit, eámque pro filij incolumitate sæpe interpellauit.

Digitized by Google

Tertio post die coronam bis relegerat, filiolum tutelæ Virgineæ enixè commendans, cùm ecce tibi currus bene onustus præteruehitur, puerũque trimulum in platea ludentem rota intercipit: qui quidem duro in loco ac plano deprehensum femur pressit, sed ne tantillum quidem nocuit; nisi quod ad maiorem fidei comprobationẽ indicium quoddam relictum sit tumoris, qui & ipse mox euanuit, cunctis euentum non casui, sed D. Virgini adscribendum censentibus. Eidem adscribitur & illud: quod, ne diuturnitate temporis oblitteretur, hic memorabo. Cùm Arlanum ante annos aliquot ab Hollandis fraude interceptum spoliaretur, agrestis quidã singularis Deiparæ cultor è Sodalitate nostra Parthenica in eadem cum cęteris calamitate constitutus, quinq; philippeos imperiales in manus secum accepit, vt si in hostẽ fortè incideret, hoc se quasi lytro redimeret: sed mox facti pœnitens ad tutiora consilia adiecit animum; commendauit, inquam, se obnixè D. Virgini, cuius & præsidio munitus ita per medium prædantium agmen penetrauit, vt ne grauiori quidem verbo à quoquam fuerit læsus aut appellatus.

X. SACELLVM Collegij nostri Siluaducensis angustius est, quàm vt tantam populi vndique accurrentis capiat aut frequẽtiam, aut pietatem, præsertim celebrioribus anni temporibus: adeò ab ipsa vsque Batauia, aliisque locis externis, tùm aliàs frequenter, tùm ijs maximè diebus ad nos ventitant; alij vt primam Nostris exomologesin faciant, aut ab annis triginta quadragin-

tavé

Digitized by Google

tavé intermissam resumant: alij etiam & quidem magno numero, qui vel hæretici sunt vel dubiæ fidei, vt cum Ecclesia se concilient. In quibus vir magnæ auctoritatis apud Batauos congressionibus aliquot superatus, manus veritati dedit: aliúsque apud eosdem Magistratibus aliquot perfunctus, lucem, quam velut in crepusculo librorum à Societatis nostræ hominibus conscriptorum lectione domi acceperat, ad perfectum diem nostrorum colloquio perduxit, expiatísque animi noxis summopere, recreatus, illo die lætiorem sibi nullum illuxisse testatus est. Tres item feminas, quibus quò minus in ratione, eò ferè plùs in pertinacia, præsidij solet esse, vicit tamen in omnibus Religionis nostræ veritas; & ita quidem, vt vna parentibus hæreticis patriáque valefecerit; altera verò, quæ ex Anabaptistarum fecibus emerserat, etiam rebus humanis nuntium remiserit, totámq; se DEO in Religione consecrarit. Plures matrimonia hæreticorum more cõtracta, Catholico ritu instaurarunt. Ex ipsis verò inquilinis hic tam per confessiones quam communiones collectus fructus. Quædam cùm confessarij minis à deliberata peccandi voluntate auelli non posset, insequentis noctis terroribus ac insuper æternæ damnationis metu compulsa, postera die supplicem se ad Confessarij pedes abiecit, nihil non exequi parata.

Alius quidam præsidiarius miles, cùm vices suas in nocturna statione obiret, ab immani vmbra ita ex improuiso occupatus fuit, vt compresso

Digitized by Google

præsso gutture suffocari videretur, vixque salutaria IESV & Mariæ nomina exprimere posset: quibus tamen, vtcunque potuit, inuocatis, liberas quidem fauces habuit, sed non perinde alia corporis membra, brachia præsertim, quæ veluti vi quâdam constricta tenebantur. Itaque cùm solo se, quo poterat, clamore defenderet, excíti è vicinis stationibus commilitones, ad vicinum militum contubernium trementem deduxerunt. Sed nec aliorum consortium metum omnem eximere potuit, donec animi arcanis in confessione ritè detectis liquidò cognouit, nullam bona conscientia Deique timore loricam esse tutiorem.

XI. TRECENTOS discipulos vnica Rudimentorum classis hîc numerârat, quam idcircò diuidi hoc anno necesse fuit. E Dramatibus fructus ille constitit, quòd vir quidam egregiè doctus, sed in fide malè firmus, aut veriùs, omnino hæreticus, spectata considerataque Incarnationis (quam fortè exhibebamus) œconomia, audiénsque modò ab Angelis, modò à Pastoribus, Magísque Deiparæ Virginis laudes varijs modis, moduliſque appositè decantari; secum reputare cœpit, quàm conuenienter similes illi olim laudes viderentur attributæ: indéque summum odium in Mariomastygas, amorem in ipsam Virginem animo concepit. Iacta noui ædificij fundamenta iam surgunt: tres ab senatu aptatæ scholæ; templi, bibliothecæ, domus auctares.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM NAMVRCENSE, DIONANTENSE, SEDES RVremundensis cum Missione Hollandica.

XII. FELICES DEO propitio Collegij Namurcensis dudum expetiti, & anno superiore constituti primitias ex varijs Societatis nostræ exercitijs, eo animorum sensu ciuitas excepit, vt palàm nec semel, nec pauci testati sint, iam demum vrbem hanc florere. Habent Nostri concionem festis ac Dominicis diebus in ede primaria D. Albano sacra: tribus item in vrbe Catechismis, ac duobus extra vrbis pomeria iuuentutem instituunt, eo certè fructu, qui in ciuitate auitæ fidei tenacissima, & ab animis ingeniisque ad omnem virtutem natis, exspectari potuit, præsertim cùm & parentes præmijs currentes, & Parochi minis & auctoritate segniores incitèt. Inter quos fuit, qui palàm ediceret, se publicam vim per Satellites adhibiturum, ni maturè frequentes adessent. Alius quidam nonagenarius, cùm noster fortè per vicum eius curæ commissum transiens de rebus diuinis verba fecisset, summo affectu diuinæ bonitati gratias egit, quòd Societatis nostræ Sacerdotem ad gregem suum perorãtem audisset, rogánsque, vt quàm creberrimè id beneficij sibi suísque impenderet, pro facultate sua liberaliter exceptum habitúmque collachrymans tandem dimisit. Domi perrarò ab audiendis pœnitentibus vacare licuit. Die Purificatæ Virginis sacro cùm centum viginti pueros ad cœlestem

Digitized by Google

ſtem Dominici Corporis menſam adeuntes inſigni ordine ac modeſtia ciues ſpectaſſent, tantâ ſtupuerunt admiratione, vix vt templo digreſſi palàm exclamarent: *Quænam iſta Deum bonum tam recens Namurci mutatio? Ergóne pueri ſenes, filij parentes iunctam pietati modeſtiam docebunt in poſterum?* Omitto id genus cætera. Sacra ſupellex Collegij huius variè aucta eſt, quingentorum facilè & quadraginta aureorum pretio. Domeſticam Reuerendiſſimus Epiſcopus aliúq; ſummo ærario præfecti commendatione Illuſtriſſimi Comitis Egmondani mille quadringẽtis auctiorem fecêre. Idem Illuſtriſs. Comes perfecit, vt Magiſtratus decretos priùs in partem dotis ſeptingentos annuos, ratos ac perpetuos eſſe vellet, additis præterea alijs centũ ex veteris Collegij fundo. Eodem auctore huius loci ordines proximis comitijs ſummam nobis duodecim millium, & octingentorum aureorum Sereniſs. Archiducibus annuentibus decreuerunt. Inſtructior item hoc anno Bibliotheca facta liberalitate Illuſtriſs. Archiep. Cameracenſis eiúſq; fratris beneficetiâ ducentorum & viginti aureorum. Mercatores præterea, qui ferri fodinis præſunt, ferri pondo libras quater mille Collegio dederunt. Fratrum denique patris noſtri Gerlaix natu minor futuro Collegij vel templo vel ſacello trecentos aureos legauit, addiditque deinde rurſus alios quingentos: piæ voluntati coniugis vidua ſubſcripſit alios centum de ſuo, & defuncti parens bona matrona vtriuſque pietati centum è ſuo ærario iunxit. Quid multa? Creuit

Digitized by Google

uit noſtris animus cum re, iactáque ſunt noui ædificij fundamenta longi centum viginti pedes, lati verò triginta intra muros: & ſpes eſt, operarum diligentiâ exeunte autumno ad culmen perducendum.

XIII. DIONANTENSE Collegium trecentos præclaræ indolis & virtutis inſtituit diſcipulos, innocentię non vulgares amatores, ſtrenuos pudicitiæ propugnatores. Fuit qui per aliquot annos ſacrilegè communicauerat: iuſſus auxilium D. Virginis implorare, ſeſéque illius tutelæ committere, biduo ſic eſt immutatus, vt abiurata hæreſi, quam occultam fouebat, ad Eccleſiæ gremium redierit, damnans parentes, qui ſe tenuis lucri gratia ad eam ciuitatem, in qua hæretici potiores obtinent, educandum miſiſſent. Cacodæmon habitu viri in ſpeciē nobilis & clari, officinam pauperis cuiuſdam fabri ingreſſus pilum vel vnicum capillum vé popoſcit: crumenam benè turgidam, quam oſtẽtabat, pretiũ fore: ſed petitum negat faber: adhibet iſte minas, & cùm neque ſic petitioni fieret ſatis, depoſita larua in pugnam apertus hoſtis prodit, accumulat verba: nihil tamen neq; tum neq; vnquam poſtea vel vi vel precibus ab eo extorſit: quippe agni cerea effigies & confeſſio Sacerdoti noſtro facta pro ſcuto fuêre homini. Sed vt infeſtior eſt ferè animis quàm corporibus hic hoſtis, ita maiꝰ fortiúſq; contra eundem apparãdum fuit præſidium à Patribus: quod nõ domi tm̃ egregiè præſtiterunt. Iuuencula ſanctiùs pudicitiã cuſtodire monita, colaphum à proco quàm oſculum ſuſtinere maluit.

Ru-

Rudium autem in fide institutio in præcipuis, vt solet, curis fuit; ea ab omni memoriâ neglecta, Nostrorum exemplo & labore passim à Curionibus est instaurata: tantáque auiditate Nostri sunt auditi, vt ob templorum angustias quibusdam trabes ac tigna pro subsellijs essent: vni Patri septemdecim conciones triduo fuerunt habendæ, vt auditoribus pro pietate ac feruore, fieret satis. Parochi ipsi per Ardennam Nostris varios in pagos comitantur, tum vt formam tradendæ doctrinæ Christianæ ipsi addiscant, tum vt oues exemplo suo ad ea pascua pelliciant. Et quis inde fructus? Certè Hebdomada sancta, quatriduo confessiones ab vno è Nostris per viginti quotidie horas fuêre audiendæ.

XIV. RES domestica ciuium erga nos liberalitate non parum auxit. D. Ioannes Tyrion insignis Societatis nostræ amicus, cuius ædes triginta & ampliùs annis hospitium nostris præbuerant, relicta filia suæ pietatis hærede, nos bonorum suorum donatione inter viuos legitimè cõprobata successores esse voluit; &ne quid reliqui esset, corporis sui sarcinam omnium primus in templo nostro reliquit moriens. Morbi tempore summæ ipsi consolationi fuit Nostrorum præsentia: identidem velut alter Simeon repetens; *Nunc letus moriar, siquidem ex voto meo Societas IESV Dionanti fixit domicilium: orate igitur Patres, vt breui ex hac vita, vt vobis melius sit, eripiar.* Demum suauiter post longam multorum mensiũ tabem, octogenario maior, ad meritorum suorum præmiũ ex hac vita emigrauit.

Supel-

Digitized by Google

Supellectili sacrę, quę facta est accessio, trecentis aureis æstimatur: octingentis, quod Ruremundensi templo est illatum. Ad eiusdem Ruremundensis domûs rem familiarem censûs nomine in annos aurei mille, communi Ordinum consensu, Nostris alendis sunt attributi: præter alia donaria, quorum æstimatio supra quatuor aureorum millia conficiat: vt Ruremundenses Nostrorum operam non minimi facere liquidò satis intelligi possit, quando id non verbis modò frequenter, sed & factis præ se ferunt & beneficijs. Audiunt enim per compita vrbis & vicos, profanis cantilenarum sordibus veluti relegatis, aliud acroama pœne nullum præter sacrum illũ hymnum, quo summa fidei nostræ capita continentur. Vident ad Ecclesiã se recipere, quos perfidia auulserat. E sex vnus quidam erat Anabaptista, qui cum Nostrũ è suggestu dicentẽ audiuisset, morbo deinde correptus eum ad se accersit: à quo fidei dogmata edoctus aquisque salutaribus ablutus, & haud ita multò pòst animam, à quo acceperat Deo, piè admodùm reddidit.

Porrò totius vitæ crimina per pœnitentiæ Sacramentum eluerunt plures, ij ferè, qui per multos annos, quâ rubore quâ ignorantiâ, salutaribus ijs remedijs ad maiorem animi pernicie malè fuerant vsi. Præclara præ ceteris vnius haud vulgaris notæ resipiscentia fuit. Abstinuerat is multo iam tempore à Sacerdote, suorúmq; peccatorum retractatione, pœnæ, quam delictorum suorum grauitati deberi satis intelligebat, subveritus magnitudinem. Torquebatur interim

Digitized by Google

velut animi perpetua carnificina: quam cùm ingraueſcere ſentiret in horas, neq; eſſet vltrà ferēdo, ſimul opportunitate Sacerdotis noſtri inuitatus, ad ſacrū tribunal adit, ſed eo conſilio, pedē vt referat illicò, ſi Noſter vel tantillū admiſceat ſeueritatis. Mira res! Ingens hominem inuadit angor, ingens trepidatio. Noſter verò exanimatum erigere, benignè compellare, hortari fidenter agat; expediat, ſi quid perplexum in animo alat; ſpondere opem & conſilium. Ergo ex tam inſperata humanitate, conceptâ fiduciâ totum ſe aperit: móxque eo, quo premebatur, onere leuatus, ita exarſit in ſeipſum, freno vt opus ei eſſet, in exigendis à ſe ſupplicijs nimius ne eſſet. Idem deinde non ſemel cum inſolita geſtientis animi lætitia clarè pronuntiauit, hac voluntaria ſui accuſatione non tranquillitati modò ſe, ſibíque reſtitutum, ſed etiam tanquam ex inferorum pœnis ad paradiſi delicias traductum ſibi videri.

XV. VENEFICAM in Iuliacenſis Ducatús oppido morti iudex addixerat: cum hac tanta dexteritate Sacerdos noſter egit, vt & clariſſima ducti ad pœnitudinem animi ſigna dederit, & coram ſenatu hæretico pœnè vniuerſo, multíſque præterea hominum millibus, qui ſpectandi ſupplicij cauſa confluxerant, Catholicæ fidei veritatem in ijſce partibus ægrè iam ſe tuentem præclarè atteſtata ſit, aſſeruerítque Cacodæmonis ſe vinculis non niſi luſtralis aquæ vſu, ſacræ ceræ imagine; auxilij, quod in cœlitibus eſt, imploratione; ac Miſſæ præſertim ſacrificio, cui & inter-

Digitized by Google

interfuerit, eximi potuisse: quæ res magnum in auditorum animis motum excitauit.

XVI. IN HOLLANDICA missione vineæ Domini excolendæ operam suam impènderunt Patres quatuordecim, distincti in loca duodecim, in quibus non tam degunt, quam cõtinuò peregrinantur. Cùm.n.nunc ad hos nunc ad illos vel euocentur, vel vltrò exeant, assiduè peregrinari necesse est ingentí labore & molestia, ea tamen omnium maximâ, quod nocturnis vigilijs diutnísq; cõcionibus fracti, petentibus panem diuini verbi frãgere quãdoq; non possint, nec sacramẽta impẽdere vnicè id postulantibus. Vnde facilè perspicitur, quis ex istis sudoribus referatur fructus. Certè affirmant passim omnes Catholici & Nostri, nunquam Orthodoxam fidem, ex quo isthic cùm hæresi tùm bello agitata fuit, magis effloruisse: & nunc omnium propè animos ad Religionem nostram propendere, tùm propter Ministrorum dissensiones, tùm quia intelligere incipiunt, quàm sana sanctáq; Romana Ecclesia dogmata proponat, quæ ipsi adhuc vel iniuriâ temporum, vel incuriâ ignorârunt.

XVII. SACERDOS quidam è nostris, dum vltraiectinam regionem culturæ suæ assignatam visit, sacris operat⁹ est in Hordeuelt vico nobili, Geldriæ vicino. Tanta verò subitò fuit ex vicinis locis accurrentium multitudo, vt horrea diebus aliquot omnino impleuerint, & Sacerdos frequentiam Paschatis feriatis diebus in Sacramentis obeundis magna sua voluptate spectaret; plurimósque cum dolore remittere debuerit,

Digitized by Google

buerit, temporis anguſtijs excluſus. Idem trecentos facilè confeſſione expiauit, qui vel nullius, vel hæreticæ erant fidei, vel totius vitæ decurſu pœnitentiæ remedia nunquam vſurpârât. Totidem pœnè fuerunt, qui triginta, viginti, octodecim, duodecim annis ſeſe à Communione abſtinuerant. Ibidem quinquaginta coniugum paria Catholico ritu matrimonio iunxit, qui neglectâ Concilij Tridentini formâ cohabitabant. Incredibile eſt, quàm auidè pagani audiant Sacerdotes orthodoxos. Contigit non ſemel, quadringentos auditores in ruſticâ domo Patrem noſtrum numerare, cùm in vicinâ ædes hæreticâ ſex tantummodo reperirentur; ſubinde tantùm vnus; vt indignatione plenus Miniſter excederet, teſtatus ſe DEO iudici ſatisfeciſſe, qui verbum DEI ſpargere voluerit; nec terram, in quâ reconderet, reperiſſe. Hinc fit, vt in conuentus Catholicorum ſeuerè inquirant Magiſtratus, & Sacerdotes potiſſimùm perſequantur, quos tamen non minùs fortiter Catholici tuentur. Dominica tertia Aduentus frequens erat Hornæ concio, cùm ecce rem ſubodoratus Prætor irrumpit, parátque in Sacerdotem manus inijcere: ſed vim propulſarunt qui aderant quà viri quà feminæ; atque inter has Virago Prætorem affinem ſuum increpare grauiſſimè, & cęleſtem iram comminari; quibus illum quidem fregit, ſed non ita ſatellites, quos etiam per feneſtras irruentes manu, donec fuga ſibi Sacerdos conſuluiſſet, viriliter repellere perſtitit. Tanta

eſt

est benignissimi Seruatoris clementia, qui famulos suos, à quibus noua hæc vinea coli debet, etiam per feminas tuetur: Christianorum verò, etiam imbellis sexûs, tanta fortitudo, & animi constantia, vt in summis periculis & timoribus non modò nihil de suo feruore remittant, sed magis inflammentur, periculis tanquam stimulis & calcaribus excitati.

Digitized by Google

Agunt in viginti nouem Prouinciæ huius locis Patres Fratreſque ſeptuaginta vltra quadringentos: in cœlum abierunt duodecim: viginti nouem ad Societatem acceſſerunt.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
In Colleg. Viennenſi	XXXIX	XX.	IV.	III.	XII.
Græcenſi	XCVIII.	XXV.	VI.	LI.	XVI.
Pragenſi	XXXVII.	XIX.	IV.	II.	XII
Olomucenſi	LIII.	XXXIII.	VI.	VII.	VII.
Crumlouienſi	XIIX.	VIII.	V.		V.

Digitized by Google

	Vniuersim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholast.	Admoues
Commotouiensi	XVI.		IV		V.
Nouodomensi.	XXIV.	X.	IV.	IV.	VI.
Clagenfurtensi	XVI.	VIII.	III.		V.
Glacensi	XIII.	VII.	II.		IV.
Labacensi Collegio	XVI.	VII.	IV.		V.
Labacensi Sede	V.	II.			III.
Viennæ ad S. Bernardum	VIII.	V.			III.
In Sede Lincensi & Bulgarensi.	XI.	VI.	II.		III.
Milleſtadiensi	VI.	IV.			II.

Digitized by Google

	Vniuersim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholast.*	*Adiutores.*
Eberndorffenſi	III.	II.			I.
Zagrabienſi	XIII.	VI.	IV.		III.
In 4. Miſsionibus Hungaricis		VIII.			
In Miſs. Alſolinduenſi		II.			
Paſſauienſi		III.			
Mieſtecenſi		II.			
Crembſirienſi	II.	I.			I.
Brumouienſi, Niſſenſi		IV.			
In Domo Probat. Brunenſi	LXVII.	VIII.	II.		VIII.

Digitized by Google

Eorum, qui Noſtris pellicientibus à perfidorum caſtris ad Catholicos transfugêre, excreuit numerus ad mille ducentos.

Poſitis odijs intermiſſam amicitiam reuocârunt viginti.

Errata ſua generali confeſſione retractârunt ſexcenti ſeptuaginta.

Cacodæmonem aut varijs modis territantem eluſerunt, aut peſſimum inquilinum eliſerunt, ad viginti.

Ab impudicitiæ lue reſilierunt quadraginta.

Publicam ſeu laquei ſeu mortem aliam infamem per Noſtros effugêre nouem.

Per Deiparam & B. Ignatium, ac multò ſæpiùs per ceream agni DEI imaginem aliáque id genus ſacra amuleta, varia beneficia accepêre quinquaginta.

Aureorum Noſtris adnitentibus pauperibus alijſvé pijs vſibus ceſsêre vndecim millia.

Digitized by Google

COLLEGIVM VIENNENSE.

I.

IVVENTVTIS litterariæ industria, quam Viennæ Nostri informant, cùm aliàs, tùm eo se tempore prodidit, quando cum ipsa instauratione studiorum Drama Regijs nuptijs dignum in scenam parabant. Ornarunt & emblematis versibúsque non vniùs generis eosdem regios Hymenæos, víxq; aliàs frequentiùs Principes, Principúmq; legatos salutarunt. In quibus Illustriss. Cardinalis à Dietrichstain, qui tum legati de Latere Sedis Apostolicæ munere functus à Nostris etiam seorsim in sacello domestico est latina oratione exceptus; ab eóq; viciſſim nos nõ solùm humaniſſimis verbis resalutati, verùm etiam ampliſſimis Indulgentijs donati: in præsens quidem ómnibus plenâ: in sex verò annos futuros, sex annorum & totidem Quadragenarum visitantibus idem sacellũ impertitâ. Sed ad iuuentutis commendationem id insuper facit, quòd Sodales in Aduentu Dominico ter hebdomadis singulis ad sacellum conueniunt, atque in consi-

Digitized by Google

considerando Incarnati verbi mysterio horæ quartam partem insumunt. Quadragesimæ verò diebus quotidie à scholis post decantatum in templo Psalmum Miserere ibidem coram venerabili Sacramento persistentes quadrantem horæ precantur: id quod eorum exemplo inuitati complures alij similiter præstant.

II. MAGNAM præter alios, in B. Virginem non solùm pietatem, sed etiam liberalitatem ostendit Reuerendiss. Dñs Casparus Abbas Melicēsis Rectórq; Congregationis; centũ semel aureos, aliàs quantũ opus erat, in vsũ Sodalitatis elargitus est; auctus verò cùm numerus tùm splẽdor Congregationis mirificè primariorũ quorundã Vngariæ Procerum accessione, Magnifici præsertim Dñi Georgij de Homonna, qui liberali munificentia cũ egregio donario seipsum multósq; è sua familia nobiles B. Virgini cõsecrauit. Maiores hos æquis ferè passibus assequuntur Sodales minores. Cõstat vltra viginti millia Rosariorũ hoc año ab ijs extra ordinem fuisse recitata, vt aliûs generis Christiana opera sileãtur. Duplici porrò exẽplo Sodaliũ res concludendæ. Baro Transiluanus à Principis sæui & capitalis hostis sui militibus astu circumuentus víque captus iam ad certum exitium rapiebatur, cùm omni humana ope desperata ad vota recurrit, & si B. Virgĩ his auxilio ex eo periculo eximeretur, Sodalitati eiusdem S. Matris se nomen daturum, vouit: mox inde exẽptus. Alter in Conuictu olim nostro Sodalitati B. Barbaræ adscriptus, eam peculiari pietate colere etiam foris pergebat; illúdque in primis ab ea sibi impetrari concepta precum formu-

Digitized by Google

formulâ quotidie flagitabat, ne ex hac vita sine cœlesti viatico discederet; obtinuit. Nam cùm sæpiùs, vt ipse affirmabat, manifesto B. Barbaræ subsidio vitæ discrimen euasisset, tandem supremo oppressus morbo nostrum Patrem, cui aliquando familiaris fuerat, aduocari curat, factâque generali de tota vita confessione illo, quod semper tantoperè expetierat, peregrinationis nostræ viatico refectus est; ac posteaquam in precibus aliquantisper defixus hęsisset, conuersus ad familiarem hunc olim sibi Patrem: *Pater*, inquit, *quàm fidelem matrem & patronam sum nactus; quæ sicut in vitâ tam fideliter, quod ab ea petij, præstitit, ita eandem iam iam apud summum Iudicem mihi matrem & patronam futuram certò spero:* quibus dictis extremùm vngi petijt: quo facto, rursus ad eundem Patrem hilari vultu conuersus ait: *Age nunc pater, communem matrem nostram B. Barbaram pro auxilio imploremus.* Dictis inde precibus de S. Barbara, læta facie renidens, tanquam de imminenti mox itineris procinctu certus Patri & astantibus valedixit, iunctisque ante pectus manibus, clara voce pronũtiauit: *Domine in manus tuas commendo spiritum meum*: tùm continuò deficiens inter commendationem animæ suauissimè cum astantium affectu obdormit: quæ mors magnam B. Barbaræ in multis & venerationem excitauit & cultum.

III. EORVM, qui ad Ecclesiam Catholicam Nostris ductoribus sunt regressi, quique totius vitæ peccata dolentes enarrauerunt, par fermè numerus extitit: supra tercentum capita vtrauis ex parte

parte numerata. Boius quinquagenario maior, ante triginta annos in has oras delatus patriam, hoc est Catholicam Religionem deseruerat; qui vt agnosceret, quantum in fide deliraret, cerebri etiam delirium incurrit, domóque aliquoties vxore ac liberis relictis profugus integris mensibus montes ac siluas pererrabat, radicibus victitans. Redibat interdum ad se, gustabátque de cœna Lutherana in Ernhals (nomen id est destinati apud hanc vrbem tali cœnæ triclinij) sed nimirum hic bolus ex deliro insanum faciebat. Itaque mortem sibi aliquoties concisçere parabat, ferro, aquis, præcipitio; sed semper à bono Angelo ad animi corporisque sanitatem seruabatur. Tandem à medico quodam ad Nostrum Sacerdotem pro medicina animæ missus, totius vitæ exomologesi facta, votum peregrinationis ad B. Virginem Cellensem nuncupauit, ac mox tranquillitatem conscientiæ, mentisque iuxtà ac corporis sanitatem recepit, votúmque nudis pedibus exoluit.

Æquè grandi natu miles & ipse Catholicis parentibus in Prussia natus, sed in aula Brandeburgica puer honorarius factus, hæresim imbibit; postea militiam secutus, quo tempore Aula Regalis à Christianis recipiebatur, ipse cum militū præfecto, cui suberat, captus in Turcia quinquennium vixit, ac sæpissimè ad Machometismū violentè sollicitatus est. Lustrauit interea tùm Mechæ Machometis sepulchrum, tùm Hierosolymis Christi aliáque ibidem pia loca; vbi & voto se constrinxit, si liberaretur, Catholicum se futu-

Digitized by Google

futurum; quod idem promisso apud P. Guardianum sepulchri Dñi stipulato pollicitus fuerat: sed mirabiliter liberatus voto ac stipulationi satisfacere negligebat, donec vehementissima febri admonitus, Noster vt aliquis vocaretur, inclamare cœpit. Adfuit illicò vocatus, & peccata dicentem audiuit, absoluit, sanúmq; reliquit; satis tum intelligentem, cur à DEO febres illi fuerint immissæ; qui demum tertio pòst die in templo nostro cum vxore, sanus iam & incolumis omninò, sacram Synaxin acceptauit.

Fuit & alius maior sexagenario: supra quadraginta annos apud Belgas & Vngaros per varios militiæ gradus ad Præfecti dignitatem peruenit, purus putus semper Lutheranus. Accidit verò ante quendam cum Turcis conflictum, vt cuiusdam præcipuè facti conscientiâ angeretur: hanc vt deponeret, Ministro Lutherano confitetur: eodem vespere inter cœnam, dum iurgio inter eos forte exorto Minister inter cætera etiam illud ex confessione probrum obijcit: indignatus miles in præsens quidē contētus fuit Ministrum apud Catholicum Colonellū accusasse, impetuosséq;, vt palàm virgis cæsus ex castris proscriberetur; in posterū verò de secreti seruantioribus confessarijs prudens cogitare cepit. Quam ob rem Viennā profectus & sufficienter institutus, multis lachrymis bonus senex, quòd tm ætatis tam turpiter à vero aberrando triuisset, defleuit; promisitq;, secum vxorē quoq; ad Ecclesiam adducturum, liberos nostrę disciplinæ traditurū. Alterius cuiusdā militū Præfecti vxor cum familia

Digitized by Google

liàiam ante annum se Catholicis adiunxerat; id ipse adeò ægrè tulit (Nostris frustra cũ eo diu laborantibus) vt cùm omnia ad eam peruertendã expertus esset, ad extremũ de diuortio cogitârit: sed tandem constantiâ Nostrorũ, patientiâ vxeris, & verò in primis gratia diuinâ iuuante & illustrante lucẽ hoc anno aspexit. Virgo annos nata viginti sæpe multúmq; de mutanda Religione Lutheri cogitabat: at.n. Matrem verebatur: sed tandẽ sumptis animis eam adit; quid cogitet, exponit, sperabátq; aduersaturam maximè: verùm illa; *Quin & egomet mea filia vnà cum sorore tua ad Confessionem tecum pergeremus, nisi nos hominum quorundam oculi retardarent: at tu, quod cogitâsti, perfice; nam per me licet, tantùm DEVM pro me, vt te sequar, roga.* Læta igitur Virgo voti compos effecta, perseuerat, mâtrémque ac sororem spei factæ commonere non desistit. Sed nullius æquè hac in vrbe ad nos digressio admirationem peperit, quam matronæ cuiusdam inter ciues nobilis & copiosæ. Maritus huic est, hodiéq;, vt semper, à fide maximè abhorrẽs Orthodoxa: ipsa ab incunabulis hæretica cõtumax, Catholicis mirè infensa: Iesuitas ne aspectu quidem dignari vnquam potuit: non semel nixa genibus per duas horas liberum Lutheranis fidei exercitium à DEO precata, memoratur. Si quando iuuentuti nostræ florenti, cùm è scholis prodiret, fortè occurreret, lachrymas tenere non poterat, quòd à nobis tam nobilis indoles, vt putabat, corrumperetur. Occasio emendationis illi hæc fuit.

Præci-

Digitized by Google

Præcipuus Præconum de Eucharistia, vel, vt illi loquuntur, de Cœna concionabatur, & incalescendo contendebat extra vsum, Sacramentum esse nullum: ipsa opinabatur contrarium, adijt tamen hominem, cùm tempus videretur opportunum, vt Confessionem de more peccatorum apud ipsum faceret; qua peracta examinat Minister, ecquid de Sacramento extra vsum sentiat? negat illa ingenuè, se eadem cum Prædicante sentire: ipse verò, nisi consentiat, profitetur, se veniæ annunciationem (quæ apud ipsos est Absolutio) illi negaturum: tergiuersari mulier & affirmare, se aliud opinari non posse. Denique cùm Prædicans perfractè perstaret in sententia, proripit se ex eius conspectu indignabūda mulier, neq; deinde nouem ipsos menses vllam concionem siue Lutheranam siue Catholicam audiuit. Ad extremum impetrata à marito licentia nostrum adire templum in animum induxit. Catechistes tum noster per eos dies Decalogi fortè obseruationem horis pomeridianis interpretabatur; non displicuit: redijt auditura iterum & sæpiùs. Quid multis? Conuicta est. Et quàm acris erat antea in Lutheranismo propugnahdo, tam nunc feruet in fide Orthodoxa defendenda. Stupori res fuit ciuibus: sed maritus videlicet insaniebat. Quid non machinatus est, vt illam de consilio deturbaret? Adhibuit verba, minas, verbera, promissa, lachrymas, exhæredationem; perseuerat illa constanter, fert omnia patienter. Et accidit interdum, vt cum maritus orditur cantum Lutheranum solēnem, ipsa

ipſa ex aduerſo occinat Catholicum, inuitúmq; ceſſare cogat & indignantem. Nec minor quàm cum marito eidem pugna fuit cum ſorore, quæ lymphatæ ſimilis templum noſtrum ingreſſa palam cœpit pro ſorore Noſtris oblatrare; nec adhuc ceſſat ſororem mordaciter identidem perſtringere: verum illa conſtanter fortitérq; perfert difficultates omnes, penéque iam fregit obſtinatum maritum, vt non ſemel fuerit coniugi reconciliatus: recrudeſcit tamen ſubinde vulnus tantâ diuturnitate radicatum, quamuis non ſine magnâ ſpe perſanationis.

IV. REGIVS Concionator, qui vnus eſt è Noſtris, caſtra in Bohemiam eſt ſecutus, cui Pragæ, cùm morbi inter Aulicos & Milites ex itinerum incommodis contracti graſſarentur, penè ſupra vires laborandum fuit. Et poſt coronationem Sereniſs. Regis in templo metropolitano arcis Regiæ Pragenſis verba fecit: in quibus quinque animarum lucrum Eccleſiæ adiecit. Vidit & Wradiſlauia Sileſiorum Metropolis Ieſuitarum ex interuallo præſentiam inſperatam. Concionabatur Noſter Rege ſemper præſente in Dominicanorum S. Adalberti templo, in quod hæretici ante biennium admodùm violenter inuolarant, Dominicaníſque peſſimè habitis penè diruerant: eâ autem beneuolentiâ audiebatur, vt plurimi dicta calamo exciperent, & poſtea inter ſe conferrent. Denique per omnes Prouincias, quà Sereniſſimum Regem Noſtri ſunt comitati, non parùm ſunt vbique Hæretici Noſtrorum præſentia perculſi. Singularis quoque Sereniſ-

Digitized by Google

simi Regis pietas ad bonum rei Catholicæ vel in hoc enituit, quòd quòcunq; accederet, vbi templum erat Catholicum, priùs in illud ingressus hymnum TE DEVM laudamus decantatum audiret, quàm ad diuersorium sibi paratum descenderet.

RESIDENTIA LINCENSIS ET POSONIENSIS.

V. LINCII octo supra viginti ad Christi ouile reducti; restántq; non pauci, qui pollicentur priorum se vestigia secuturos. Quod hi promittunt, vir Turingus, & sanguine & bello clarus, cum coniuge iam opere ipso præstitit. Nam postquam multis annis castra Martis & hæreseos fuisset secutus, tandem placuit summo Imperatori DEO, etiam ipsum in suam militiam adlegere. Venit Lincium, vbi graui morbo simul cum cõsorte thori decumbere cœpit: ægritudo corporis vtriq; attulit sanitatem mentis. Námq; vir non nescius, nullum in templo nisi Catholicum sepeliri, vnum ex Nostris ad se vocat, Catholicum se fingit: rogat, vt Catholicæ Religionis præceptis vxorem hæreticam lethali morbo laborantẽ imbuat, vt si contingat illam ex humanis tolli, in templo sepulturæ tradi possit. Suscepit Noster curam infirmæ, adhibet medicinam ægræ menti: nec frustra. Surrexit fæmina sana & mente & corpore; statímque marito eandem medicinam propinat. Respuit ille diu: sed tandem assiduis

VXO-

Digitized by Google

vxoris precibus cessit, præmissáque exomologesi sacrosanctas Corporis Christi epulas suscepit, atque intra triduum pristinas corporis vires hoc sacro pharmaco recuperauit. Femina vt DEO referret gratias, sextâ quaq; feriâ & sabbato ab omni cibo vsq; ad noctem abstinere toto vitæ tempore decreuit. A confessionis sacramento, sanctæq; Eucharistiæ vsu aliquot nobiles pluribus annis abstinuerant, propter inimicitias. Effectum itaque, vt & hi depositâ animorum acerbitate in gratiam redirent, veniámq; à se mutuò peterent. Ecclesiastico homini pellex abstracta: alia eiusdem stabuli lupa ex eodem turpitudinis cœno reducta: & hæc Lincij.

VI. IN POSONIENSI Missione plures quidem fidem veram amplexi: sed duorum insignior fuit reuocatio. Alter loco nobili natus clientes Catholicos multis annis sollicitauit, vt ab auita Religione desciscerent: egit cum eo sæpe Noster, qui deniq; Catholicum se fore professus est, licet, multis impedimentis sese obijcientibus, identidem Confessionis sacramentum differret. Ad extremum conuocatis ijs, quos antea veritatis hostis vexârat, ipsis præsentibus in templo de peccatis confessus, ac manantibus lachrymis sacra Synaxi refectus, peregrinationem ad D. Virginis quinq; dierum itinere pedibus confecit, magno exemplo. Alter prædicans fuit non incelebris inter suos, doctrinâ moribúsque clarus, cui aliqua veritatis spicula inhæserant ex lectione librorum Catholicorum: contulit is cum doctissimis quibusq; suæ sectæ Superintendentibus; aliquo-

Digitized by Google

ties publicus Miniſtrorum cõuentus celebratus eſt, in quo cum ipſo ageretur: verum nihil veritate ac ſolidis rationibus actum: monebant ſõlùm, tales cogitationes negligeret; vxorem duceret, cuius cõſuetudo melancholias huiuſmodi diſpelleret; libris Catholicis abſtineret: at quò magis hæc ingerebant, eò ſibi clariùs deprehendere videbatur, veritate deſtitutos ad hæc ſeſe recipere conſilia. Tandem Deo ſic diſponente, incidit præter opinionem in vnum è Noſtris, cùm quo deinde crebrò menſibus aliquot egit, donec veritate penitus comperta, ruptis omnibus impedimentis ſeſe Catholicum declarauit: qui magna nunc conſtantia morúmque integritate nobiſcum verſatur, & plures iam exemplo ſuo ac doctrinâ ex hæreſum voragine ad Chriſti ouile perduxit.

VII. IN vicinis Tirnauiæ pagis oppidóq;, Sellienſi adiacenti regione permulti ſunt Catholici, qui nullum habent, à quo vel edoceri, vel Sacramenta percipere poſſint. Noſter igitur aliquis ad hæc excurrit loca, cum operæ pretio reuerſus. Illuſtriſs. Cardinalis Strigonienſis, apud quem Noſtri hac in Miſſione verſantur, in dies maioribus Ordinem noſtrum votis in Vngariam repetit, ſæpiùs & publicè & priuatim confeſſus, modum alium conſeruandæ Religionis Catholicæ in Vngaria non ſupereſſe, quam vt Societas reſtituatur, quæ idoneos è ſcholis ſuis miniſtros Eccleſiæ ſuppeditet.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM GRÆCENSE.

VIII. E Sociis Græcensibus Ioannem Gerardum Bruckmaier Bauarum beatior sibi vita vendicauit, sub eius ferè exordium noctis, quam SS. Trinitati dicata dies excipiebat. Is allatum sibi de obitu nuntium non solùm placidè ac libenter, sed ita etiam auidè, quasi longam perpetuæ felicitatis sitim explere cupiens, arripuit, vt cunctantem opinione medici diutiùs mortem nunc audaciùs increparet; nunc commutata oratione veluti assentabundus inuitaret; demum omnibus modis ac indicijs testatum faceret, non se iam alio cuiusquam rei, quam videndi fruendique Dei amore ac desiderio commoueri. Satis illi non fuit, semel duntaxat tria vota moribundo renouare, nisi ea iterum ac tertiò diuersis temporibus magno animi sensu repeteret. Vixit annos viginti nouem, è quibus decem in Societate posuit, partim ipse discendo, partim alios supremis humaniorum literarum studijs cum eruditionis & diligentiæ laude imbuendo. Multæ in eo naturæ dotes, eæque excellentes inerant, inter quas princeps emicabat singularis concionandi facultas. Hoc igitur excepto reliqui omnes prosperâ vsi fuêre valetudine. Quod etsi quidem ita esset, tamen nequaquam propterea valetudinario nostro vel inani licuit esse vel otioso; quippe toto labente anno ægri hospites, alij post alios, è vicinis Nostrorum domicilijs aduectabantur, ita miserè & grauiter variéque

Digitized by Google

affecti, vt omnium nostrûm animos in commiseratione sui & stuporem conuerterent. Eos porrò omnes (septem erant) Collegium nostrum velut materno gremio & complexu diligenter ac benignè confouit, donec pristinæ valetudini, imò vitæ, iam penè depositos non sine difficili ac diuturno labore restitueret.

IX. Quadraginta quinque hæresin cum vera Religione commutârunt. Ex ijs Lutherani Ministri filius, cuius pater, postquam longo quadraginta annorum spatio ingenti spiritu pro Lutheranorum insanis placitis è cathedrâ depugnâsset, repentè contempto & spreto Luthero ad Caluinũ sese non alia de causa applicuit, quàm vt noui Principis sui Caluinistæ animum transfugio illo suo sibi deuinciret. Hac igitur nimiùm facili parentis sui mobilitate permotus filius hæreticorum dogmata suspecta habere, & constantem ac solidam fidei veritatem curiosiùs indagare cœpit, quam denique apud Nostros diuino iudicio repertam, toto pectore est complexus. Huius quoque loci est fraternum Illustrium virorum par, quorum alter, cùm inde à septennio ad Catholicorum cætum adhæsisset, operam dare non destitit, priusquam fratris animum induceret, vt eandem secum Religionem, instituta apud nos exomologesi, profiteretur. Verum inter alios memorabilis est cuiusdam è præcipuis Styriæ Baronibus ad fidẽ reditus, cui non à generis modò & familiæ, sed à parentis etiã auctoritate & dignitate (is ob eximiam prudentiam rerúmq; vsum vniuersæ caput est Prouinciæ) non exiguus splẽ-

dor

dor accedit. Eius animum iam olim ante ſeptem annos pertentauimus, ſed irrito conatu. Nunc demum cogitante aut exſpectante nemine, eâ, quam ſubijciemus occaſione, in genuinorum Chriſtianorum caſtra ſponte conceſſit. Audierat alicubi Noſtrum pro concione verba facientem, cuius dictione ita ei difficultates omnes expoſitæ ac refutatæ videbantur, vt iam impedimentum ex parte quidem ſua nullum haberet, quo minùs perſpectæ penitus veritati annueret. Dies erat, quo iſtud accidit, B.P. N. IGNATIO ſacer, cuius promerita, precésque plurimùm promouiſſe negotium hoc credebantur. Igitur ſequenti die ad opportunum quendam ſemotis arbitris locum ſeceſſum eſt, vbi totius anteactæ vitæ noxis eidem concionatori noſtro explicatis, diuinam menſam accedit. Interea bonum ipſius factum ad parentem, cetera quidem probũ ac ſapientem hominẽ, verùm à vera fide alienum defertur: quo ille nuntio ad iram accenſus, continuò filium conſpectu ac domo paterna proturbat: fructu omni, quem è liberalitate ipſius percipere antea ſolitus eſſet, deſpoliat: ad extremum ceteris fratribus ac domeſticis ſeuerè edicit, ne quis cum perfido paternæ Religionis deſertore verbum dein vllum faciat. Hanc patris indignationem vt ſedaret filius, literas ad ipſum dedit, quales tùm ipſi cauſæ, tùm irato animo vel maximè conuenire exiſtimabat; quas ille acceptas cùm in fruſta concidiſſet, ita malè multatas ad filium referri iubet, multis inſuper adiectis minis, ſi in ſuſcepto propoſito pertina-

Digitized by Google

citer perſeueraret. Neque verò hæc tantùm parentis ſeueritas, verùm aliorum quoque importunitas nouo Eccleſiæ Tironi ferenda erat. Poſteaquam enim paternarum ædium limine prohibitus erat, locum ſibi apud complures Catholicos Græcij depoſcebat, ratus, quorum ſeſe ſocietati adiunxiſſet, ab ijs ſuſceptum iri. Verùm ſeciùs euenit. Cùm enim illi metuerent, ne ſi filio morem gererent, parenti rem parùm gratam facerent, illum non admittere, quam iſtum offendere maluerunt. Quare vndique ab omnibus deſertum, in publicam domum diuertere oportuit, donec tribus ferè exactis ſeptimanis Archidux de re vniuerſa certior factus, in numerum aulicorum ſuorum adlectum aurea claui decoraret.

PORRÒ hoc exilium ſuum, & tantam parentis in ſe acerbitatem, ac quidquid tandem eſt calamitatis, ita modicè tolerat & æquanimiter, vt alia eum cogitatio nulla perturbet, quàm ne ſimilem parentum ſuorum animaduerſionẽ ſubueriti alij, aut ſerò aut nunquam ad veram Eccleſiam redire audeant. Atque hic quidem ita ſeruatus in ſuſcepta Catholica Religione eſt: ille in vitâ, Sacramentorum potiſſimùm ſubſidio.

X. EGESTATIS enim telo grauiter ſaucius bonus quidam vir; cum cetera ſibi deeſſe videret omnia, ne vitam quidem ipſam diutiùs retinendam exiſtimauit; iámque ad reſtim deſperatis rebus feſtinabat, cùm repentè filia interuentu ſuo parentis vitam ab immerito ſupplicio vindicauit. Vix hoc diſturbatum fuerat, mox aliud perdendi

Digitized by Google

dendi hominis consilium stygius veterator suscepit. Lecto affixum per intempestam noctem pusilli Æthiopis ore & habitu adoritur, & iacēti crumenam pecuniâ onustam, si potestatem sui integram faceret, obtrudit. *Iam pridem*, inquit, *meus es, in lucro reputes oportet, si, quod ante debeas, accepto pretio vendere possis: & verò cogitandum etiam tibi est, præstabilius esse superstitem in vita cuiuscunq; demum auxilio manere, quàm mediâ exhaustum miserrimam ante tempus oppetere mortē.* His argumentis homini misero instabat, quibus tamen cùm se nihil promouere animaduerteret, vrgere cœpit, vt quando ipse dedere se nollet, vnam ex quatuor suis filiam, quamcumq; vellet, possidendam sibi traderet. Cùm verò hîc etiam assentiri se posse parens negaret, abscessit nequam spiritus, oppugnatione intermissa, nondum penitus omissa. Interea Sacerdos noster aduocatur, qui ægrum cereâ Agni Dei imagine donat, atque illud inter cetera monet, supra tota vita exomologesin vt instituat. A confessione adest iterum Cacodæmon, non iam tenebrarum sed angelum lucis mentiens, & decumbentem confestim surgere, suáque præeuntis vestigia subsequi iubens; nempe thesaurum pretiosum certa sub arbore in horto defossum latere, quem ei prodere ac digito demonstrare velit. Verùm iste iam salubrioribus monitis à Patre nostro munitus erat, quàm vt sibi inani pollicitationū fumo imponi permitteret. Itaque necessarium fuit, hoc etiam ex congressu victum Dæmonem abire. Demùm æger collectis è morbo vtcun-

Digitized by Google

que viribus, in templo noſtro emaculatâ priùs conſcientiâ ſacrum Chriſti corpus accipit, atque hac ratione omnem deinde aditum malo hoſpiti præcludit. Femina etiam quædam nouem annis honeſto in coniugio vixerat, quibus exactis maſculam prolem vix tandem edidit. Inuidus ſeræ fœcunditati dæmon, recentibus incunabulis aduolat primùm albus, mox depoſitâ perſonâ atro colore ſpectabilis; & infantem, antequam benè viuere cœpiſſet, occidi truculentus conſultor ſuadet. Abnuebat mater: ille abnuentem è domo educit, eductæque imperat, vt filiolum in profundam ante domum foſſam præcipitem abijciat. Inhorreſcit ad ſæuum tyranni mandatum miſera parens, & nihil morata in domum ſeſe recipit. Sequitur tartarea vmbra fugientem, & iam ingreſſam iterum foras per vim extrahere nititur. At illa altero pede fores, ne aperiri poſſint, brachijs verò filium ſuum amplexa, cum iterum atque iterum exoſculatur, & Chriſto, cuius è cruce pendentis effigiem parieti affixam intuebatur, ardentibus votis commendat & dedicat. Ac viſus eſt oblatum munus acceptaſſe Chriſtus; ita è veſtigio dæmon illo tutore conſtituto euanuit. Mulier præſenti diſcrimine amittendi filioli perfuncta, vt in poſterum etiam ſecurior ac tutior eſſet, mox ad confeſſionem ſeſe contulit, qua peracta duas à Confeſſario ſacras Bullas, alteram pro ſe, pro infantulo alteram accepit, ſicque eſt à Tartareis inſidijs liberata.

XI. Est

Digitized by Google

XI. EST ET ALII Nostrorum consilijs seruata vita. Is à calice & vino disertus, vt fit, contumelias & probra multa in Dominum suum accumulàrat: vnde & domestico carceri mancipatus est: in quo dum detinetur, familiam sollicitam habet notum hominis ingenium, ne videlicet instigante furore, grauius quid in se designaret. Hoc cùm metuerent omnes, repertus est nemo, qui captiuum accedere, & cultro, quem apud se gerebat, exarmare auderet. Vocatus Noster, cùm audenter precibus in primis extorquere etiam non posset, vi tandem ademit. Tum ille oborto sibi diuinitus lumine in amplexus Patris corruens, Angelum eum vitæque suæ assertorem proclamat; certum enim sibi & definitum fuisse, sicam illam imminente nocte in viscera sua adigere; quare rogare se, vt insequenti die Confessionis audiendæ gratia ad se rediret. Huic iam cœlestis etiam vindictæ exemplum aliquod attexere libet, quod Ecclesiasticarum legum contemptoribus cautioni esse possit. Quidam vt liberalitatem suam amicis probaret, esuriali die mensam è vetitis cibis aliena in domo apparabat. Id cum ipsius vxori suboluisset, monendum eum censuit, vt ne benignior in amicos esset, quàm vel diei religio, vel Ecclesiasticæ legis auctoritas & sanctitas pateretur. Mouit hæc admonitio, blanda quamuis, marito stomachũ, vt non verbis tantùm, sed plagis etiam castigãdam indicaret. Itaq; iam dexteram ad verbera exeruerat, cùm eam repente Deus in sublimi, ne retrahi pos-

Digitized by Google

hi posset, stupore & rigore adstrinxit, atque hominem ipsum ad terram ita afflixit, vt facilè appareret, cuius ibi Deus innocentiam tuendam, cuius vicissim intemperantiam castigandam suscepisset. Hoc igitur tam serium monitionis genus expertus, vt sese receperat, Confessionem, quod proximum & consultissimum putabat, adijt; firmiter apud animum suum decernens, nunquam in posterum sanctissimis aut Ecclesiæ præceptis, aut similibus vxoris monitis peruicaciter obluctari.

XII. VERVM iam Academicæ iuuētutis par est etiam meminisse: primùm eorum, qui in Seminario Ferdinandæo aluntur. Crescit adeò horum adolescentum multitudo & annona, vt cētum iam percommodè sustententur. Enimverò non ita pridē locata sunt in perpetuo eiusdem Seminarij censu nouem Rhenensium aureorum millia, quæ à varijs, iisque munificentissimis Mecœnatibus collegimus. Ex ijs sexcentos, facta symbolá, complures contulêre; mille Reuerendiss. D. Martinus Episcopus Secouiensis donauit; mille D. Matthæus Scholasticus, Parochus Græcensis, attribuit; mille & quadringentos Reuerend. Matthias Khüllhoffer Parochus Harspergensis adiecit; bis mille Illustriss. Dña ab Hollnegg est elargita; denique ter mille plena illa operibus bonis & eleemosynis altera Tabitha Sereniſſima Maria, solo nomine & virtutibus suis absque alijs titulis cognita, ex hac vita in meliorem decedens legauit. Reliquæ iuuentutis virtus ac doctrina ea fuit, vt spectari etiam publi-

Digitized by Google

publicè in theatro potuerit coram Illustriss. etiam Principe ac Pontifice Bambergensi Ioanne Godefrido, cui S. Henricum Bambergensis Episcopatûs conditorem scenicè non sine gratiâ repræsentârunt. Tria verò à tribus adolescentibus castimoniæ edita exempla hîc reticenda non sunt. Primus is esto, qui ab impuro homine, nescio quibus lenocinijs, ad flagitium inuitatus graue, hoc & sanctum responsum reddidit: *non videri sibi vnquam committenda, quæ ex disciplina Nostrorum fœda & enormia crimina esse didicisset.* Quo quidem responso detestabilem sollicitatorem à se remouit: qui paucis tamen interpositis diebus ad persuadendum scelus redijt: nimirum, nullam hîc peccati suspicionem, nullum Dei offendendi metum esse oportere, fallendi tantùm temporis genus quoddam esse, quod postularet. Tum iuuenis vehementiùs iam commotus; *At tu*, inquit, *super tam nefario negotio me interpellare cessabis: cessabis imò, aut ego profectò efficiam, vt omnes intelligant, quatum flagitium sub honesto nomine occultes.* Quo ille responso pudefactus virtutem adolescentis cæpit mirari, desijt persequi. Alteri cuidam puerulo iam penè vis fieri cœpta erat, nisi integritatem suam incussis minis tempestiuè ab inuasore vindicâsset; nimirum, se nisi abstineat, familiæ opem clamore imploraturũ, & iam quidè eâ ætatulâ esse, vt vires sibi ad propugnandam castimoniam suam non sufficiant, verùm si quando grandiori esse liceat, tum denique daturum operam, vt tam insignem iniuriam insigniter vlciscatur. His dictis insidiator designatum

Digitized by Google

gnatum mente facinus perpetrare veritus, honestioribus blandimentis iustam pueri iram demulcere est aggressus. Tertius item socium suum ad flagitium instigabat: ille ei contra, vt salutis potiùs suæ rationem susciperet, confessionémque institueret, suggerebat. Certatum est inter vtrumque diu ac sæpe, donec repetita aliquoties monomachia, virtute vitium & salubribus monitis impura consilia vincerentur. De trium feminarum similibus triumphis dicere supersedeo, quæ vel impactis colaphis, vel clamoribus elatis, vel strictis mucronibus incursantem in se lasciuientium audaciam viriliter, omninò repressérunt.

MISSIONES TRES, ENSTHALLENSIS, MERZTHALLENSIS, ET SECOVIENSIS.

XIII. DVO NOSTRATIVM potestate litterísq; ab Episcopo Secouiensi acceptis has Missiones obiére: primóque omnium in illam Superioris Styriæ partem penetrârunt, quæ ab interlabente flumine vallis Onasi patria consuetudine vocatur, duodecim milliariorum Germanicorum itinere: cui quidem itineri à Calendis Decembribus ad decimum quintum Calendas Februarias sunt immorati. Eò tendentibus Gõssense monasterium occurrerat, de quo in sequentibus copiosior narratio. Deinde aliam item benè patentem vallem, à flumine Martio appellatam, ineunte Quadragesima ingressi, multam eius

Digitized by Google

eius partem octo hebdomadarum spatio peragraurè re_. Tertiò demùm paucis ante Pentecosten diebus ab ipso Episcopo Secouiensi ad opus educti fuerunt, vt scilicet illi tribus in ciuitatibus Sacramentum_ Confirmationis administranti hominum animos concionibus, alijsque idoneis subsidijs præpararent_; quo opere ac officio expleto, reliquum è quatuor Missionis huius hebdomadis, circa Secouiensia mænia fructuosè in orbem expenderunt_. Ita autem quocunque deuenerant, plerósque siue commendatio Episcopi, siue sperata rei ipsius vtilitas excitauit, vt ad Nostros veluti Apostolos quosdam (nam & hunc illis titulum interdum impertiebant) certatim conuolarent, eos Parochi ad Ecclesias suas humaniter inuitarent, populum de propinquantium aduentu præmonerent_: Iubilæum, quod pro Missionum nostrarum more adferebant, nomine ipsorum è superiori loco & proponerent simul, & exponerent. Atque hunc postea feruorem secundi laborum successus magis accenderunt_; vt præcipuus quispiam è Parochorum numero repertus fuerit, cui spectato & æstimato fructu animus esset vniuersam cum Nostris Styriam peragrare, neque solùm operam suam in procuranda animarum salute eis locare, verùm etiam itineris sumptus prolixè & copiosè suppeditare_. Alius quidam item Parochus, cui nonnulla à suis furto ablata suspicio erat, Nostros admonuit, vt si fortè in aliquem incidirent, qui sibi vel centum aureos surripuisset, eum ad restitutionem præ-

stan-

ſtandam (modò ceteras veri pœnitentis partes expleret) penitus non obligarent; ſe hanc pecuniæ vim laboribus noſtris, & tanto, quem cerneret, animarum lucro ſponte ac libenter condonaturum. Quin ipſe Reuerendiſſimus Secouienſis Præpoſitus, vir eà non ſolùm auctoritate, verùm etiam ætate, nimirum ſeptuaginta annos iam natus, non dubitauit cum Noſtris pedes identidem aliquò excurrere, vt conatus eorum cùm aliâ quàcunque poſſet ope, tùm ipſa præſentia ſua promoueret. Vndecim Hæretici in viam reducti: Catholicorum is paſſim erat ſuæ vel ſalutis ardor, vel noſtri amor, vt multis etiam milliaribus ad abſentes cõcurrerent: fuitque neceſſe alicubi hominem quendam pro foribus templi collocare, qui irruentis multitudinis compreſſionem, quantùm poſſet, auerteret; quibus ſæpe fieri ſatis non potuiſſet, niſi cum alijs quoque Sacerdotibus laborem ſuum Noſtri fuiſſent partiti. Erudito homini perſuaſum, vt inanem illam & infamem Mathematicæ partem negligeret, ex quà hominum fata deducebat; quam adeò quidem deteſtatus à confeſſione eſt, vt paulò pòſt ab illuſtribus hominibus multùm diúque rogatus natiuitatem cuiuſquam conſtituere, prorſus abſtineret. Alius quidam neſcio cuius aniculę veneficis incantationibus in rabiẽ actus, per ſacram exomologeſin & appenſam cœleſtis agni effigiem furore ſolutus, doloribúſque omnibus, quibus acerbiſſimis pungebatur, liberatus eſt. Quidam ſacrilegè annis pluribus cõfeſſus varias ad loca ſacra peregrinationes inſtitue-

Digitized by Google

stituebat, stimulos conscientiæ eâ ratione obtũdere, & peccatorum veniam consequi conatus. Ergo ad templum quoddam B. Virgini sacrum venit, in quo dum longa precatione propitiam sibi Dei Matrem facere studet, repentè admirabilem vocem solus in conferta hominum multitudine audit, suo nomine sese compellantem, ac delicta, quibus obstrictus teneretur, per confessionem expiare imperantem. Qua voce perculsus ad genua Sacerdotis accidit: sed vt antea semper, ita & tunc noxio pudore suffusus Confessionem mutilat. Nondum mordaces conscientiæ curæ resederant: neque id mirum præsertim aucto sacrilegij crimine: quamobrem aliud rursus B. Virginis templum adit, vbi in preces atque lachrymas fusus, & similem diuinitus admonitionem accipit, & nouum iterum eiusdem generis scelus ad cumulum priorum adijcit. Sed neque ille peccandi modum, neque benignus DEVS monendi finem faciebat: paulò enim pòst filiolus eius necdum sexennis in summam ægritudinem prolabitur; in quâ, obuersis in præsentem parentem oculis, peccata ei, quorum ipse solus conscius esset, ex ordine sigillatim exprobrat, confessionem suadet, aliisque eòdem spectantibus mandatis, diuinâ quâdam supra filij conditionem auctoritate, impositis, vitam penè inter loquendum abrumpit. Hac demùm admonitione tam singulari victus pater, longo itinere ad Nostros peruenit, tantóque cum feruore & eiulatu generalem de tota vita cõfessionem instituit, vt cœptã non nisi ægrè persequi posset,

Digitized by Google

ac confessarium etiam ipsum vehementer commoueret, cui summoperè laborândum erat, ne penitus odio anteactæ vitæ inflammatus durius quam par, aut periculosius in se animaduerteret.

XIV. NON RARÒ etiam cum Parochis ipsis, eorúmq; collegis de optimo audiendarum confessionum modo actum: quibus & exempti errores non pauci: inter cæteros grauissimus ille, dum ne mœstus à se & turbatos homines dimitterent, eos ab omnibus censuris Pontifici aut Episcopo reseruatis absoluere non dubitabant: illis videlicet absolutionis verbis malè & imperitè innixi; *In quantum possum & indiges:* quorum verborum vi satis se tutos ab illegitima superioris potestatis vsurpatione putabant. Concioni, quam Noster aliquando de Iubilæo habebat, venerandus canitie senex adesse fortè non poterat, cui proinde alij, quæ audiuissent ac didicissent, compendio recitabant. Ille noui & ad id vsque tempus incogniti sibi thesauri cupiditate incensus, confestim ex agro festinatione & desiderio anhelus ad Parochum accurrit, eúmque de Nostris percunctatur. Parochus ad sollicitam senis interrogationem subridens vicissim ex eo, eccur tantoperè de Iesuitis cognoscere cupiat, scisciatur; *quia*, inquit senex, *vt vides Domine Paroche, morti vicinus sum. Intelligo autem Patres illos diuinum quoddam priuilegium passim omnibus impertiri, quod eos statim, si mori accidat, recto ad cælum itinere, & sine vllo diuerticulo euehere possit.* Ergo datis Sacerdoti in

Confes-

Confessione totius vitæ rationibus, magno cùm sensu ad Eucharistiam accessit, quo simili quoque priuilegio frueretur. Cùm autem tanta omnes indulgentiarum obtinendarum auiditate flagrarent, adeóque à sacro abesse epulo nemo vellet, factum est, vt eius dispensationem per aliquot dies pomeridianis etiam horis (maximè in Missione prima) continuari oporteret: præsertim ne nimiâ molestiâ afficerentur ij qui & procul veniebant, & opportunitatem confitendi ac communicandi vno alterové die in tanta multitudine ieiuni exspectabant.

Quod enim ad præcipuam illorum hominum commendationem spectat, multi vt se magis idoneos Eucharistiæ sumendæ facerent, vltrò sibi abstinentiam pridie imperabant: vnde contingebat, vt quoniam toto biduo aditum sibi ad confessionem expugnare aliqui non poterant, omne illud duorum dierum tempus, neque cibo vllo, neque potione delibatâ transigerent. Ex his adolescentulus fuit rusticus necdum vndecim vitæ annos emensus, supra ætatem suam ac conditionem prudens & pius, qui absolutâ confessione in Sacerdotis collum improuiso inuaserat, gratias agens pro salubribus monitis, simúlque dexterâ teste promittens, se eorum quæ audiuisset, quo ad viueret, memoriam conseruaturum: hic, inquam, puer neque iunctas manus disiungere, neque in sublime elatas submittere, neque vllum rogandi Patris finem facere voluit, donec sacram Eucharistiam se-

Digitized by Google

rò sub ipsum vesperum sumendi potestatem impetrâsset; iam enim biduum nihil omninò degustans ad cœlestem mensam aspirauerat, atq; eadem nocte domum procul reuerti cogebatur: ergo refectus diuino pane est tanto sensu, vt pietas eius inter omnes emineret, & à circumstantibus non sine admiratione notaretur. Mulier quædam cùm vehementiùs cuperet in recitando B. Virginis Rosario instituì, incessit Nostrum cupido ex ea cognoscendi, quare id tam ardèter efflagitaret; respondit illa, ædes sibi & præter has supellectilem vix mille aureorum pretio parabilem igne nuper absumptã esse, propter cuius iacturam eò se desperationis vi adactam, vt pernicioſissima cõsilia apud se ipsam agitaret; quibus in cogitationibus versanti Virginem Matrem adfuisse, & mœrorem ex animo omnem deterſisse: hanc se videlicet causam habere, cur Rosarij recitandi modum discere percupiat, vt eius frequentiori vsu gratias seruatrici suæ qualescunque persoluat. Hæc de Missionibus istis vniuersim ferè: superſunt ista particulatim.

XV. INVITATI sunt Nostri ad arcem quandam, in quâ plures quàm triginta homines confitentes audiuerunt, ipsúmque Dominum arcis de tota vita. Duos præterea, quos supra vndenario illo numero comprehendimus, ab hæresi ad Catholicam fidem è familiâ abduxerunt. Alter eorum ita primum obfirmato & pertinaci fuit animo, vt iam de amouendo illo Dominus vehementer cogitaret. Interea alij emaculandæ conscientiæ operam dabant, quorum à Confessio-

Digitized by Google

fessione redeuntium compositos vultus, orandi ardorem, in agendis rebus moderationem contumax & obstinatus ille cùm vidisset, & admiratus fuisset, cœpit ex hoc præsenti fructu de Fidei Nostræ soliditate ac eminentia iudicium facere. Quod ex certis argumentis suspicatus Noster, denuò hominem adoritur non iam perfractè, sed ita molliter repugnatem, quasi qui vincere nollet. Itaque de necessarijs atque eximijs Catholicæ Religionis capitibus instructus, ipso S. Thomæ die, cuius nomen gerebat, abiurata hæresi in Ecclesiæ gremium Domino & domesticis gratulantibus se recepit.

XVI. Ventvm est Quadragesimæ tempore in Bruckensem, præcipuam inter alias Styriæ, ciuitatem: in quâ primariorum virorum rogatu commorati sunt, donec consul ipse, & senatores omnes cum familijs suis reliquúmq; vulgus confessione vitam expiarent. Quò vero plures pœnitentiæ causâ ad nos confluerent, effectum est, vt Curio singulari voluntate Adiutores suos audiendarum Confessionum potestate, quantumuis reclamantibus Nostris, priuatos interim esse voluerit. Non procul inde alius Parochus cuidam, licet vehementer obsecranti, vt sese audiret, morem tamen gerere recusauit, vt Nostrum accederet persuadens. Accessit ille toto corpore tremebũdus (tantam videlicet de Iesuiticâ seueritate imbiberat opinionem) sed cùm benevolentissimè præter existimationem esset habitus, lætus ac hilaris abscessit, & apud Parochum suum Nostri humanitatem deprædicauit.

Digitized by Google

XVII. IN COLLEGIO quoque Regularium Canonicorum Cathedralis Ecclesiæ Secouiensis nonnihil laboris impensum est. Præpositus enim, cuius supra mentionem fecimus, nihil prius habuit, quàm vt sui Canonici conscientiam Nostris aperirent, & Iubilæi participes fierent. Quare conuocatis omnibus, non solùm domesticis, verùm ijs etiam, qui animarũ curam per Parochias distributi agebant, grauem ad eos orationem habuit. Ij etsi principio Nostros tanquam acerbum & austerum hominum genus refugerent, tamen postquam vnus & alter facilitatem eorum ac humanitatẽ delibârat, certatim omnes atq; ijdem sæpius accurrerunt. Inter alios exacta ætate senex, qui etsi inuitus, & haud mediocriter trepidans, tamen sese, ne alioquin apud Præpositum sub offenderet, ad genua Nostri prouoluit. Hunc ille cùm ea lenitate, qua debuerat, tractâsset, ita sui ac Societatis obseruantem & amantem dimisit, vt cùm postridie verba ad populum è suggestu faceret, bonam orationis partem amplificandis Nostrorum laudibus consumpserit; se videlicet heri primùm Societatis homini peccata confessum esse, alios longè Nostros & multò opinione sua integriores deprehẽdisse; proinde hortari omnes & suadere, vt eos confessionis gratiâ exemplo suo cõueniant, ita nempe difficultatibus suis solatium ac medelam reperturos. Nec irrita fuêre verba. Nam cùm Nostri paulò pòst ad vicinam Episcopi Secouiensis arcem venissent, affinem eius cum totâ familiâ confitentem audituri, tantus pœni-

pœnitentium cœpit esse concursus, vt vel profano die septem horis à sacro tribunali nunquam discedere licuerit.

XVIII. SED AD Gôssense Monasterium veniamus. Et hoc sacrarum Virginum Benedictinæ familiæ, ante sexcentos annos exædificatum; ad quod vt Nostri accederent, incredibili tùm Reuerendissimi Episcopi, tùm ipsarum Virginum cõtentione & precibus sunt adducti. Hîc primò omnium decũbentis Antistitæ confessio acceleranda fuit, quòd morbus in singula pene momenta incremẽtum caperet, & ipsa de morte sua diuinitus iam foret prænmonita. Obseruatum est enim aliquot seculis, quoties huius loci Antistitæ de statione vitæ migrandum sit, toties maiorem templi campanam duabus tribúsve hebdomadis ante, nemine impellente aut trahente, prolixum sonum edere; id quod etiam quatuordecim diebus ante huius obitum contigit: nam duabus minimùm horis ante mediam noctem sine cuiusquam mortalium operâ, vt postea certissimis argumentis cognitum est, ita clarè dimidiæ horæ spatio dictum æs campanum per se insonuit, vt Sanctimoniales omnes ratæ matutinarum precum tempus adesse, strata desererent, atque in templum solito more conuenirent. Aliud etiam ibi certum compertúmque habetur, nullam Antistitam, siquidem moritura sit, vltra triduum totum ægram decumbere. Quare hæc etiam ipsa sub mediam tertiæ diei mortem, pridie Cal. Ianuarias, vitam cum anno sanctè & religiosè

Digitized by Google

concluſit. Poſt eius mortem collata eſt in reliquas Virgines viginti & vnam induſtria, auditæ de tota vita confeſſiones omnium, vnà cum ſeptem nobilium, quæ inter eas ad Religioſum ſtatum ſuſcipiendum informabantur. Fuerunt nonnullæ, quæ dicerent, ſe, quamdiu in Monaſterio vixiſſent (vixerunt autem ſupra triginta & quadraginta annos) ſemper Deo ſupplices manus tetendiſſe, vti ſibi vel ſemel ante mortem alicui ex Societate confiteri liceret; quod tantò libentiùs deinde præſtitêre, quantò ardentioribus votis antea exoptârunt.

MISSIO ALSOLINDVENSIS.

XIX. IN HAC trecenti hoc anno Caluino Lutherani ad Catholicos ſeceſſerunt; de pluribus ſperandum erat, ſi ambobus Noſtris, qui ibi vineam Domini procurant, ſanis ſemper ac valentibus eſſe licuiſſet. Saga quædam veneficio nobilis, quæ in conuentu ſociarum ita malè accepta erat, vt iam iam moritura putaretur, beneficio confeſſionis, quam illi Noſter æternis inferorum cruciatibus intentatis ægrè ac vix tandem perſuaſit, priſtinæ ſanitati videtur reſtituta. Eius pœnitentia bonis omnibus, qui eam noſſent, iucundam mouit admirationem. Potu luſtralis aquæ alterius filius, alterius vxor, ab ipſo mortis quaſi veſtibulo ad vitam redierunt, valetudinem receperunt. Idem pharmacum plurimis alijs ſaluti fuit vario morborum genere affectis, qui ſæpe ſo-

Digitized by Google

pe solennibus diebus pro foribus templi expositi Sacerdotem Nostrum, donec ab æde sacrâ officio suo perfunctus prodiret, expectare solebant, vt ab eo aquam lustralem, & ceream Agni Dei effigiem, præsentanea malis omnibus remedia, obtinerent. Inter alios, quibus hæc tam facilis curatio prosperè successit, speciatim infantulus fuit, cuiusdam militum Præfecti filiolus, cuius recenti sanitate exhilaratus pater Turcicum velum eximiâ elegantiâ templo consecrauit. Verùm illam tamen firmitatem non diu tenuit infantulus; amisso enim per negligentiam nutricis Agno, in priorem relapsus est inualetudinem, ex quâ sese priùs colligere non potuit, quàm ei mater alium impetratum à Nostro attulisset. Eiusdem cereæ imaginis è collo appensione femina & iuuenculus quidam nocturna sagarum infestatione liberati sunt, quâ ita acerbè excarnificati fuerant, vt illa quidem viribus penitus deficere videretur, hic verò præ imbecillitate corpusculi vix ad Nostrum deferri posset. Duæ item feminæ ab incubi impugnatione exorcismorum vi liberatæ erant: sed cùm Agnum Dei per incuriam amisissent, cœperunt malo genio iterum obnoxiæ esse, ita vt alteram noctu à latere mariti abreptam, diris modis penè exanimatam vix denique deseruerit. Vt igitur immunitatem ab immani carnificina recuperarent, profusis lachrymis aliud, quale diximus, sacrum apotropæum à Nostro petitum impetrarunt; quo iteratò potestati Sathanæ sunt ereptæ. Aliàs diuina exorcismorum vis in pluribus est declarata.

Digitized by Google

Vt in illo, qui cum Linduam funibus constrictus à parente & fratribus aduectus esset, ad lectum decumbentis grauiter patris libertatem est consecutus. Item in femina quapiam, quæ mente veluti capta hàc illàc incerto animo oberrabat: sed ijsdem sacris ritibus sibi & marito, à quo euagata & pene perdita fuerat, est restituta. His duæ aliæ mulieres cum fratribus duobus accedant, qui omnes tolerandæ mali spiritus vexationi impares violentas manus adferre sibi cogitabant.

XX. NEQVE ADVLTIS solùm & matura ætate hominibus, verùm infantibus etiam vsitati Ecclesiæ exorcismi opitulati sunt. E quorum numero tres illi fuerunt, quibus parentum nimia indulgentia exitio fuit: item octennis puella, quam inter ludendum obsessam miserabili neruorum tortura stygius carnifex affligebat: denique puerulus quinquennis, quem turbo instar currentis rotæ in gyrum agere solebat, exiguo illo pro ætatula rationis vsu, & loquelâ destitutum. Vix illum tres feminæ totidémque viri, dum ante summum altare positus exorcismos audiret, continere potuerant: mira & ingenti supra vires contentione vociferabatur, sacram candelam certissimo sputi ictu procul attingebat & extinguebat suas & tenentium manus dentibus dilaniaturus, si nemo obstitisset. Verum tandem DEO benè iuuante fugatus est improbus spiritus absq; vllo humani corpusculi incommodo.

XXI. PORRO non Catholici solùm, sed hæretici

Digitized by Google

retici etiam suos tum ægros tum energumenos Linduam adducere consueuerunt; quòd videlicet, si Ministros suos auxilij gratiâ adeant, nihil ab eis aliud, quam verberum minas referant, & maledictorum plaustra. Itaque iam passim agnoscunt & fatentur, nihil omninò potestatis vel ad ægros sanandos vel ad Energumenos liberandos Declamatoribus & rabulis suis inesse. Quin imo ipsi iam Turcæ, vt anno quoque priori significauimus, opis & liberationis causâ Linduam confugiunt. Duobus enim quibusdam fratribus Christianorum diuinæ cæremoniæ salutares extiterunt. Alteri illorum quinque annorum spatio tartarea larua frequenter se visendam ad incutiendum horrorem offerebat.

Quendam etiam Turcam domestici lemures ab ineunte ætate ad trigesimum vsque annum vexare, & crebrò in terram prosternere solebant. Hic opem, quam pecuniâ pretióque, apud famosam sagam obtinere non potuit, quod se in perniciem suam Dæmoni aduersari velle negaret, gratis apud Nostros reperit. Mulierem Turcicam lustralis aquæ & Agni Dei virtute fugatus Cacodæmon possidere destitit. Hęc igitur Exorcismorum nostrorum & sacræ aquæ atque cerei agni virtus passim iam in Turcia glisscente fama percrebruit, atque ad ipsius etiam Turcici Imperatoris aures penetrauit, vt nonnulli partem Canisienses, partim è remotioribus Turciæ regionibus belli duces Linduæ iuramẽto interposito aliquoties confirmarunt. Hi ipsi templũ nostrum inuisere voluerunt, in quo mũditiem

ditiem præcipuè sibi placere declararunt. Atque hæc Deus optimus tùm ad hæreticorum & Turcarum impietatem refutandam, tùm ad Catholicorum fiduciam stabiliendam his in partibus operari dignatur.

COLLEGIVM GLACENSE ET MISSIO NISSENSIS.

XXII. HOC ANNO cùm intellexissent Glacenses impetum ab insaniente plebe Pragensi in innocuos Dei seruos factum, multósque crudeliter trucidatos, quà primatis quà publicis conuentibus eandem nobis fortunam ardentissimè precabantur. Redierat Pater quidam Nissâ ex aula Sereniſſimi Caroli, tecto propter infirmitatem curru. Aduertunt qui id temporis Glacij conuenerant Nobiles; magnam vim puluerum Iesuitas in Collegium aduexisse clamitant. Addunt, adseruari in Collegio tormenta maiora bellica, magnúmque sclopetorum, vt vocant, numerum, virósque militares, qui ciuitatem hostibus (qui nulli aderant) essent tradituri. Augescit hic rumor: ad portas & publica ciuitatis loca concurritur. Currus è Collegio in suburbanum prædium descensurus in porta detinetur, inspicitur; examinatur auriga, quantum puluerís aduexerit. Ille, cùm de puluere nihil se scire affirmásset, & quod res erat, confessus esset, post longam tandem concertationem verborum libere egredi permittitur. Interim vesana plebs incerto rumore euocata in forum ciuitatis confluit, cædem Iesuitis atque adeò excidium minatur; intulisséque, ni Senatus & primariorum ciuitatis auctoritate coërcita fuisset. Explosêre tamen

tamen in Collegium aliquoties aliqui nobiles, seditiosum suum, Io, singulis explosionibus acclamantes: ex arce ipsa, qui ad custodiam conscripti erant milites, saxis & lapidibus sæpiùs defulminárunt in Nostros ex Collegij parte laborantes: sibilis ac sannis per vrbem passim excipiebamur. Verùm non eádem audaciâ fuerunt aduersarij, cùm Sereniss. Carolus Episcopus Wratislauiensis Pragâ reuersus solemnem in corporis Christi die supplicationem vna nobiscum in templo nostro peregit. Erat enim seriò mandatum tùm Præfectis Regijs tùm primoribus ciuitatis, attenderent accuratè caueréntq;, ne quid Catholicis molestiæ ciuitatem pro more obeuntibus exhiberetur. Finita supplicatione Sereniss. imus in Collegio cum præcipuis suæ aulæ proceribus pransus, singularem se Collegij protectorem fore vltrò est pollicitus.

XXIII. INTERIM discipulorum numero pro loci angustia & ingenijs operæ nihil vel ipsis illis in tumultibus est detractum. Quidam è secunda Grammaticę classe adolescens cùm vacationum tempore parentes inuiseret hæreticos, egregium sanè profectûs sui specimen præbuit. Vocati ad cœnam nobiles, varijs concertationibus iuuenem sunt aggressi, quibus tam strenuè sese opposuit ille, vt stuperent conuiuæ. Secundùm cœnam inuitatur ad choreas; respondet, se Glacij apud Patres Societatis choreis ductandis nec studuisse, nec assuesse. Acceptam pòst à puella corollam, quòd chorearum ducendarum causa datam intellexisset, indignabundus discerpsit.

Digitized by Google

pſit. Iratus parens minatur verbera. Tum ille: *Verberare potes, occidere potes, choreas vt ducam, cogere non potes:* quo reſponſo mirè commouit parentem. Adoleſcens, qui huc aliunde venerat, grauiſſimè ex vitro dentibus comminuto (quod in gratiam alterius ſe glutiuiſſe ferebat) decumbens, licet continuis diebus aliquot periculoſo è naribus ſanguinis fluxu laboraret, confeſſionem tamen diſtulit, imò reiecit. Inualeſcit morbus, & præſens vitæ periculum imminere videtur. Aduocatus itaque Noſter animum hominis vix tandem emollijt: confeſſus ille, & cœleſti pane refectus, oleo etiam ſacro perunctus inſequenti luce ſtupentibus qui aderant conualuit, tertio in patriam die incolumis reuerſus.

XXIV. EXCEPTÆ, quæ totius vitæ crimina repetebant, exomologeſes octo ſupra viginti: abſoluti ab hæreſi duodeviginti circiter, plures vtique futuræ, niſi metus hæretici Magiſtratûs obſtitiſſet. Erat qui centum & trium annorum putabatur, à viginti annis non confeſſus: is tandem cum lachrymis criminum ſuorum ſarcinam potuit.

XXV. IN PAROECIIS noſtris, quarum duæ ad hoc Collegium ſpectant, alijſq; locis exteris curata res Catholica aliquoties eſt: in vtraque illa, ad feſtos Naſcentis & Reſurgentis CHRISTI dies confeſſione ſacra expiatæ ſunt animi ampliùs quingentæ. Niſſæ in aula Sereniſsimi Archiducis & Epiſcopi Wratiſlauienſis tres è Noſtris commorati ſunt: conciones aliáq; diuina officia ſolito more celebrata. Denorârant quidem

Digitized by Google

dem iam spe Hæretici templum quoddam suburbanũ B. Virginis penè desertum: quam spem vtillis Sereniſſimus eriperet, sacratiores B. Virginis dies festo ibidem apparatu celebrari curauit, & suo exemplo reliquos cõmunicantes anteceſſit. Numerus itaq; Catholicorum non mediocriter auxit, quem tamen nos inire non potuimus, cùm magna pars, ob paucitatẽ Noſtrorum & alias ob cauſas, Confeſſarijs ſibi familiariùs notis conſcientias ſuas concredat. Inter alios, quibus veritatis lux mirabiliter affulſit, fuit etiam ciuis Niſſenſis, qui cum tempore officij diuini illud ſuum, in quâ nocte Dominus tradebatur, *Bibite ex eo omnes*, ſecum demurmuraret, indéque alterius tantum ſpeciei vſum valdè improbaret, vidit Sacerdotem ſacris operantem, vnà cum hoſtia puerulum eleuantem, ſimúlque vocem audiuit, ne dubius porrò hæreret, ſed crederet ſub alterâ tantùm panis ſpecie totum Chriſtum contineri. Dedit ille oraculo fidem, & non ſine moleſtia & inuidia ſuorũ panis ſpecie contentus Chriſtum ſumpſit. Alius prædicantis filius à Noſtris in graui morbo inuiſus, atque ad curam ſalutis ſuſcipiendam excitatus, poſt alteram etiam exomologeſim eadem die, quo ſacro pane refectus eſt, obijt.

COLLEGIVM PRAGENSE.

XXVI. QVAMVIS non defuturos ſperemus viros probos ac diſertos, qui cauſas & euentus Pragen-

Digitized by Google

Pragenſis tumultûs hoc anno conflati ſumma fide diligentiáque ad poſteritatis memoriam ſint conſcripturi, veritatémque contra tot falſos & inter ſe pugnantes vulgi rumores vindicaturi, vt qui negotia illa coràm ipſi tractárunt, & perſpexerunt: nobis tamen nihilo minùs hîc propoſitum eſt, ea ſaltem attingere, quę palàm & in omnium oculis acta, cum Noſtris rebus ſunt coniuncta; quando nec defuit ſcriptor, qui vel ſuum à ſe confictum, vel alienum eá de re commentum præproperè creditum typis euulgare non dubitauit, his verbis: *Hæc dum ibi fiunt, vulgus in nouo oppido irritatis admodum animis in quatuor Monaſteria irruens, Monachos veſtitu omni nudatos miſeris modis afflixerunt, & trucidárunt, ianuas feneſtráſq; ac ſtatuas perfregerunt: ornatúmque eorum omnem direptum per plateas publicè ſpectándum protulerunt. Cum verò & in Ieſubitarum Collegium, inq; Iudæorum oppidum ſeſe conuertiſſet impetus: Ieſuitæ quidem, vt eum declinarent, miſſis ad Ordines clauibus, eorum ſe Collegiúmque ſuum patrocinio commiſerunt. Cùm igitur, præter haſtas & arma alia, bombardæ ſclopetæ ſexcenta plùs minùs cum inſigni pulueris tormentárij globorumq; copia in Collegio iſto inuenta eſſent; ſclopetarij multi in illud tanquam in locum probè admodùm munitum inducti ſunt: Ieſuitæ verò inde egreſſi in fautorum ſuorum ædes ſeſe inſinuárunt.* Hæc Mercurius Gallobelgicus; qui ſi talaria priùs pedibus ad rei veritatem exploratiùs indagandam, quàm auribus ac ſtylo ad quiduis temerariè credendum ac diſſipandum accingeret, næ ille famæ ſuæ meliùs conſu-

Digitized by Google

consuleret, chartásque suas haud paulò vendibiliores durabilioréque efficeret. Nam huic, tam breui licet, de Iesuitis narratiunculæ cùm plura insunt mendacia, tùm illud sanè luculentũ, quòd de tanta armorum copia in eorum Collegio inuenta asseuerat. Cui refellendo libet hîc ab initio apponere authẽticum testimonium ipsorummet supremorum per eos dies Magistratuum Bohemicorum Ordinum, totidem ex vulgari idiomate verbis latinis redditum.

NOS HENRICVS MATTHÆVS COMES ET LIBER BARO à Thurn, Dominus in Melsch, Oschdorff, hæreditarius prouincialis curiæ Præfectus in Carniolâ, hæreditarius Mareschalcus, Ducalis comitatus Gâm, necnon S. Regiæ Maiestatis in Vngariâ & Bohemiâ &c. Consiliarius, ac Burgrauius Karlsteinẽsis, designatus Generalis locum tenens exercituum Regni Boëmiæ. LEONARDVS COLONA liber Baro à Fels, Dñus in Engelberg, supranominatæ Regiæ Maiestatis Consiliarius, & Regni Bohemiæ supremus Campimarschalcus. IOANNES iunior de BVBNA supremus vigiliarum Præfectus, & GVILIELMVS ZIAKAWETZ à Ziakaw supremus Castrametator in supradicto Bohemiæ Regno.

DEFERIMVS vniuersis & singulis, cuiuscunq; status & dignitatis fuerint, in quorum manus hæ nostræ patentes litteræ venerint, aut eis exhibitæ fuerint, nostra obsequia, amicas propensásque voluntates ac salutem.

QVANDOQVIDEM non solùm ante, sed etiam post noxiam, & Regno Boëmiæ summopere ca-

Digitized by Google

lamitosam irruptionem Passauiensis exercitus in celeberrimam Metropolim Pragensem, famosum quoddam commentum non solùm in vulgo percrebuit, sed per maleuolos etiam quosdam scripto euulgato contra Reuerendos Patres Societatis IESV typis aliquoties dissipatum est, quasi ijdem Patres Pragenses in suo Collegio admodùm copiosum bellici instrumenti apparatum, atque etiam non exiguum militum numerum (in ciuitatis & communis Patriæ perniciem) collegissent, atque adeò in promptu haberent: ea nobis causa extitit, prædicti Collegij visitandi ac veritatem (pro auertendo publico detrimento) accuratè ac seriò exquirendi: prout de facto, summâ cum diligentiâ, ter, per selectos & exploratæ nobis fidei viros, ex omnibus tribus huius Regni Ordinibus, Baronum scilicet, Equitum, ac Ciuium, adiunctis insuper militaribus Capitaneis totum Collegium visitari, & omnia cubicula, fornices, cellaria, criptas, templa, turres, supra & infra terram perreptari, & perquiri fecimus, sed ne minimum quidem aliquid, quod spectaret ad Mosquetas, vel ad pulueres tormentarios, vel ad vllum alium bellicum apparatum, quocunque is nomine appellari possit, ac multò minùs milites aliquos ibidem reperimus; quin certò ac manifestè à nobis est compertum, contra eosdem prænominatos Patres Reuerendos ab ipsorum maleuolis hæc omnia ex odio conficta fuisse, & contra omnem Christianam æquita-

quitatem ad irrogandum eis iniuriam in vulgus sparsa. Cùm igitur prorsus innocentes fuerint inuenti, petierunt à nobis hoc patens suæ innocentiæ testimonium, quod ipsis nos tanquam defensores veritatis, & aduersarij mendaciorum denegare nec debuimus, nec voluimus. Quapropter hisce pattentibus litteris attestamur coram vniuersis ac singulis, cuiuscunque statûs ac dignitatis, ipsos Reuerendos Patres Societatis IESV Pragenses repertos esse innocentes: omnésque de ipsis dissipatos in hoc negotio sermones ac scripta, commentitia, à veritate aliena, ac simpliciter prorsus falsa esse. Concedimus etiam, vt huius nostri veritati perhibiti testimonij transcriptum, per publicum Notarium Vidimatum, vbique tantundem fidei habeat, non secùs quàm si hoc ipsum Originale in Iudicio produceretur atque exhiberetur. Atque in huius rei pleniorem firmitatem Nos suprascripti, supremus Generalis locumtenens, supremus Campimarschalcus, supremus Vigiliarum Magister, & supremus Generalis Castrorummetator Regni Boëmiæ, sigilla nostra appressimus, & nomina nostra proprijs manibus subscripsimus. Insuper maioris fidei gratiâ, Illustres Dominos supremos Regni Officiales, Comitiorum Assessores, Serenissimi Regis Hungariæ ac Boëmiæ, &c. locumtenentes & Consiliarios in regno Boëmiæ rogauimus, vt & suæ Dominationes similiter nobiscum sua Sigilla hîc subsignarent. Datum Pragæ vigesimo tertio Septembris. Anno 1611.

Digitized by Google

Henricus Matthæus Comes de Thurn, Burgrauius Carlſtainenſis. *(loco ſigilli.)*	Leonardus Colona Baro à Fels ſupremus campi Marſchalcus. *(loco ſigilli)*
Ioañes Iunior de Bubnà ſupremus vigiliarum *(loco ſigilli)* Præfectus.	Wilhelmus Ziakawez à Ziakau ſupremus Caſtrorum *(loco ſigilli)* Metator.
Adamus à Sternberg ſupremus Burgrauius *(L.S.)* in Boëmiâ.	Adamus Iunior à Waldſtain *(L. S.)*
Georgius à Ihalenberg *(L.S.)*	Iaroslaus Dominus de Martiniz *(L.S.)*
Chriſtophorus Senior Wratiſlaus *(L.S.)*	Tiburtius Zdiarsky *(L.S.)*

XXVII. IGITVR Paſſauienſis exercitus (quem idcircò ſic vocabant, quòd ad Paſſauiam, nobilem in confinibus Auſtriæ ac Boiariæ, vbi Danubius atque Oenus confluunt, ciuitatem, Cæſaris nomine ferè ex veteranis eſſet conſcriptus) cùm Paſſauij hyematurus videretur, repentè per ſuperiorem Auſtriam circumductus in Bohemiam ſe apud Freiſtadium infudit, occupatiſque ſine multo ſanguine ac labore Crumlouio, Buduitio, ac Tabore Boëmiæ oppidis, tandem etiam Pragam magnis itineribus peruenit. Ad eum Pragâ arcendum, atq; ex Boemiâ profligandũ collegerant Ordines quoque Boëmici aliquot millium exercitum (neq; enim Paſſauiẽſis maior ſex millibus habebatur) & ex varijs regni tractibus auxilia

Digitized by Google

xilia longè numerosiora in dies exspectabant. Nam creato triginta virorum nouo Magistratu, denis videlicet ex singulis Baronum, Equitum & Ciuium statibus, quos Defensores vocabant, eorum nominibus ac sigillis edicta per totum regnum vulgabant, quibus omnes ad arma viritim euocabantur. Ductores quoque exercitûs designati sunt hi ipsi, qui initio superiùs à nobis positi testimonij nominantur. At Passauienses cùm circiter Idus Februarias apud Pragam consedissent, decimo quinto Calendas Martias, qui erat Bacchanaliorum dies Martis, cum prima luce tripartito Pragam infesto agmine sunt ingressi. Prima ac potissima vis fuit in ea minoris vrbis Pragensis regione, quæ Germanis Ois, Boëmis Augest dicitur; vbi etiam pugna aliquãdiu tenuit, procurrente obuiam Boëmorum equitatu, sed eo per Passauienses retrò in veterem Ciuitatem acto, grauissimam nihilominus stragem passim ex priuatorum ædibus glande petiti accipiebant: donec tandem in forum perrumpentes se cum ceteris, quorum pars Hradschinũ, pars per angustias inferioris Bruscæ mõtis & portam arenariam nemine prohibente veniebant, coniungerent. Sed reducta breui tempore in potestatem minori ciuitate Pragensi, in veterẽ tendere cœperunt, iámque totum pontem (qui super flumen Muldauam, minorẽ cum veteri coniungit ciuitatem) repleuerant equitatu, & primi agminis ad triginta equites expeditæ armaturæ, extra vlteriorẽ pontis portam processerant, cùm cataracta portę deiecta eos intercipit, ac reliquos

Digitized by Google

pedem referre cogit. Intercepti ante ipsum Collegium redintegratam Ordinum Boëmicorum aciem perrumpunt, ac tribus quatuórve desideratis, duce quoque Brantel ex vulnere capto, vtramq; ciuitatem veterem ac nouam non sine cædibus peruagati, tandem inter vineas Vissegradenses ad suos transiisso flumine redierunt plures, licet initio omnes ad internecionem deletos sit creditum.

XXVIII. DVM hæc in altera Pragensis vrbis parte geruntur, fex vulgi nouæ ciuitatis nacta duces aliquot turbulentos, per speciem Equites illos Passauienses inquirendi Monasteria inuadunt, atque in primis Slouanense S. Hieronymi Benedictinæ familiæ, quod vulgari nomine Emaus vocant; id solum in noua ciuitate integrum à Ziscæ temporibus remanserat: hîc templi omnem supellectilem diripiunt, imagines confringunt, aras euertunt, Cœnobiarcham ad necem conquirunt; confeciſſentque, nisi camini latebra salutem dedisset; inde progressi ad Vissegradensem collegiatam Ecclesiam, quòd templo primario D. Petri ibidem pepercerint, diuinitus accidisse putatur, sed loci Decanum senem venerandum domi suæ deprehensum rebus omnibus expoliârunt, contumelijs ac terroribus sæpius morte intentatâ exagitârunt. A Vissegrado itum ad Carlouiense Monasterium Canonicorum Regularium, vbi Abbatem è latebris supra templi fornicem extractum, pérque omnes Monasterij angulos circumductum, postquam omnem, pecuniam diris cru-

Digitized by Google

ris cruciatibus ab eo extorserunt, ad extremum, præfectis manibus ac viribus, vertice etiam capitis, quâ coronam Sacerdotalem gerebat, cum pelle detracto, tandem ceruicibus amputatis obtruncârunt. Narrat puer, qui aliquamdiu in eiusdem Abbatis seruitio fuit, quique huic tragœdiæ semper adstitit, insolentissimum fuisse in hoc crudeli spectaculo omnium tripudium, sed maximè feminarum, quibus totum replebatur Monasterium, quæque in scamna & mensas exilientes, cruciatibus venerabilis senis insultando pascebantur. Erat Abbati Collega eiusdem Ordinis Sacerdos ætate florens: is statim primo ingruente tumultu ad Cœnobij primarium B. V. Assumptæ templum, in veteribus à Ziska ruinis eleganti opere ac præsertim rotundo octuaginta duos pedes lato fornice nostra memoria restauratum concesserat: hîc ipsum immanes illæ belluæ aggressæ totvulneribus confecerunt, nihil vt in eo integrum, ac vix guttam sanguinis reliquerint. Vt enim quisque quocunque teli genere armatus accedebat, ita sacram illam victimam in templi pauimento multo in orbem circumquaque sanguine redundantem pungebat, cœdebat, tundebat, vt ad extremum nullam prorsus hominis speciem retineret. In tertium quoq; Religiosum eiusdem loci non Sacerdotē non multum dissimili crudelitate desæuierunt. Sic igitur multo cruore, neć non vino ac cereuisia madentes (vtramque enim Monasterij cellam productis foras in aream vasis omnibus exhauserāt)

Digitized by Google

cùm triumphantes, & sacra præda onusti in forum nouæ ciuitatis prodirent, feruntur à Magistratu quodam inuitati promissio duorũ triumvé vasorum cereusiæ ad tertiam palmam. Est inter vtramque veterem ac nouam ciuitatem Monasterium olim Carmelitarum, quod à paucis annis ex veteribus item ruinis excitatum Patres Franciscani incolebant quindecim: hos omnes præter vnum, qui in vicinam per tectum elapsus est, cùm priùs vestibus exuissent, accensis Sanctorum ligneis statuis vstulassent, aliisque incredibilibus contumelijs, & cruciatibus affecissent, mactarunt. Mactati & miserandum in modum conciſi, penitúsque nudi in vnam struem conjecti, aliquot dies insepulti, sicut & illi Carlouienses, iacuerunt; tantus terror tunc Catholicis, quorum etiam ædes sigillatim ad cædem & direptionem destinabantur, fuerat incussus. His rebus in noua ciuitate designatis, eadem furens multitudo iam etiam auctior, ita vt ad tria millia hominum censerẽtur, in antiquam etiam vrbem proruebat: verùm ne S. Iacobi, Franciscanorum Cœnobium diriperet, à Lanionum tribu est prohibita: inuasit nihilominus Dominicanorum S. Agnetis, diripuítque, Monachis nudatis, Priore venerabili sene, qui B.P. Nostrum viderat, secundùm caput grauiter vulnerato.

XXIX. QVÆ OMNIA idcircò recensere pluribus voluimus, vt quanto in periculo tunc Collegium Societatis nostræ fuerit, intelligatur. Nos enim maximè omniũ opimam prædam ipsis daturos spe certa præceperant: nos tanquam auctores

Digitized by Google

ctores irruptionis Passauiēsium, clamoribus eorum ad supplicium deposcebamur; imò & trecētos Passauienses armatos in recessibus Collegij abditos fouere pro explorato credebamur. Plenum tunc erat Collegium nostris hominibus; præter paucos, qui pridie aliò dimissi fuerunt, nemo defuit; ipse adeò Prouincialis pridie ex visitatione Commotouiensi huc redierat. Intenti erant omnes precibus quadraginta horarū, quæ more iam solemni Societatis triduo Dominicæ quinquagesimæ continuatę, eo die terminabantur; cùm sub meridiem tota illa insaniens turba circum Collegium conglobatur, ita vt omnes circumquaq; plateæ constipatæ longissimè conferta multitudine sese extenderent.

Secundùm Deum, ea fuit Collegij felicitas, quòd equitatus Ordinum aream, quæ inter pontem & Collegium interiacet, repleuerat, intentus in Passauienses, si quid denuò molirentur. Præerat huic equitatui Generosus Dominus Georgius Wratislaus de Mitrowiz, summámque tunc rerum habebat, ceteris belli capitibus partim dilapsis, partim in minore vrbe interceptis: vbi tunc etiam Illustriss. Comes à Thurn ex vulnere, quod in pugna eius diei acceperat, decumbebat. Itaque Georgius cùm tantam hominum vim ad pontem & Collegium incumbere, ac magis magísque augeri cerneret, non ignarus, quid iam in Monasterijs patratum esset, vltrò & citrò obequitans omnem dabat operam, vt turbam illam inde submoueret. Sed frustra: clamabatur enim Iesuitas occultare trecentos Passauienses;

Digitized by Google

ad eos opprimendos, & ciuitatem periculo liberandam populũ accurriſſe. Georgius etſi minimè credebat, tot armatos eo vſq; potuiſſe contineri, quin primâ illâ Sociorum irruptione & ipſi erupiſſent: tamen vt populum faciliùs pacaret, pollicetur ſe ex ſuis primarios ad Collegiũ miſſurum, qui cuncta ſcrutentur: ipſi interea quieti eſſent, neque per tumultum quicquam aggrederentur, cuius aliquando pœniteret. Addebat & minas: ſe animaduerſurum, ſi quis aliquid ſuo iniuſſu auderet. Hæc cum populo. Agit deinde ſeorſim cum Noſtris non minùs obnixè quàm honorificè, permittant veſtigari Collegium, ſalutem noſtram in eo verſari; ſe non quidem eadem nobiſcum de Religione ſentire, memorem tamen eſſe & gratum, quòd aliquando ſcholas noſtras frequentarit; adpromittere, præterea capitis ſui periculo, ſi ea veſtigatio vel in minimo nobis eſſet fraudi futura. Prouincialis reſpondet, ſe vſque adeò id, quod peteret, non reformidare, vt ad id ipſum vltrò eos inuitet, modò non facinoroſi aliqui, ſed honeſti viri, qui eam modeſtè obeant, deligantur. Delecti igitur viri graues & ſtrenui, Dominus Henricus Pentzik de Pentzik Dominus in Ziandow & Straznitz, vir antiquæ familiæ ex Equeſtri Ordine, & in præſenti expeditione Magiſter Equitum: Dominus Thomas Vonhoff, ſupremus vigiliarum Præfectus: Dominus Carolus Kozka de Kozkinir, & alius quidam Eques Scotus, Iacobus Andreſchan dictus. Hi ductore ipſo

ipso Collegij Rectore omnia tam Collegij, quàm Conuictorij ac templorum loca, ipsas adeò subterraneas cellas sunt perscrutati. Erat autem videre, cùm ad fenestras, vnde prospectus in plateas patebat, inter lustrandum veniretur, & ipsi, vt populo operam probarent, se videndos præberent, imò & populũ frementem ac ianuis vectes admouentem alloquerentur, subinde contestantes, se neminem vsquam reperire; quantis nihilominus conuitijs à vilissimo quoq; appetebantur? Ipsos enim proditores, Iesuitarum fautores, & cum Iesuitis è fenestris præcipitandos, & id genus fœdiora clamitabant. Quæ populi impudentia Collegio salutem accelerauit. Irritati enim maledictis vestigatores, cùm ad suos redijssent, mox equis conscensis conferto agmine fœcem illam tumultuosam magno impetu repellere cœperunt; ferociori in eos impressione facta, quos cæteris turbulentiores aduerterant. Id cùm iterũ, tertiò ac sæpiùs refluente per aliam atque aliam plateam multitudine fecissent, tandem, Deo laus, illius diei periculũ est discussum. Sed successit nox formidolosior. Nam Equitatus, qui toto die præ Collegij foribus steterat, sub vesperam dilabi cœpit, nec alius succedebat. Postulauerat quidem ipsemet Dominus Georgius Wratislaus à Collegio pro ciuitatis defensione turrim templi, vel alium opportunum locum, nec difficilè impetrauit, cùm hoc præsidio nos vel à domesticis plebéque seditiosâ tutiores arbitraremur: sed vel metu Passauiensium, vel quod pleriq; diffugissent, vel quacunque

que alia de causa, nedum vllus ad Collegij præsidium comparuit sub noctem, vt pons etiam ipse fuerit desertus. Nam præter pauculos semiermes apud ignem sub ipsa porta succensum tristis erat circumquaque solitudo. Præuiderat an diuinauerat Prouincialis hoc ita futurum: quamobrem & sollicitè agi curauerat tam apud Senatum Palœopragensem, quam apud militares Præfectos, de aliquot saltem militum excubijs contra fortuitas per noctem commoti populi molitiones, sed post amplissimas ab vtrisq; pollicitationes tandem vidimus nos omnino destitutos. Quamobrem cùm & vt nobis prospiceremus iteratis nuntijs moneremur à sollicitis de nostra salute amicis, quibus Collegium certissimæ direptioni à plebe destinatum esse constabat; & timeret Prouincialis, ne quos Deus singulari prouidentia, siue ad maiorem suam gloriam, siue ad acriorem Nostrorum pugnam seruarat, imprudens ipse amitteret, & in ciuitate Pragensi cum vniuersis Sacerdotibus & Religiosis ipsa quoque Catholica Religio concideret, re Deo commendata cedendum furori iudicauit, donec promissum Collegio daretur præsidium; itáque rem totam illa nocte disposuit, vt ante lucem sacris à Sacerdotibus expeditis, & percepta à Fratribus sanctissima cum cineribus communione, nec non documentis tempori congruis omnibus datis, quamplurimi in amicorum priuatas ædes distribuerentur, paucis in Collegio & Conuictu relictis, quo die etiam Collegium accepit militare præsidium.

Hanc

Digitized by Google

Hanc Nostrorum secessionem duplex fructus secutus est. Primus, quia cùm plebs die Iouis cõgregata ad inuasionem se accingeret, à nonnullis procerum ea ratione repulsa est, quòd affirmarent, Patres benuolè statuum milites pro defensione ciuitatis ad Collegium admisisse, ipsos verò aliò secessisse. Cùm igitur plebs non Iesuitas, sed milites se inuenturum intelligeret, à facinore abstinuit. Alter fructus fuit, quia cùm omnes Catholici, quorum ædes, vti dictũ est, ad cædem & direptionem destinabantur, extrema quæque exspectarent, illis in tanta trepidatione magno solatio fuit Nostrorum præsentia: quippe cùm in proprijs ædibus & confiteri & cõmunicare possent. Transmissis enim ad honestiores ædes necessarijs, in pluribus locis celebrabatur, & cùm templa eo tempore essent clausa, nec ad nos tutum esset ventitare, ad illas ædes confluebant alij, qui ea cõmoditate carebant domi suæ. Interim præsidium Collegij numerosius fiebat, quàm pro voto. Nam & scholarum area assiduis militum lustrationibus terebatur, & ipsæ scholæ ac domus pauperum in eorum contubernia cesserunt, vt intra breue tempus ampliùs quadringenti quinquaginta nobiscum degerent. Seorsim autem ipse militum Præfectus Carolus Crò, super Collegij portam, vnde in põtem (cuius curam gerebat) est prospectus, habitabat, atque etiam mosquettariorum Senionem ex Nostri Boëmici templi ponti aduersis fenestris iugiter permutatis vicibus excubantem disposuerat. Igitur præter hanc portam, & scholarum fornices re-

Digitized by Google

ces, reliqua Collegij pars à Noſtris, qui poſt aliquot dies periculo ceſſante paulatim ad Collegium reuocabantur, incolebatur ſatis, quoad per externum ſtrepitum licuit, quietè. Humanioribus enim vſi ſumus & Duce & militibus, quàm timeri poterat ab eo hominum genere, quod Martem ſecutum tota Religione nobiſcum diſſidebat. Itaque militariter gloriari ſolet idem Dominus Crò, Ziſcam aliquando luſcum Clericos exagitaſſe, ſe verò itidem deſioculum fouere. Diebus ſequentibus Veneris & Sabbathi non parùm exhilarati ſumus, cùm ad Collegium venerunt præcipui Procerum, quorum Caput erat Illuſtris Dominus Wenceſlaus Kincki, qui nomine ſtatuum Prouinciali omnem ſecuritatem promiſit, addens; *ſe nihil carius ſe ipſo habere, & hoc ulli in defenſionem eius & ſuorum ſe dedicare.* Neque verò vllum grauius periculum Collegio timuimus, quàm cùm Paſſauienſes eductis in vlteriorem ripæ fluminis Muldauæ porrectum ſuper vineas iugũ maioribus tormentis, igne & ruinis vrbem veterem inuoluere minitabantur: tunc enim bibliothecæ metuẽtes, eam in ſepulchrum Italici Sacelli coniecimus, non ſine notabili librorum iactura, qui intra non multos dies ex humido ſitu corrumpi cœperunt.

XXX. SED cum iam maximè ſecuri videremur, & primarij Proceres, qui penè quotidie humaniſſimè Prouincialem in Collegio inuiſebant, ſemper omnem ſecuritatem & quietem nobis pollicerentur; ſtudioſè etiam quærerent, ecquid moleſtiæ miles nobiſcum diuerſans adferret:

Digitized by Google

ret: illa tamen altiùs infixa opinio, quod domi armorum apparatum, & vt ipsi loquebantur, bellicas munitiones occultaremus diu multúmque nos suspectos illis tenebat.

Circumduxit ipsemet Prouincialis per omnes Collegij angulos Illustrem Guilielmum Wehynski, qui vt ea de re Ordinibus satisfaceret, amicam hanc arma in Collegio inquirendi curam in se susceperat, visa, versa suprà infrà omnia: & abundè transactum negotium videbatur, cùm post complures dies, nimirum sexto idus Martias, vexillifer veteris ciuitatis Pragensis turbâ hominum comitatus mane quodam ingreditur, certum quendam horti locum hastâ pertentant, ac multa inter se non sine tumultu conferunt. Id conspicatus Collegij Minister, ignarúsque quid quærerent, rogat moderatiùs se in Collegio gerant, vel si quid eis opus esset, id per Præfectum, qui Collegij præsidio præesset, transigant. Hæc Ministri compellatio accepta est eò, quasi à deprehenso iam armorum thesauro eos voluisset auertere: rectâ igitur ex Collegio ad summos Ordinum Magistratus se conferunt, nuntiant arma in Iesuitarum Collegio deprehensa; adesse homines, qui ea digito demonstrent. Illustrissimus Comes Henricus Matthæus de Thurn, qui pridem ex minori vrbe, dissimulantibus an incautis Passauiensibus, euaserat, & rerum potiebatur inter Ordines, diligenter negotium committit Domino Cro: neque is oscitanter exequitur, ipso meridie

Digitized by Google

die euocato ad se Collegij Rectore: rogat, Primarios, quotquot adessent, Patres in vnum conuenire locum; adsunt statim plerique, intérque eos vltrò ipsemet Prouincialis. Hîc Crô amplissimis verbis exponit, Ordines intellexisse non contemnendam mosquettarum & aliorum armorum vim, ac in primis tormentarij pulueris in Collegio haberi, eam seu precio, seu mutuo & commodato in tantâ patriæ necessitate Regni Ordines à Reuerendis Patribus petere memores & gratos, si cum gratia acceperint, futuros. Respondet Prouincialis; Nihil sibi gratius, quam Illustrissimis Ordinibus aliqua in re gratificari posse, & quicquid siue armorum siue pulueris in hoc Collegio esset, libenter Patres ipsis non pretio aut mutuo seu commodato, sed omnino dono daturos fuisse: sed certum sibi esse, nihil huiusmodi rerum in Collegio inueniri. Subijcit Crô; Igitur en relinquo apud vos Prætorem cohortis meæ: ex eius conspectu nemini vestrûm, dum ab Ordinibus homines adduco, qui hæc inquirant, abeundum. Nec diu foris moratus, aduolat cum magna caterua, sed Principes fuêre tres generosi, Bochuchalus Iaroslaus de Nachol in Boskoustein, Prizborzi, & Nouostudenetz, S. Regiæ Maiestatis pocillator: Godefridus de Biberstorf & in Ruchorf: Bernardus Hochauser de Hochaus in Baschti & Podmokle. Habebant hi secum aliquot indices, fossorem quêdam metallorum, itémque puerum, qui aliquando in Elementaria Classe apud nos studuerat, aliósque item: & res tam explorata credebatur, vt baiuli cum

Digitized by Google

cum ſportis & vehiculis adducti fuerint, & proforibus Collegij exſpectarent, vt prædam ſcilicet paratam alportarent aueherentque. Fuit igitur diligentiſſima inquiſitio, per omnia cubicula, officinas, angulos, & receſſus omnes: ciſtæ, armaria, ſi quorum claues in promptu non erãt, effringebantur, pauimenta ipſa, auulſis aſſeribus lacerabantur. Et illi ipſi Generoſi Dñi, quamquam haberent circum ſe famulorum turbam, eorum tamẽ oculis non fidebant, ipſimet interdum per ſcholas ſub tectorum culmina, ipſimet cum lucerna in obſcuriores receſſus repetebant, & illudebat ſibi aliquoties ridiculè ſuſpicax auiditas. Cantores noſtri in ima cella domûs pauperum abdiderãt fides maiores & vaſculum butyri, cùm iſti ex recenti tectorio, latebrâ animaduersâ, nec dum ſatis aperto foramine ouantes ad ſpectaculum conuocant cæteros: cúmque ſe illuſos deprehendiſſent, tamen an in ipſo butyro aliquid tormentarij pulueris reconditum eſſet, ſedulò pertentabant. Lepidius verò ſpectaculum ille tam certus index cellæ cuiuſdam in horto præbuit. Nam diu ſpem hiantem acuebat percuſſa vnco tellus, quod vaſtum quendam tanquam ex cauo redderet ſonum: at cum diu fodiendo ſudâſſent, tandem inter malè compoſita veteris maceriæ rudera ruborem ſuum inuenerunt. Quamuis autem armorum, quæ maximè cupiebant, nihil omnino fuerit repertum, prodita fuit eis tamen (incertum à quo) pretioſior templi ſupellex, quam ſub marmorato templi pauimento ædituus noſter initio huius tu-

Digitized by Google

multus depositus erat: quare ea vltrò Dominis quæsitoribus fuit exhibita. Et placuit candor, quem (finitâ sero vespere omni indagine) simul cum innocentia nostra, quæ de armis occultatis tantopere traducebatur, se tam apud regni Ordines, quam apud alios quosuis mortales oculati sui auctoritate testimonij semper defensuros pollicebantur: simúlque maiorem in modum orabant, vt hoc inuitis ipsis perquirendi munus à Statibus impositum neque nunc in molestam partem interpretaremur, neque venturis aliquãdo temporibus siniſtrâ fraudiuè ipsis memoria futura retineremus. Ad ea Prouincialis respondit in hanc fere sententiam; *Cùm hac visitatio innocentiam nostram tam liquido demonstret, nósque à veteri quadam per maleuolos hominum animis calumniosâ suspicione ingeneratâ vindicet, non esse, cur Generosi Domini vereantur Societatem nostram hoc eorum hodierna die obitum officium molestè vel nunc ferre, vel aliquando laturam esse; quin potius agnoscere, ab ipsis Dominis, & in primis ab Illustrissimis Ordinibus singulare quoddam beneficium in eo percepisse; illud vnum se rogare, vt & ipsi & Regni Ordines vniuersi hac tam certâ experientiâ edocti, in posterum non tam facile aures præbeant illis, qui cum Societatem perdere cupiant, contra eam insidias struendi finem nullum faciant.* Hæc res accidit die intermedio illius tridui, quo plurimi perierunt ex ijs, qui Monasteria nuper afflixerant. Pridiè enim conflauerant satis robustam armatorum

torum manum, quæ ad abeuntes Passauienses vexandos è noua ciuitate nauigijs in pratum Schlichouiense exscenderat, sed ab ijs circumuenta & dispersa, pars in flumen repulsa, pars in vicinis, quò confugerat, ædibus incensis absumpta, aut per vineas fugiens ferro delecta est.

XXXI. PORRO INCERTVM, an ex hac Collegij discussione inspectóq; templi thesaurò venerit in mentem Ordinibus obnixè per Georgium Wratislaum, cuius supra sæpiùs mentio est facta, à Collegio mutui nomine pecuniam benè grandem flagitare: sed cùm exiguum quiddam pro Collegij tenuitate offerretur, & ipsi contenti eo esse nollent, neque Collegium plùs omninò corradere posset, demum & Ordines Collegij angustias cognoscentes, & damna ab eo perlata considerantes à flagitando destiterunt. Cæterùm non multò post Passauiensium discessum, posteaquam scilicet Regius ex Austria exercitus Pragam venit, cœpimus rursus tùm domi tùm foris munia nostra obire, ita vt amoto ex Collegio vndique milite Dominica Passionis, sacra cantata, & conciones in omnibus templis nostris, quæ adhuc vel siluerant, vel clausis valuis peragebantur, resumerentur. Iucundum spectaculum fuit videre, quanta cum lætitia Catholici primo illo die, quo ad templum conuenerunt, se inuicem salutarent, ac mutuis gratulationibus amplecterentur: erga nostros autem quantam amoris significationem ostenderint, difficile est assequi cogitatione, nedum verbis explicare.

Digitized by Google

XXX. IN TOTA hac Regni & vrbis perturbatione Noſtri tam in Collegio quàm foris plurimas quidem patiendi occaſiones habuerunt, & & innumeras periculorum procellas aduerſum ſe excitatas conſpexerunt, tamen (quod ſimile prodigio eſt, & diuinam erga Societatem prouidentiam ſingularem declarat) nec capillus de capite eorum decidit. Sed reliqua expediamus. Noſtrum Bernardicenſe prædium ſummam rerum omnium ſuſtinuit iacturam. Nobiles ex vicinia hæretici frumento ex horreis ablato, eductis è ſtabulis equis, abacto pecore, direptis denique vniuerſis, ædificia noua æquè ac vetera eo fœdârunt modo, quo S. Mariæ ad niues monaſterium Pragæ. Nulli hic parſum eſt rei, non ianuis, non feneſtris, non fornacibus, non ſcamnis, non lectis, non tectis. Prædium itaque nunc vacuum ita deſertum eſt, vt omnia in eo prorſus ſint peruia. Vix ſpes illud reſtaurandi affulget aliqua. Nam Zittauienſium annuæ iam pridem ceſsârant penſiones. Villa Copaninæ hoc anno, vt ante biennium, vaſtata: molendinum ante annos plures ereptum. Proinde cum deſint vndiquaq; ad vitam neceſſaria, Deus piorum munificentiâ noſtram ſuſtentauit inopiam. Sed hæc temporalia & caduca: diuina, illa & immortali laude digna. Iuuenis quidam, cùm ex die alio in alium ſuam differret emendationem, graui corripitur morbo. Decumbenti oblata eſt ſpecies Religioſi vnius Sacerdotis iam tum in tumultu interempti, quo ille antea fuerat vſus familiariter. Apparens ergo Religioſus

ægro-

Digitized by Google

ægrotum commonet, expiet suâ tandem Confessione peccata. Æger tergiuersari, excusare, denique affirmare, se confitendi modum ignorare. Ille contra, *docebo te*, inquit; nec vltrà, & disparet. Ægro salutaris incussus timor: nec mora: orat acciri vnum è Nostris, adest, instituitur, confiteatur, & iam in Religione Catholica feruet.

XXXII. ABSOLVTI ab hæresi centum & septuaginta, & multò plures, qui non sunt numerati: à calice auulsi triginta & amplius. Feriis Paschalibus in tanta rerum perturbatione magnus (adiuuante DEO) & inuitatus omnis generis hominum concursus non minùs ad conciones attentè audiendas, quàm ad sacræ Synaxeos epulum capiendum fuit. Inuentus est reus, qui alium detulerat iniquè apud Iudicem. Idem facti pœnitens, operâ Nostri maluit secùdò obire quæstionem, quam innocentis iniquam confirmare accusationem. Et ne ad singulare certamen prouocati duo nobiles descenderẽt, persuasum est à Nostro. Nobilis quædam matrona vidua, multarum & ipsa viduarũ mater & pauperum, omni spe recuperandæ valetudinis destituta Sacerdotem Nostrum intẽpesta iam nocte ad se accersiri iubet: venit ille, cõfitetur peccata, sacrum petit viaticum, datur, accipit magna fiducia, conualescit. Cuidam vsque adeò amarum visum est Pœnitentiæ Pharmacum, vt nec verbum de Confessione audire potuerit. Clàm interim sacer ad eum medicus vocatur, quo ille viso in alium statim mutatur virum.

Digitized by Google

Ergo de suis delictis facta accusatione, ab omnibus, quibuscum eadem in domo rixis odiisque decertarat, datis etiam dextris, petit veniam supplicitèr: ac tum ab extrema liberatur ægritudine. Alius decubuerat ægrotus non minori vitæ discrimine, suámque ad se ideo sororem acciuerat, vt ab eo vale extremum tanquam euidens gratiæ recuperatæ signum exciperet. Illa quod eum fuerat auersata ob crimen in fidem Catholicam, à quâ iam desciuerat, admissum, nequaquam ire voluit inconsulto prius, quem à conscientia habebat, Patre. Suasit hic aditum, nec sine fructu. Dum enim hæc matre comite conuenit fratrem, & aliquid hortando, vt ad Ecclesiam Catholicam redeat, proloquitur; ecce tibi Prædicans adest, pane vinóque onustus, quæ in sportulâ secum adferebat. Quem conspicata mulier, *quid hîc*, ait, *tibi vis ô impostor? nunquid meus frater & ego tuâ egemus operâ?* Vocatum se, respondet ille, ad calicem sacrum ægro ministrandum, panémque. *Ain' tu sacrum? imo execrandum*, ait mulier, *an vos Pseudomystæ aliud habere potestis? Ego pistorem aduocabo, qui recentem iam panem fratri porrigat, vinum etiam largius hauriri curabo.* Impudentiæ feminam arguit Minister. Illa verò sanctè impudens vibratum id ipsum in eum retorquet telum. Mensam dum is apparat, insterni mappâ prohibet, se detracturam cum omnibus, quæcunque apponerentur, testatur; & ad germanum conuersa: *per Christum te*, ait, *mi frater oro, ne te hac sacrilegâ contamines cœnâ, quam Chri-*

Digitized by Google

Christus non habet, ignorant Catholici; sed aliam veram exspecta. Annuit ipsè atque mox testari se Catholicum, & vxoris gratiæ aucupandæ ergò pauxillum panis & vini antè accepisse: nec vnquam voluntati ipsius assentiri voluisse, quin semper se animo Catholicum fuisse. At vrget vxor, instat Prædicans, repugnat soror, æger nō admittit. Pulsus tandem feruore feminæ Minister, nec vltrà redire ausus est: & verò nisi extulisset properè pedem, iam iam in prominentem cingulo tenus ipsius barbā inuolauisset mulier. Tum demum ægrotus hoste fugato alteram post naufragium fortiùs apprehendit tabulam, animique labes expiat vniuersas: iam viuit constantior in fide Orthodoxa. E nobili orta prosapiá femina, post eiuratam Picarditarum sectam, vbi confessione suum ægro corpore expurgauit animum, animi pariter & corporis testata est se adeptam sanitatem. Matrona alia necdum Catholica, cùm ab hæreticorum scholasticis rogaretur obnixè, vt nouo Ministro ad noua obeunda sacra vino, ac id genus ceteris opitularetur rebus, non sine graui stomacho exegit malè exceptos verbis ex domo sua: malle se, inquiens, pauperibus Iesuitarum discipulis, quàm illis opitulari: & ad famulum conuersa; *Heus*, inquit, *grandem illam nostri amphoram? eam, inquam, quantocyus cura vino impleri, atq; in ædes studiosorum contubernij pauperum tuto deferri.* Cogebatur à parentibus nobilis virgo, & in singulos propè dies vrgebatur, vt ad Lutheristicam accederet cœnam: sed ad eam Virgo adigi nullo pe-

Digitized by Google

nitus potuit modo. Quid ergo? Clàm se subducit, & Nostros adit, hîc rite instituta confitetur, & Catholico ritu communicat. Illustris Dynastæ longè illustrior ab Acatholicis ad Catholicos enituit reditus. Nam illustre in Imperio Romano latè se diffundit eius dominium, ob idque eximius & copiosus in clientibus animorum fructus erit exspectandus. His accedat puer annos tredecim natus, qui ab vtroque parente sectæ Caluinianæ missus in Angliam, indéque postea reuocatus, Pragam cum ijsdem venit: vbi adire cepit nostram Academiam, interpositis aliquot mensibus in morbum incidit lethalem. Is ergo puer de æterno animæ bono solicitus cæteros percontatur domesticos, & ipsam matrem, qua ratione cœlo adscribi possit. Patri non aliud, quàm, *ora pro me, Pater,* inquit. Erat quippe Caluini tenax erroris. Pueri misertus Paterfamilias, parentes (vtpote domi suæ inquilinos) benignè hortatur, aliquis aduocetur Presbyter Societatis. Illis tergiuersantibus, neque etiam quem mittant habentibus, hospes ipse vir nobilis atque Cæsari ab officijs, insilit (salutis ardens) in equum ad eam rem iam paratum, ac demum sole iam declinante aduolat ad Collegium. Rem paucis exponit, sine mora insequitur Noster præeuntem, puerum iam pene animam agentem inuenit. Rogat parentes, quid velint? Et an si cõualescceret, permissuri essent eum in Catholica Religione viuere? Annuunt, quod videatur optimum factu, vt id faciat; & promittunt libertatem perseuerandi in Catholica Religione.

Exhi-

Digitized by Google

Exhilaratus puer, & vitæ quasi restitutus Catholico ritu sui purgat animi labes, ac tum valētior efficitur; sed tridui spatio inualescente ægritudine, sacro lustratus oleo tanquam obdormiscens, mortalem hanc exuit vitam adepturus immortalem.

XXXIII. PRÆCLARA quoq; B. P. Ignatij merita, in morbis medelam, in cruciatibus leuamē, solatium in ærumnis non nemini attulêre. Exemplo est mulier ad partum periculosè laborās, quæ se peccata confitendo, votum nuncupando, eidémque cereum dedicando, & periculo eximit omni, & puerum enixa est, quem de nomine Ignatij Ignatium etiam appellauit. Dispersis porrò per vrbem vniuersam saucijs & ægrotis impensa cura succursum est à Nostris: vsq; adeò, vt ex medijs plateis sustollerent semianimes, iisque omnem pietatis ac misericordię operam impenderent. Nupserat puella sat diues cuidam iuueni, quocum vix biduum habitans contagioso morbo adeò est infecta, vt mente capta cursitaret per plateas dilaceratis vestibus. Accidit, vt miseram in cœno volutatam conspicerent aliquæ prætereuntes Matronæ, quam & subito inde extrahunt. Fortè tunc Nostri duo in eas incidūt: illæ obsecrare, obtestari, vt afflictæ in tanta calamitate opitularentur. Quid faciant illi? Currunt, discurrunt, obeunt Nosodochia, inuentóque vix tandem loco, illuc eam adduci, ibi eius diligentem curant haberi rationem, donec ad mentem reuersa sanioré, suum agnoscit Confessarium, exposcit, Sacramenta, eluit Confes-

Digitized by Google

sione peccata, oleo sacro vngitur, piè moritur. Quin hæretica mulier vi morbi ad insaniem redacta nullum hæreticum Prædicantem seu Ministrum in conspectum suum venire permisit, Iesuitarum autem præsentiam magno clamore popposcit, eáque obtentâ ita recreata fuit, vt morbum etiam superâsse videretur, sensimque conualuerit.

XXXIV. AD ACADEMIAM quoq; nostram progredior. Eius munia studiáq; literarum ob illam turbarum insolentiam intermissa, post Pascha sunt instaurata. Etsi enim Martiali tempestate, scholæ à militibus omnes fuerint ita inhabitatæ, vt multum inde ijs decesserit ornamenti, sedibus, fenestris, fornacibus perfractis, eiectis, exustis: tamen redeunte iuuentute scholæ quoque sunt accommodatæ; & postmodùm perplures candidati supremâ in Philosophiâ Doctoratûs Laureâ donati. Cohonestárunt solemnem hunc actum, Pontificis Maximi, Regis Catholici, & magni Ducis Hetruriæ Illustrissimi Legati. Autumnali studiorum restauratione solemne primùm drama datum est; deinde præmia Illustrissimi Medices Oratoris Florentini munificentia, liberalissimè tributa; cæteris pariter legatis præsentibus. Nouum exurgit hic Pragæ sectariorum Confessionis Augustanæ Gymnasium: quod vt in suo procedat instituto, debacchari non cessant publicis sermonibus Ministri Euangelici in eos ciues, qui cùm sectam profiteãtur eandem, Iesuitarum tamen Academiæ suos committant liberos instituen-

Digitized by Google

ſtituendos. Quamobrem vir quidam Pragæ nobilis, auulſo vel inuitus ſuo à noſtra diſciplina filiolo, purgauit ſe primùm, quòd id feciſſet, apud Noſtrum infimæ Claſſis Magiſtrum. Poſt triduum reuerſus eſt puer bonâ parentis venia, qui vel tantillo illo temporis ſpatio animaduertit, quàm melior ſit apud nos inſtituendæ iuuentutis ratio. Eſt hoc anno in ſcholis inferioribus Beatæ Mariæ Virginis inſtituta Sodalitas, cuius progreſſus in dies euidenti ſpe ſuſtentat omnes, vt ſuccreſcentibus annis vberior ſuccreſcat fructuum copia. Congregationis Partheniæ Conuictorum is honos habitus eſt. Sereniſſimus Archidux Leopoldus pro ſua in Deiparam Virginem pietate, non detrectauit plurium electus ſuffragijs amplecti munus onúſve Rectoris.

Quin dimiſſo iam concilio & ſuffragatione, nobiliſſimo Principum & Oratorum ſtipatus comitatu, Collegium quoque adijt Conuictorum, vbi honorifico exceptus conuiuio. Supplicationibus ordinarijs, quæ ſolemnioribus D. Virginis inſtituuntur celebritatibus, adſuêre Proceres atque Magiſtratus Regni, alij item Illuſtriſſimi viri. Sed in Aſſumptæ VIRGINIS (quod eſt Italorum) Sodalitio tantus eſt animis Sodalium cœleſtis ignis iniectus ardor, vt vitam profundere in cauſa Religionis ſe non vulgaribus declararent ſignis paratiſſimos. Nihil itaque mouentur ſæuientium, atque vulnera, cædes, mortémque intentantium furore. Imò iam eò alacriores inſiſtunt cùm in operam magis ornandi ſui ſacelli,

Digitized by Google

celli, quod magna exequat sumptu templa, tùm in curas egestatis æquè animi ac corporis miserorum subleuandæ. Quare ad amplificanda Nosocomij spatia, disiecta prioris ædificij fabrica, statuerunt hoc anno nouam aliam ædificare capaciorem, & ad habitandum commodiorem, vnà cum Sacello structuram. Itaque eorum in valetudinario quotannis curantur ægroti supra viginti quatuor. Occasione verò tumultûs excitati centum anno præsenti curati magna charitate, magno animorum fructu. Reducti etenim ad Catholicam fidem censentur quadraginta. Præter hos quoque item bonæ indolis adolescentes, hæreticis prognati parentibus, sua Religioni Catholicæ dedere nomina. Baronis cuiusdam subditus adolescentulus periculum fecit magnæ constantiæ. Nam cùm germanam suam in Gynæceo Dominæ suæ conueniisset, ad aures tûc aliquis ex familiaribus hero insusurrat, puerum ad Papistas defeciisse. Quo audito statim adduci eum ad se mandat herus. Ad quem: *Heus tu*, inquit, *es ne Papista, an non?* Puer sine mora profitetur palàm (id quod erat) se verò esse Catholicum. Vix ea dixerat, apprehensum Baro adolescentulum ita immaniter cecîdit flagellis, vt semimortuum ferè à se dimitteret: dimissóq; insuper indubiam comminatus est mortem, nisi desereret fidem Romanam. Sed puer inflicta flagra pretij iam ducit loco, auitámque fidem longè constantiùs veneratur. Etsi vero domus Pauperum adolescentum vt plurimùm centum aluerit pauperes in summa rerum inopia: nihilominus

minus tamen aliquorum extremæ subuentum est egestati. Correptus desperata ægritudine quidam Studiosus in vrbis hospitio quodam publico delirauit, vsq; eò desipiens, quò per plateas oberraret passim seminudus; cúmque inueniretur nemo, qui eius curam susciperet, suscepit illum pauperem pauper ipsa domus; lectum, cibos, medicum, & pharmaca procurando: potior tamen cordi fuit ipsius adolescentis animæ salus. Itaq; boni medici opera effectum est, vt ad mentem rediret, Sacramenta perciperet, Christianam piè obiret mortem. Alius miles extremè decumbens à suis in hac domo cōmilitonibus desertus, pauperum studiosorum opera opéq; singulari tam corporis quàm animę salutem est cōsecutus: ille tanti memor beneficij quoties hanc præterit domum, toties eam quodam pio honorat mentis affectu. Illustrissima regni Boëmiæ Cancellarij coniunx de sua manu liberalissima centum frumenti mensuris egentem hanc locupletauit domum.

XXXV. TEMPLVM nostrum pretiosa locupletatum est supellectile, mille circiter ac ducentorum philippeûm æstimatione. Peregrinatio ad B. Virginem Boleslauiam longè quàm vnquam celebratissima: Censebantur ad ter mille hominum capita, quorum pars hîc Pragæ in Collegij æde sacra, pars ibi apud Deiparam & Wenceslaum frequentarunt Sacramenta. Ioannes Mentecellius in regno Boëmię Secretarius ad sacrum Epiphaniæ Domini diem regalia sanè cum tribus Regibus primùm Collegio nostro, deinde pauperum

Digitized by Google

perum domui, tum demum Italorum Nosocomio terna viuens obtulit munera; nimirum quingentos supra mille aureos perpetuo addixit censui, tertiam cuiuis partem ex æquo suam tribuens sortem. Sed & DEVS liberalis fuit. In villa Bernardicensi iactum fuit in terram semen tritici, dumque geniculato culmo erecta iam esset herba, hostis partim pastioni pecudum dederat, partim iumētorum protriuerat vngulis: dum è calamis deinde prodiret spica, falce totam incidendo segetem fœdauerat. Actū iam fuerat de frumenti fructu acclamantibus (ad quod intenderant animum) inimicis. At verò tanta nihilominus tritici succreuit seges, quanta vnquam aut cœli clementiâ, aut terræ fœcunditate potuit succrescere. Non minùs se manifestauit diuina prouidentia in prædio Copanensi, cuius solum cùm sit sterile, tamen sterile semen (quale dicitur trimum) fœcundam segetem protulit: & tametsi maxima pars frumenti mortua sit, parua tamen pars, quæ sparsim creuit, adeò fertilis fuit, vt vix granum reperiretur, quod non 15. 16. 20. 25. & 30. plenas spicas produxerit: ex quibus maior quam vnquam copia frumenti collecta fuit, stupentibus ipsis agricolis, qui nunquam se simile quid vidisse testabantur, vt credo discant nostri DEO fidere, in eóque suos cogitatus collocáre.

XXXVI. DICENDVM de ijs etiam pauca, quos è nostro in suum adlegit Collegium diuina bonitas: tum denique cum Missione Mie-

stecensi

ſtecenſi Pragenſis narratio concludenda. Vitâ igitur functi hoc anno tres. Primus P. Michael Hagen Lucenburgenſis Belga natus annos ſex & triginta, in Societate vixit vltra ſeptendecim; vir ingenio, doctrinâ, atque prudentiâ excellens; in laboribus valde accuratus, expeditus, atque ſerius. Magna hîc Pragæ laude primum Philoſophiæ abſoluit curriculum. Altero vero inchoato morte immatura extinctus eſt, toti Auſtriæ Prouinciæ, ſingulare ſui relinquens deſiderium. Dum iam præſentiret mortem, lubenti ſe animo, vitam hanc mortalem, vt illa immortali potiretur, deſerere teſtatus eſt. Alterum P. Ioannem Vegium Tranſiluanum etiam in pulchro ætatis flore longa confecit phthiſis. Suam egit ætatem in anno primo ſupra triceſimum, ab ingreſſu ad Societatem vndecimo; patientiæ laude eximiè clarus.

Tertius erat formatus Adiutor temporalis Franciſcus dela fonte Hiſpanus, annum ætatis excedens ſeptuageſimum, poſtquã exegerat primum & quinquageſimum in Religione. Obijt eodem die, quo S. Franciſcus: hunc enim à prima ætate coluerat quàm ſtudioſiſſimè. Atq; cùm pridie eius diei à Superiore moneretur, nempe craſtinam aduentare iam Beati illius Patris lucem, reſpondit; *Nã ego norim ſanctum meum? amici fuimus huc vſq; boni Dei gratiã, ſumuſq;.* Nec plura. Bonus autem ſenex veréq; pius triduo ante obitum, quoquo potuit modo, repenti magis quàm incedenti ſimilior adijt ad templum religiosè cõmunicaturus in medio cœtu fratrũ cæteró-

terorum. Equidem demisso reputabat animo, nec esse fas nec dignum, quem tantus cœli terræque Monarcha vel conueniret, vel lecto iam cubantem inuiseret. Fuit verò Franciscus noster cùm domesticis, tùm præcipuè externis charus ob pietatem, ob suam venerandam canicie adeò venerabilis vt à pijs plerisque vocitaretur *S. Petrus*. Nunquam otiosum eum vidisses, nunquam desidiosum, nunquā fastidiosum, sed semper hilarem, aspectu amabilem, aut orantem, aut legentem, aut deniq; aliquid operantem, quantumuis extrema iam ætate confectum.

XXXVII. IN MISSIONE Miestecensi apud Magnificum Dominum Ladislaum Berkam in pago Stolanensi spatio duorum ferè mensium, ab vtraq; specie, & varijs erroribus abducti quindecim, titubantes in fide confirmati aliquot. Inuenti nonnulli, qui à duodecim annis à nullo aduersariorum Prædicante cœnam acceperunt, sed ritè initiatum Sacerdotem præstolati fuerunt, qui tandem illis ex singulari Dei prouidentia cōcessus est. Omnes promiserunt, se in Catholica fide vsque ad extremum vitæ spiritum constantes permansuros.

COLLEGIVM OLOMVCENSE, MISSIO TESCHINENSIS, AC BRVMOVIENSIS.

XXXVIII. SVB INITIVM Nouembr. auctum est hoc Collegium septendecim Sacerdotibus: quorum sexdecim tertium annum agunt, decimus

cimus septimus est ijsdem Præfectus. Actum cum hæreticis fructuosè: horum similiter & eorum, qui vtramque speciem propugnabant, emendati sexaginta duo: inter quos fuit, qui se admonitum à Christo de cruce pendente diceret, vt fidei Catholicæ veritatem complecteretur. Vitæ totius errores centum vnde triginta generali cõfessione perpurgârunt. Quandam admonitio senis in somnijs, quendam impendens ab hæreticis tumultus peccatorum exomologesin facere extimulauit. Ad valetudinem recuperandam profuit cuidam alij ipsius sacræ confessionis votum: alteri iam à medicis depositò facta confessio subuenit. Quin & alia quædam admiratione digna euenerunt. Viginti annis dolore capitis quidam laborans iam surdescebat: monitus à Socio nostro, à DEO postulauit auxilium, & peregrinationem ad S. Annam promisit: nec multò pòst molestiâ capitis & surditate liberatus est. Quædam ab Angelo bono horrore quodam incusso à facinore perpetrando resilijt. Sed pro maiore omninò miraculo accipiendum, in ciuitate hac, in qua nuper Zizania sparsa erant, tantum fuisse frugum bonarum prouentum, & ad sacrum maximè conuiuium concursum: ita vt solemnitates Christi, B. Virginis, SS. Apostolorum, dies Paschæ referrent: quo tempore quatuor millibus quingentis plures, diuinorum Mysteriorum participes facti sunt in nostro templo.

XXXIX. LICVIT & in Academica iuuentute præclara virtutis obseruare vestigia. Nam vel

Digitized by Google

decem annorum puerulus ex Baronum generoso sanguine oriundus in exemplum haud adducì potest, qui iucunda iustaq; fraude impios parentum conatus sic eluſit. Auocatus is erat ab ijſdē domum, vt ſacra cœna, quemadmodum hęretici loquuntur, veſceretur, id quod perurgebat parens: cui ne morem gerere puer, ſéque ſacrilego bolo contaminare cogeretur, benè mane iuſculum ſumpſit, quod factum iuſtam deinde habuit in illo cœnæ recuſandæ rationem.

XL. AD HOMINES quoque ruſticanos, qui foris ſunt, auxilia miſſa ſubinde: ad D. Annam facta animarum meſſis copioſa. Anſen arx eſt cum oppidulo quatuor milliaribus diſtās Olomucio: eò euocatus Pater cum ſocio, trium Principum virorum conſcientias excepit die Natali Chriſti, & aliquot aulicis eorundem, eiſq; cœleſtem panem porrexit. Quàm verò opportunè Sacerdos noſter eò venerit, euentus inopinatus aperuit. Vir enim nobilis, qui à ſacris erat Illuſtriſſimo Principi à Lichtenſtain, ipſa nocte ſacra, qua primum ſacrificium offerebat, in Epilepſiam incidit, quo caſu perculſus deinde à celebrandâ Miſſâ abſtinuit, & Sacerdos noſter eius diei officia diuina cum ſolatio Principum peregit. Horum maximus natu Carolus à Lichtenſtain ſtudioſis pauperibus Academiæ noſtræ quinquaginta philippeos eleemoſynæ nomine donauit. Illuſtriſſimus Cardinalis Franciſcus à Dietrichſtein quingentis item philippeis templi noſtri inſtaurationem adiuuit: tignis & trabibus Generoſus Dominus Georgius Dębinski: cam-

Digitized by Google

campanæ fundēdæ Senator quidam Nostris addictus philippeos assignauit sesquicentum: centum ad eundem vsum matrona quædam sub hoc ipsum tempus moriens delegauit.

XLI. Teschinensi expeditioni viā fecit ipsemet Illustriss. Princeps ac Dominus Georgius Dux Teschinensis, qui non ita pridem ad Romanæ Ecclesiæ Catholicam fidem transgressus, à P. Rectore Collegij Olomucensis duos Sacerdotes impetrauit, qui festis Nascentis & Resurgētis Christi Germanicè & Boëmicè Teschinæ cōcionarētur. Excepit humanissimè venientes vtroq; tēpore, eisque in tēplis ex hæreticorum manibus ereptis potestatem fecit Catholicæ veritatis promulgandæ: quod Patres strenuè ac copiosè præstiterunt. Quinquaginta annis & pluribus ea templa pulsis Catholicis Lutherani tenuerunt: & quidem vnum erat præcipuum, cui subiectum aliud extra sed iuxta mœnia Teschinæ situm; triaMonasteria, quorum vnum hæretici funditùs euerterunt constructo patibulo ex eiusdem parte materiæ: duo iam Princeps Dominicanæ & Franciscanæ familijs, quarum antea fuerant, cum templis restituit. Affirmabant magnæ auctoritatis homines in illustrium Baronum familia nati, eo tēpore, quo claues Monasterij & templi Dominicanis Patribus reddebantur, in fastigio templi visam columnam, crucem, stellam, nubem, grauissimum item odorem è templi infima parte in summam peruenisse. His rebus perculsi omnes cū Principe: qui quanquam concionatorem Ordinis S. Dominici ha-

Digitized by Google

bebat, rogauit tamen nostrum Sacerdotem, vt pro concione diceret, quam haberent significationem, quidvé monerent huiusmodi portenta. Factum id copiosè & luculenter à Patre applaudentibus omnibus. Templum purgatum, reparatum, reconciliatum. In reconciliatione, noster Sacerdos & à Principe & à Dominicanis rogatus habuit concionem: sacrum deinde cantatum. Quo tempore aures à Nostris præbitæ confitentibus, etiam illustrissimæ filiæ Principis, quæ in templo omnibus videntibus cõfiteri voluit in terram abiecta. Refecti demum sacro pane propemodùm triginta. Communicantium duxerunt agmen Principes iuniores: nam senior in aulico sacello sacram Eucharistiam sumpsit, publicè omnibus præsentibus, cùm antehàc nemini patuerit aditus ad sacellum tempore communionis Principis. Itaque tunc primùm habitus Catholicus. Harum rerum fama diuulgata, etiam Opauiam (ciuitas est in finibus Morauiæ & Silesiæ insignis nouarum opinionum propugnatrix) peruenit. Prædicans huius ciuitatis rem è suggestu narrauit: illicò omnium oculis obortæ lachrimæ, & recitatæ preces pro reditu Principis ad Euangelium. Primarius vir habebatur etiam à Patribus Dominicanis hæreticus; nunquam enim confiteri visus, aut communicare: Nostro is confessus diuinam mensam accessit, & omnibus siniſtram de se opinionem exemit. Lis sopita inter duos coniuges, qui diuortium parauerant. Reconciliati in gratiam duo nobiles, quorum alter Baro. Prædicans magnæ apud suos aucto-

Digitized by Google

auctoritatis, quam illi tùm doctrina tùm eloquentia conciliauit, iactauerat etiam sexaginta Iesuitas se posse in saccum, vt loquebatur, intrudere: sed res aliter, quàm inclitabat, euenit. Nam simul Nostri in ædes illius deuenêre, captum hominem misere inter rationum & argumẽtorum angustias tractárunt torserúntque: adeò, vt sequenti die supplice libello contenderit à Principe, vt suarum ædium aditu Iesuitæ prohiberentur; pollicitus, se nil porrò dicturum cõtra eam Religionem, quam Princeps esset amplexus: immò si Principi ita videretur, libenter se aliò abiturum. Quo suo libello id ille effecit, vt Princeps non parùm in Religione nostra fuerit confirmatus. Hæc affecto finitóque ferè Decembri.

XLII. INSTANTE hebdomada maiori iterum vocatis Nostris per Cancellarium Princeps petijt (quòd Parochiale templum constituisset adimere hæreticis) vt Parochiam Patres continerent, templúmque & animos curarent. Nostri gratijs actis idoneavsi excusatione sumpta ex Instituto Societatis, cætera omnia ex arbitrio suorum Præsidum se facturos esse polliciti sunt, inconcionando, audiendíq; confessionibus, consolandis infirmis, & quæ alia Societatis homines alibi exercerent & profiterentur. Interim hortatu ipsorum consilióq; iunioris Principis, Præceptor, vir doctus, templi curam vt susciperet, effectum. Huic per Cancellarium & aulæ Præfectum templo reddito, claues quoque Sacrarij haud parùm opulenti tandem Senatoribus tanquam claua Herculi ereptæ, eidémque iam desi-

Digitized by Google

gnato Parocho traditæ sunt. In consignatione verò sacræ supellectilis inuenti sunt calices argentei, inaurati, gemmis insigniti, cæterùm propter magnitudinem ad vsum nostrum incommodi. Hîc Noster hostiam & vinum adhuc in illis repericns ad Senatores se conuertit, & illis ad interrogationem suam affirmantibus ex doctrina Prædicantis sui cœnam asseruandam non esse; & credere se in eisdem illis calicibus esse vel fuisse Sacramentum; fraude Ministrorum detectà eisdem declarauit, perperam ab impostoribus Catholicos in eo reprehendi, quòd SS. Eucharistiam asseruare soleant, cùm ipsimet hac in re, contrà quàm doceant, deliquisse tàm manifestè deprehensi sint; ad quæ cùm, quod responderent, non haberent, rubore suffusi tacitè veritati patrocinati sunt. Post hæc veste Sacerdotali aliisq; ornamentis ad sacrificiũ spectantibus à Patre consecratis, idem optimus Princeps voluit, vt ipso sacratissimo Paraseues die, Noster ad populũ verba faceret: fecit, magnáq; attentione auditus est. Ipse Illustriss. Principis filiolus, decem annorum puer, hunc è Christi Domini cruciatibus pro cõcione tunc explicatis collegit fructum, vt à Magistro suo petierit infligi sibi ter quinque plagas, quò nonnihil passo seruatori suo cõdoleret: & duabus illis noctibus persuaderi nullo modo posset, vt lectulo se committeret, adeóque humi cubare vellet. Fuêre nonnulli ex Illustrissimi Consiliarijs hæreticis, qui persuadere conati sunt, vt amandato filij doctore Catholico, alium, cuius fides primò incer-

Digitized by Google

incerta, deinde hæretica visa fuit, sustitueret; quod ne fieret, vtiliter impeditum à Nostris. Conciones plures ibidem tam in Principe quam Dominicanorum templo per festos dies cùm Germanico tum Boëmico idiomate ante & à meridie præsentibus Principibus habitæ, non sine fructu. Inter alios Baroni cuidam Lutherano, qui aliunde id temporis aduenerat, flamma Religionis iniecta. Nam licet domum redire valde vrgeretur, tamen Patrem duabus admodum horis de vtraque specie differentem in cubiculo libenter audiuit, ac deinde Principi & Aulicis fassus est, se à Iesuita in fide sua vehementer dubium atque ancipitem redijsse. Domum reuertentibus Princeps filium quoque suum, vnà cum sorore nubili, magno comitatu, digno nimirum Principibus, Olomucium misit, vt ibidem Sacramento confirmationis percepto in religione Catholicâ futuris temporibus essent firmiores. Primo igitur suo in vrbem ingressu magna populi vndique ad spectaculi nouitatem confluentis multitudine excepti, statim Nostros ad se in hospitium accersitos rogarunt, vt toto tempore, quo ibidem commorati essent, sibi ad manus esse ne grauarentur. Alterâ deinde die templum nostrum ambo magna pompâ ingressi peccatorum confessione facta cum alijs nonnullis SS. Eucharistiæ Sacramentum perceperunt. Tertio die, cùm Princeps ad triclinium prandium nobiscum sumpturus veniisset, non priùs accumbere voluit, quàm singulos Patres ac Fratres ordine consi-

Digitized by Google

stentes porrecta dextra officiosè salutasset, soro-re interim valde dolente, quòd exclusa Collegij aditu cum fratre Nostrorum conspectu frui non posset. A nobis itum ad Conuictores, à quibus præsertim pueris nobilibus magna animi sui cũ voluptate salutatus fuit. Die demùm, qui sancto Matthæo Apostolo & Euangelistę sacer fuit, denuò conscientia apud Nostrum expiata Sanctæ confirmationis gratiam in nostro templo ad summum altare Reuerendissimo Initiatore ob Illustrissimi Cardinalis absentiam diuina mysteria peragente, multóque populo inspectante, consecuti sunt. Nouum id spectaculum fuit, & ad exemplum splendorémque Catholicæ religionis populo Olomucensi non parùm facere visum.

XLIII. ALIA PRÆTER hanc excursio insignis facta, quam impetrauit Illustriss. Baro à Rziczan Ioannes Kauka pro tribus præcipuis locis: inter quæ proprij iure dominij vnum, alia duo tutoris nomine tenet. Habroman vmitaque arx est siue castellum piè defuncti D. Guilielmi Zubek, qui de Collegio Olomucensi meritus quàm optimè est. Hic Parœcia Lilicensis ante paucos annos celebris sedes Pickarditarum cum tribus pagis ab octauo die Octobris anni millesimi sexcentesimi decimi vsque ad vigesimum tertium Ianuarij per nostrum Sacerdotem multùm adiuta: carebat enim Parocho. Parochi munia Pater obiuit omnia. Hæreticos libros Catholicis comparatis Vulcano consecrauit; Confessionis & Communionis vsum frequentiorem reduxit; communicanti-

Digitized by Google

cantium numerus festis nati Seruatoris diebus excessit ducentesimum; ab hominum memoria inauditus, & hoc loco nunquam visus. In pagum Picarditicum ad vnum milliare semel delata Eucharistia cum cantu ad feminam Catholicam, non sine admiratione & sensu haereticorum. Hussita reus furtorum ac rapinarum sub Domino Picarditâ captus tenebatur: cum, quâuis vno milliari abesset, aliquoties Pater, donec Ecclesiæ coniungeret, inuisit. Et licet de homine supplicium ipso die S. Andreæ Apostoli sumptum fuerit nulla habita diei religione, non defuit tamen calamitoso Pater, sed rebus diuinis peractis adfuit tempori, damnatum ad rotam Catholico more comitatus; qui preces salutares præeunte Patre secutus voce, mortem fortiter oppetijt. Deniq; pro extincto flexis genibus ad Deum fusæ preces, quas & plebs non Catholica prosequuta est. Reliquerunt hæresim & vsum calicis supra quindecim, omnes ferè patres familias.

XLIV. ZDONECIVM arcem cum oppidulo à decima tertia Februarij, vsque ad sextam Aprilis diuinis institutis idem Pater excoluit, tota videlicet quadragesima. Die cœnæ Domini prandium quinquaginta pauperibus iussu Domini datũ, quibus Pater cum Socio ministrauit. Duo, quorum alter in officio Consulis erat, cum tota familia fidei veritatem receperunt: ad quos accesserunt serui & ancillæ decem.

XLV. BRVMOVIENSIS autem ager ante aliquot annos coli cœptus per Patres nostros omni

Digitized by Google

ope, admitente Illustrissimo Domino Ioanne Kauka, vt populus per antecessores suos hæresibus varijs corruptus ad gremiũ Ecclesiæ Catholicæ rediret. Et quamuis Curiones quinq; Parochijs ditioni suæ patrocinióq; subiectis Catholicos dederit, plurimi tñ adhuc à fide alieni sunt. Horum ergo reducendorum causà, vt præteritis annis, sic etiam hoc labente à vigesima quinta Martij vere toto & æstate, atque adeò Autumno ex Collegio Patrem obtinuit, qui festis & Dominicis diebus tres conciones habuit: primam sumo mane in arce ad familiã, cui propter occupationes domesticas ad commune templum descendere cõmodum non erat: in Parochiæ tẽplo alteram ad populũ, dicto priùs in sacello arcis sacro: tertiam demùm à prãdio per modum Catechismi post vespertinas preces decantatas. Calicem reliquerunt quatuor. Scholæ ad informandam iuuentutem erectæ. Feminam desperatione tentatam Sacramenta Confessionis & Eucharistiæ liberárunt. Vir Illustris. Societatísq; amantissimus duo vasa vini cum centũ Philippeis Collegio dono dedit. Victor quidam vasa fortè reficiebat, cùm ecce tibi repentino vento ad terram prostratus à sensibus alienatur, cúmq; per oppidum non sine aliorum molestia curśitaret, à Iudice capitur, captus à quatuor viris ægrè teneri potest: vocatus Pater è collo eius Agni sacrati signo suspenso nequidquam alloquitur insanũ; remotis deinde arbitris solo socio præsente cum illo nonnihil de furore remittente agere incipit, sed nec sic quicquam ex illo exprimere potuit.

Anus

Digitized by Google

Anus quædam interea, cùm nescio quam herbã ægro supponi curâsset, illicò & loqui cœpit & potũ petere: verum superstitionẽ latuisse rediẽs furor ostendit. Secundò igitur ad se reuersus Patri cum lachrimis rem ex ordine narrans aiebat, cùm ad braxatorium vasa emendaret, valido vẽto se in terram deiectum fuisse, móxq; venerandum senem albis vestibus indutum adstitisse, qui manu prehensum in edito mõte collocàrit, atq; ab illo se vehementer reprehẽsum, quòd tot annis (duodecim videlicet) Dei bonitate abusus Sacramenta neglexerit, dies festos profanarit, peccata peccatis accumularit, ac proinde æternæ damnationis reum esse peractum: verùm DEI misericordia adhuc tempus pœnitentiæ cõcedi, proinde nudis pedibus peregrinationẽ Czestochottiam susciperet, ibíq; animo per confessionẽ expurgato & SS. Eucharistia percepta de cætero Deum offendere caueat. His auditis solatus hominem Pater, confessioni præparat, quam hæresi eiurata ritè perfecit.

COLLEGIVM CRVMLOVIENSE.

XLVI. VNI Annus hic fuit fatalis, P. videlicet Thomæ Dormanno Coadiutori formato spirituali, annorum quadraginta duorum, è quibus viginti in Societate posuit. Vir erat præter eximias ingenij ac doctrinæ dotes sui contemptor insignis, disciplinæ religiosæ & Regularum obseruator accuratus: nihil illo mode-

Digitized by Google

modestius, nihil affabilius, in obediendo rari admodùm exempli. In morbis verò, quibuscum decem pene annorum interuallo pertinaciter est conflictatus, ita fuit patiens, vt ad plura simul munia vires ei, quas ad cætera abstulerat, infirmitas concessisse videretur. Egit quippe scholarum Præfectum, Collegij Confessarium, & Patrem spiritualem. Sodalitati insuper Partheniæ magna cum laude præfuit. B. Virgini addictissimum semper se exhibuit clientem, à qua hoc præter reliqua beneficia obtinuisse putatur, quòd ipso peruigilio Annunciationis (pridianum enim colendæ Patronæ diem sæpius ab eadem morti suæ petierat) feliciter ad cœlum euolauit; magno desiderio apud omnes relicto. Cõciones duæ Boëmico & Germanico idiomate, cum Catechismi explicatione in templo nostro, partim in Laterano, quod vocant, Dominicis ac festis diebus ad frequentem audientium coronam habitæ. Fructus hi ferè extiterunt. Desiderium calicis, quo nihil ferè in Boëmia difficilius, duodeuiginti hominibus exemptum: sex & viginti hæresis. Horum in numero femina quinque annorum spatio ab aditu templorũ Catholicorum prohibita, domi verò violenter à marito hæretico detenta aures librorum hæreticorũ lectioni dederat. Ad quam vbi Sacerdos omnem sibi aditum præclusum animaduertisset, feminã ad matronæ cuiusdam honestæ domum euocatam eò deduxit, vt animum per confessionem expiatum Diuinis epulis aduersus omnes iniurias furentis mariti & impias machinationes robora-

Digitized by Google

boraret. Multùm item laboratum fuit cum parente hæretico, vt filiæ nubili potestatem faceret sub altera duntaxat specie SS. Eucharistiæ epulum percipiendi; ad quod permittendum cùm prospera valetudine vtens adduci non posset, ægritudine grauissima & pene capitali compulsus, tam pio filiæ desiderio subscripsit. Multi in fide vacillantes confirmati: nonnulli ad iniurias pro veritate ab hæreticis Dominis constanter tolerandas animati. Reperta fuit puella, quæ totis Quadragesimæ diebus vitam sicco pane sustentare maluit, quam contra Ecclesiæ præscriptum carnibus cum domesticis vesci. Vniuersæ vitæ maculas abstersêre centum quinquaginta. Inuentus est quidam è Presbyterorum ordine, homo rectę rationis vsu deturbatus, qui sacris amuletis pristinum rationis vsum recuperauit. Nonnulli varijs ægritudinibus tentati, ad animorum sanitatem procurandam per sacram cõfessionem sunt compulsi. Nec silentio prætereundus est feruor eorum, qui expiatis confessione animis cœlesti conuiuio accubuerunt, eo potissimum sẽpore, quo rumor de militis Passauiensis aduentu increbrescebat. Tantus siquidem metus id temporis animos Crumlouiẽsium obsessos tenebat, vt de re alia nulla, quàm de animorum expiatione solliciti viderentur. Quoniam autem ad milites defluxit oratio, operæ pretium erit paululum hîc immorari. Eorum siquidem præsentia vberrimam Societati hîc cõmoranti peperit messem, in qua sociorum labor & charitas quinque mensium spatio egregiè occuparetur.

XLVII. SIN-

XLVII. SINGVLIS propemodùm diebus ad Confessiones eorum excipiendas fuimus euocati. Multi afflictis moribus vitam in melius mutauêre. Septem, vt pellices à se depellerent, persuasum. Decem alij mulierculas, quarum fœdissimis amoribus irretiti tenebantur, legitimo Matrimonij vinculo sibi obstrinxerunt. Quibusdam aduersa valetudine conflictantibus, vt, in locis commodioribus, vbi necessaria ad vitam & afflictam valetudinem recreandam suppetebant, collocarentur, prospectum. Nonnulli charitatem Nostrorum in situ & squalore carceris experti; septem, qui iam supremum nunciũ acceperant, vt vel laqueo, vel alio supplicij genere vitam amitterent, venia fuit impetrata. Nostrorum item operâ perfectum est, vt artis Sartoriæ Magistri omnes in carcerem compacti exiguo temporis spatio ibidem versarẽtur, libertate ipsis ad interpellationem Sacerdotis nostri restituta, & mulcta pecuniaria condonata. Milites duo Vngari à Nostro modum integrè cõfitendi edocti, eum se reliquo vitæ tẽpore religiosè obseruaturos promiserunt. Alius complures annos sine pœnitentiæ Sacramento transmiserat, tandem infirmitate lethali correptus animum grauiter angi, & acribus peccatorum stimulis lancinari persensit. Inter hæc conscientiæ flagella vnica cogitatio animo mœrenti occurrebat, vt Sacerdoti nostro ad se accersito scelera aperiret, & veniam delictorum efflagitaret, quo facto & animo simul & corpore conualuit.

XLVIII. BVD-

Digitized by Google

XLVIII. BVDVITIVM vna est è Regis Boëmiæ vrbibus, ad quam vt vnus è Nostris similium negotiorum causa mitteretur, supremus militiæ Præfectus litteris ad P. Rectorem datis enixè postulauit. Missi itaque Sacerdotes duo, qui militum confessionibus vacarent, eósque publicè in Parœcia cœlesti pane reficerent. Quo beneficij genere à nobis impetrato, gratijs primùm magnificis verbis actis, ne aut beneficij immemores, aut eiusdem ingrati æstimatores viderentur, singulares se & studiosum nostrorum patrocinium suscepturos promisêre, omnémque operam in eo collocaturos, vt Societas hîc in summa quiete & tranquillitate ageret, & munijs suis vi nulla interpellante fungeretur. Imo vt argumenta aliqua confestim extarent, quibus beneuolentia eorum in nos testata redderetur, pauciores quàm constituerant milites hîc collocauerunt; quódque magis admirêre, ijs in locis, vbi studiosorum contubernia esse comperissent, vel nullorum omninò, vel paucorũ certè, modestiæq; ac moderationis laude illustriorum hospitalem tesseram esse voluerunt. Ac primas sanè in modestia obtinet aula Serenis. Leopoldi, quę apud nos Quadragesimę decursu summa Catholicorũ admiratione & exemplo vixit. Aula tota sacra Exomologesi expiata, licet aliàs sæpe, tũ maximè hebdomada, qua Christi cruciatus piè recolimus; tum ipsis Paschæ diebus feriatis *diuinas* Agni cęlestis Epulas accessit. Eius exemplo permoti equites Germani, & præcipui Centuriones (triginta nouẽ numerauimus) maculas animo-

animorum apud nos deleuere ipso die Iouis sancto; quod eadem die è gregario milite factitârunt sexaginta tres. Multi etiam Sacramentorum obeundorum causâ aliunde ad nos frequenter ventitârunt. Atque vt alios taceam ala vna fuit equitum Croatarum, qui omnes sine confessione & SS. Eucharistiæ perceptione annis plurimis vixerant: opportunam tandem nacti occasionem Crumlouium è vicino oppido animorũ expiandorum desiderio contenderunt. Quorum exomologeses pleræq; totius vitæ extitêre. Hæc militum fuêre propria. Alijs interim nil operæ detractum. Religiosus deterſis vitæ superioris maculis, ad Cœnobium, à quo sponte plurib⁹ annis exulârat, non sine magna pœnitentis animi significatione redijt. Nonnemo detectis sacrilegijs, & pactis iniquis, ad meliorem viuendi rationem est inductus. Cera Agni cœlestis consecrata suam etiam vim ostendit. Ad collum enim hominis emotæ mentis applicata, eum ad integrum rationis vsum reuocauit. Mirus extitit hoc anno mollioris etiam sexus in voluntarijs corporis afflictionibus suscipiendis ardor: eo præcipuè tempore, quo Ecclesia Incarnationis Dominicæ recolit mysterium, vt omninò Nostrorum prudentia & moderatione fuerit temperandus. Atque vt alia relinquantur, reperti fuêre coniuges, qui separati toto Aduentu cum incredibili cõtinentiæ laude somnum in stramine caperent. Maioris verò ieiunij diebus, permultos inuenimus, qui salutari odio suiipsius accensi, & amoris diuini igniculis inflammati, preci-

Digitized by Google

precibus à Noſtris flagella, aut cilicia, quibus in ſe ſæuirent, extorſerunt. Supplicationes nullo anno maiore celebritate aut frequẽtia ſunt peractæ. Ipſe quoque Sereniſs. Leopoldus (vt optimi huius Principis iterata mentio hoc Collegiũ claudat) cùm pedes ad D. Virginis Caiouienſis cum inſigni aulicorum numero, & clariſſima militũ manu peregrinaretur, comites ſibi è Noſtris quatuor aſciuit. Inter eundum non aliâ ratione pijſſimus Princeps itineris moleſtias allenandas putauit, quàm ſacrorum pſalmorũ cum Noſtro, qui ei à confeſſionibus erat, pia recitatione. Dominicis deinde ac feſtis diebus, quotieſcunque eum Crumlouij morari contingeret, in æde noſtrâ mane quidem ſacro Miſſæ officio & concioni, à prandio precibus veſpertinis, & Catechiſmi explicationi præſentem piè ſimul ac iucundè ſpectauimus. Die verò Pentecoſtes publicè ciuitate vniuersâ inſpectante cœleſti conuiuio accubuit. Quam diem, quia religiosè ac ſanctè tranſigere peroptabat, nobiſcum in triclinio noſtro cœnare, nec alia fercula præter ordinaria noſtra admittere voluit: ſibi enim vt more noſtro accumbere liceret, humaniſſimè prius à Patre Rectore poſtulârat. Pridiè demùm, quàm diſceſſurus erat, ſub veſperum magno comitatu ad Collegium pedes ex arce, benè longo interuallo diſſitâ, deſcendit, & poſteaquam bono tẽporis ſpatio nobiſcum fuiſſet verſatus, ſingulis tandem dextra porrecta valedicens, omnium ſe votis & precibus deuotiſſimè commendauit.

Digitized by Google

COLLEGIVM COMMOTOVIENSE.

XLIX. ÆRVMNOSVS fuit præsens annus Collegio huic, non modò publicis turbatorum tẽporum calamitatibus, sed etiam priuatis. Nam duobus Rectoribus fuit intra tres menses orbatum. Primus à dotatione Collegij Rector fuit P. Martinus Bastius, Rutenus, Varmiensis, quatuor vota professus, ætatis suæ sexagesimo quinto: ex quib⁹ quadraginta duos in Societate exegit, varijs Societatis munijs perfunctus. Nam præterquam quòd litteras humaniores & studia Philosophica cum Matheſi quatuor annis docuerit, in concionibus quoq; & Missionibus operã suam Societati impendit. Rectoris deniq; officio tredecim annis administrato, in acerrimis podagræ aliorúmq; morborũ, quibus extinctus est, doloribus, piuin patiẽtiæ exemplũ reliquit, omnibùsque Sacramentis ritè munitus ad præmia laborũ capesſenda abijt. Hunc alter præceſſit tribus mẽsibus P. Nicolaus Vrsius Brabantus Belga, & ipse quatuor votorum, annos natus quinquaginta vnum, quorum triginta ita in Societate collocauit, vt Rhetoricam annis docuerit octo, & prẽter Regentis Miniſtríque officia Rectorem annis septem se præstiterit, in tuendis & conseruandis Collegij iuribus sollicitum, & de Nostris omnibus parentem optimè meritum. Contraxerat is conuulsionem stomachi: hinc ex violentis singultibus rupta vena, vt creditur, cùm sanguinem copiosum eieciſſet, intra octiduum cõfectus animum

mum reddidit singulari pietatis exemplo. Dum enim per vltimos dies morbi vi oppressus horas canonicas inuitus cogeretur intermittere, paucis ante mortem horis se ipsum pia religione corripuit, & Completorium vltimum cum Socio Sacerdote luctantibus & propemodum intermortuis vocibus piè & ardenter decurrit. Huic malo (ni tamen magis bonum est ad summum bonum abire) aliud non leue periculum successit. Quidam enim ex paupertatis incommodis quasi in rabiē actus, ita huic Collegio offensus esse cœpit, vt maledicta & graues infamiæ calumnias in codicillos iusto opere excrescentes coniecerit, & ludibundus rhythmis Germanicis certos Collegij homines, ne mortuis quidem intactis, acerbâ Sarcasmorum licentiâ perstrinxerit: & verò minas etiam intentauerit, fore, vt infamem libellum typis traderet, nisi in iudicio sibi, vt existimauerat, læso, satisfieret. Quærebat nimirum miser hac arte paupertatis subsidium, quod à Collegio per vim extortum sibi sperabat submissum iri. Verùm ita cum homine actum, vt harum minarum palinodiam caneret, scripta infamis chartæ cum autographo ad Rectorem Collegij ignibus abolenda deferret, calumnias Societati impactas scripto confecto reuocaret, flexis denique genibus lachrymans culpam deprecaretur, pollicitus, se ad omne satisfactionis genus futurum paratissimum. Verùm aliâ satisfactione opus non videbatur, quòd nondum conceptum venenum in vulgus euomuisset.

Digitized by Google

L. CÆTERVM eo tempore, quo post Pragensem irruptionem in vicinia hac nostra templa, Parochiæ, & Monasteria diripiebantur, singulari Dei beneficio seruati sumus ab ijs malis, quæ supra humanam spem Diuina prouidentia à capitibus nostris depulit. Itaque tametsi quotidianis minis & rumoribus, quà certis quà incertis, nil propius exspectaremus, quàm vt vel domestici ciues maleuoli, vel externi grassātes milites incursione facta Collegium diriperent, nósque ipsos pro tumultuante libidine vel ejjcerēt, vel ad necem producerent: nihil tamen re ipsa tentatum est, præter clancularias è domuum angulis semel atque iterum lapidationes, eásque sine sanguine. Quin etiam Senatus satis se beneuolum exhibuit promissorem, se omni cura ad futurum, ne quid detrimenti Collegium caperet. Controuersijs, superioribus annis inter ciues & Collegium exortis, per legatos Cæsareæ Maiestatis finis impositus, ea conditione, quæ & Collegio esset tolerabilis, & senatores nobis redderet æquiores. Conuersi sunt ad fidem quinq; : cum alijs eodem super negotio actum. Sed bonos conatus elusit infelicitas hominum, salutem suam humanæ beneuolentiæ post ponentium. Inter quos fuit Sacerdos Monachus apostata, Parochus à nostris ciuibus exauctoratus, eam ob causam, quòd cerimonias ritùs Hussitici Lutheranis parùm gratas in sacris adhiberet, quas abolendas imperauit senatus tanquam Papisticam redolentes vanitatem. Eo cum homine vsque eò actum, vt tametsi veritatem agnosceret, & obmu-

Digitized by Google

obmutescens imperitâ taciturnitate, atque ex conscientia educationis Catholicæ seipsum cõdemnâsset, infelix tamen ille pellice & sobole, copiosa irretitus extricari non potuit, vt manus daret agnitæ veritati. Solemnioribus festis domestici Catholici Sacramentorum vsu suum officium præstant centeni circiter, quam paucitatem supplent coloni è vicinis pagis & montibus aduentantes, quos etiam moribundos in extremis Sacramentorum administratione ob electos Parochos destitutos inuenimus: quam piam industriam tametsi Prædicantes ægrè ferant, Dominúmque loci à fide Catholicâ alienum sollicitârint, vt sibi subiectis prohiberet, ne Iesuitarum operâ vterentur: is tamen posthabita ea admonitione significauit, liberũ esse debere Religionis exercitium. Nec suburbanorum tantûm, sed etiam domesticorum res fuit curata. Parochiæ enim Commotouiensi integrum annum proprio Pastore destitutæ de nouo prouisum, adiunctâ centum Philippicorum pensione, sumptibus Collegij, donec aliunde prouideatur. Publica alia Catholicorũ exercitia solitum tenuêre cursum: & iuuentus nostra cùm nullo tempore officium suum neglexit, tum verò Quadragesimam ipsam diuturnioribus precibus ad patriæ depellenda pericula exegit. Bibliothecam suam pretio centum Philippicorum æstimatam Parochus quidam nobis testamento moriẽs reliquit. Illustris etiam matrona ex familia eius, qui Collegium hoc sumptibus stabiliuit, templi supellectilem duabus vestibus auxit arte & operè vi-

Digitized by Google

fendis, pretio trecentorum ferè Philippicorum.

COLLEGIVM NOVODOMENSE.

L I. EADEM temporum iniquitas, quæ reliquis Collegijs iniqua & grauis fuit, Nouodomensi quoq; maiorem peperit laborem, quàm fructũ. Etenim cùm lustrandis tractûs Bechinensis militibus præter Patriæ morem (Regijs enim id solemne duntaxat est ciuitatibus) Nouadomus constituta fuisset diribitorium, plerique, qui huc ex varijs locis confluxerant, non modò religionis auitæ, verùm etiam Societatis nostræ infesti extitere hostes; idque vel eo maxime nomine, quòd nos omnium in Boëmiâ turbarum tunc excitatarum haberemur, & publicè efferremur auctores. In Collegium ergo impudenter irruentes, equis pabula, sibi alimenta à nobis exposcere; repulsam ferentes stricto mucrone lapidibúsque portam petere, fenestrarum orbiculos excutere; suburbano prædio, nisi affatim inde vigilijs ligna præberentur, extremam minari perniciem; nos denique varijs oneratos maledictis & contumelijs diris omnibus deuouere.

Porrò tristibus hisce rebus illa se admiscuit consolatio, quòd milites, quorum quamplurimi ad conciones nostras conuenerant, aliam de doctrina nostra, quàm apud Præcones suos vanissimos, opinionem imbiberunt, adeóque nos

nos auditos dilaudare etiam cœperunt. Absoluti partim ab hæresi, partim à pertinaci vsu calicis omninò decem. Iuuenis quidam Catholicis quidem parentibus prognatus, sed dum in adolescentia varias Boëmiæ partes studiorum ergo pererrat, in varios fidei errores incautus lapsus est: Is, à nescio quo persuasus, buccinatorem prauorum dogmatum agere meditatur: cúmque iam primâ è libro pro more nouæ Ecclesiæ concione factâ se populo probauisset, atque ad ordines aliquò iter ingressurus esset, ob nescio quam causam in publicum carcerem amandatur. Nocte quâdam videre sibi videtur quendam veneranda canicie virum, dira, nisi ad Catholicam rediret fidem, minitantem. Qua cominatione perterrefactus, vt primùm inde emissus, Nouamdomum de religione nobiscum collaturus reuertit. Vbi dum in fidei capitibus instituitur, generis humani hostem insidias sibi ponentem animaduertit. Aliquoties enim ad Collegium accedere conantem, tintinnabulúmque pulsare parantem occulta vis remoratur: sed hoc leue: illud graue animæque prorsus exitiale. Tristioribus cogitationibus iam penè ad desperationis barathrum adactum hominem, vbi ex signis minimè obscuris veterator sentit, animi pacem tranquillitatémque pollicetur, si eiurato DEO diuisque omnibus valere iussis se illi deuoueat, deuotionisque eiusmodi, proprio conscriptam sanguine syngraphamtradat. Paret suggerenti miser, & loco

Digitized by Google

diéq; destinatis chirographum postulatum exhibere parat: sed tamen quò minùs id perficiat, præsenti Diuinæ prouidentiæ ope impeditur. Venerat opportune quidam Societatis nostræ Frater aliunde sub idem tempus, desperato huic iuueni olim adhuc in sæculo familiariter notus. Hunc cùm pro veteri notitia & consuetudine salutatum accedit, mœroris & tremoris vultu, totiúsq; corporis habitudine signa edidit. Causam Nostro scisciranti cogitatum post multa denique aperit scelus. Dehortatur ab impio proposito iuuenem Frater, vtque conscleratam ad se chartam illam igni tradendam adferat, rogat; simul etiam, vt veritati à Sacerdote nostro demonstratæ fidem habeat, conscientiæque labes Sacramento confessionis eluat, vrget. Admittit ille Deo benè opitulãte salutaria monita, breuíque effectui dat vniuersa. Sed nec dum turpissimus animæ procus Cacodæmon illum penitus tentare cessat. Cœlestem enim mensam accedere paranti noua difficultas obtenditur: & apoplexiâ à capite ad pedes vsq; tactus derepente in terram collabitur, ita vt codex precatorius, quem manu gerebat, remoto satis interuallo ab eo recideret. Vbi se tamen recollegit, mysteriorum cœlestium particeps factus, adhuc exoptata perfruitur animi pace. Feminæ etiam de partu vitáque periclitanti reliquiæ B. P. N. Ignatij piè applicatæ saluti fuêre. Moribundorum lectulis adstitimus tempestiuè & fructuosè, anui præsertim decrepitæ apoplectica vi tactæ, cui lingua tantisper, quoad peccata sua Sacerdoti exponeret,

Digitized by Google

poneret, fauit: officio enim eo perfuncta obmutuit, breuique finem viuendi fecit. Viro quoque data opera, vt vocato ad se inimico, à quo plurimis iniurijs affectus erat; antequam expiraret, cum eo in gratiam rediret. Curio quidam ægrotans grauiter, vt sibi moriendum eo morbo esse animaduertit, plenus de Societatis confidentiâ ex Parochia hac se ad nos minimè præmonitos curat deuehi, quò & corpori & animæ suæ curam haberemus. Habita est quæ debuit & potuit: & de necessarijs omnibus viuenti iuxtà ac mortuo prouisum. Quantùm verò scholæ priore semestri ob tumultus publicos sunt imminutæ, tantùm posteriore item creuere, vt pristinum splendorem omninò receperint.

COLLEGIVM LABACENSE, ET RESIDENTIA PLECTRIACENSIS.

LII. CONCVRRITVR ad nos ingenti numero à rusticana plebe, itineribus longissimis, tùm solemni Paschatis, tùm etiam quatuor anni temporibus pro veteri harum partium more; numeratáque sunt in Paschate confitentium & Synaxin adeuntium millia tria quingenti: ad Dominicam verò Trinitatis capita vltra sexcenta. In vicinis pagis doctrina Christiana magno cum agricolarum gaudio resumpta. In vrbe laboris etiam fuit abunde. Ad Catholicam religionem accessére aliquot: inter hos ciuis prouectæ ætatis hæresim publicè in templo eiurauit. Fugerat

Digitized by Google

à marito vxor, & quicquid poterat, è domo secum rapuerat, ea de causa, quòd maritus fidem de relinquenda hæresi in contractu Matrimonij datam, exigeret. Fouebatur in fuga à consanguineis hæreticis, qui & omnem illi reditum dissuaserant. Maritus iudicio publico rem agere & de iniuria tum contra vxorem, tum contra affines experiri voluit. Sed verò Nostris interuenientibus & reditus & Catholica religio fugitiuæ vxori persuasa: pax etiam inter maritum & vxoris consanguineos stabilita. Iuuenis nobilis vtroque parente & totâ familiâ hæreticis genitus, & in hæresi educatus, ad trigesimum ætatis annum, cui eodem tempore parentes senio confecti sponsam quærebant eo animo, vt rei familiaris curam in eum deponerent cùm ipso sancto Ioannis Baptistæ sacro die vesperi per vrbem inter æquales obambulat, ad rixas & arma venit: dúmque in alium stringit ac vibrat ensem, frangit, fallentéque gressu labitur mortifero vulnere transfossus. Re cognita Sacerdos noster mane aduolat, saucium de periculo capitis & animæ admonet: sed matre filium in pertinacia confirmante nihil efficit; quæ proinde priùs visa est expugnanda, ne salutem filij impediret. Quod ab ea cùm fuisset impetratum, confessione, communione, extrema vnctione ad luctam vltimam est roboratus. Verùm cùm ante ipsam vnctionem Sanctorum nominatim suffragia poscerentur, mater maxima eiusce pietatis hostis

ſtis moderari diutiùs ſibi non potuit, quin filio in aurem, audiente Noſtro qui ad caput ægroti flectebat, ſuggereret: *Ne moueare fili; noſti quid credas.* Sed his ille nihil motus, matris tanquam ſerpentis ſibilum contempſit. Peractis itaque ex ſententia omnibus, vitam feliciter præſente Noſtro clauſit iuuenis: cui pater funebrem orationem per Noſtrum fieri poſtulauit. Aſcenſum eſt, ſed ita, vt ſolemnes mortuo exequiæ, & Catholico ritu curarentur. Curatæ ſunt, & à Noſtro ita dictum, vt vniuerſam prolem, quæ copioſa erat, nobis Catholicè inſtituendam vltrò commiſerit pater, quæ nouum etiamnum templum frequentat. E Sodalibus Parthenianis extitit, qui pro duobus in fide hæſitantibus à Paſchate vſque ad Corporis Chriſti feſtum diem quotidie certas preces fudit, & vt ijdem, die eadem ad confeſſionis & communionis Sacramenta accederent, impetrauit. Seminarium noſtrum præcipuam iuuentutem, & florem quaſi ſcholarum habet. Inter illos ſunt Prouincialium virorum aliquot filij, adhuc hæretici quidem, ſed qui ex concionibus Catholicam religionem amare iam plurimùm cœperunt. Cœnobiarcha Siticenſis ſingularis Seminarij patronus, præterquam, quòd duos ſui Monaſterij religioſos, alium etiam iuuenem aluerit, in pauperum ſtudioſorum ſuſtentationem octoginta aureorum eleemoſynam contulit. Acceſſit etiam aliquid ad fabricam Seminarij. Nec deeſt Collegio fauor & beneuolentia Procerum Prouinciæ. Reuerendiſſimi in primis

noſtri

Digitized by Google

noſtri liberalitas enituit. Triclinium ornauit imaginibus nouem. Domum ſuburbanam pro relaxatione animorum ædificauit Noſtris amplam commodámque, in quam quadringentos circiter aureos impendit. Proceres ita humanitatem ſuam declarárunt: pro Eccleſiæ noua fabrica duo millia aureorum ex ærario prouinciæ conceſſerunt. Duo hæretici alius quinquaginta, alius trecentos ſex eidem ædificio ex creditis Collegio condonárunt.

LIII. PLECTRIACENSIVM Patrum operâ diuinorum myſteriorum vſus frequentior diuerſa in loca ſparſus: fouéntque ijdem D. Bernardi Monaſterium, in quo ad menſtruas Religioſorum eorundem confeſſiones excipiendas adhibentur.

COLLEGIVM CLAGENFVRTENSE ET RESIDENTIA EBERNDORFFENSIS.

LIV. CVM morbis grauibus & diuturnis conflictandum fuit Clagenfurti Noſtris nonnullis: adeò vt mutandi aëris cauſa quatuor omninò coacti fuerint magno noſtro incommodo aliò tranſinitti: aliquot etiam conſpicui, & magnis à Deo naturæ donis decorati, diem ſuum obierunt. Horum vnus fuit P. Ioannes Clingerius Coadiutor formatus ſpiritualis, qui per longam & ætatem & laborum ſeriem ad eum vitæ terminum venit. Erat in humanioribus maximè verò Poëticis apprimè verſatus, in quibus etiam ferè æta-

Digitized by Google

ætatem suam consumpsit. Moribundo ea fuit, vox suprema: *Eia Pater Clingeri, non est hic permanens ciuitas tibi, futuram inquire, age ad illam propera.* Eodem, quo natus est die, quem & in vita celebrem habuit, S. Ioannis Euangelistæ Societate dignus è viuis excessit. Post hunc Petrum Magerle Carniolum, ætate florenti nec vulgari exspectatione iuuenem, beata sors excepit. Hic dum initio anni huc contendit, febri corripitur, quam tandem morbus ipsis medicis occultus excipiens adeò corporis vigore eneruauit, vt vsu omnium membrorum destituto etiam animum post longam tabem eripuerit. Huic adiunctus eodem mense est Ioannes Peck, domestici operis adiutor, vir miræ simplicitatis; & pro sui status conditione salutis animarum studio incensus; obedientiæ & precibus apprimè deditus: cui solemne fuit nunquam die Iouis SS. Communionem negligere. Porro in agone extremo non nisi de cœlesti patria cogitare videbatur; vnde ad se venientes adhortabatur ipse potiùs, quàm vt aliorum admonitione aut excitatione indigeret. Tandem pridie quàm ex statione corporis discederet, dum vel phlegma, vel aliquis alius malignus humor fauces præcludere videbatur, in Sacerdotis nostri manus ruens auxilium ab ipso in corpore sustinēdo; tum B. Virgine, ac Patronis omnibus postulauit: B. Virginem articulatè priùs, quantùm licuit, identidem compellans, & quasi tarditatis accusans *B. Virgo*, inquit, *vbi es? vbi es B. Virgo? ita me deseris? ô B. Virgo non aduolas? non iuuas?* tum ad Patronos, ijsdem

Digitized by Google

ijsdem verbis se conuertens: *Vos sancti, vos sancti, vos mei Patroni vbi estis? non fertis opem? succurrite, iuuate:* & sic hisce cum comitibus ad vitam, vt speramus, meliorem paulò pòst discessit. His ipse denique Collegij Rector adiunctus est, P. Lucas Vintana Goricienſis, quatuor iam antè vota professus, vir integerrimo purissimóque sensu pietatis manſuetudinisque excellens, & cui à natura, non exercitatione parta, videretur ipsa pietas. Qui Vienna à Prouinciali Patrum conuentu rediens, grauiùs quàm antea conflictatus, cùm contra vim morbi contenderet, Eberndorfij tandem nouis subinde morbis enascentibus, ijsque magis in dies sæuientibus lecto affigitur; quo tempore præsentiens eo morbo se vitâ functurum, magno animi sensu omnes præteritæ vitæ noxas expiauit. Magnum ipse in morborum moleſtia patientiæ & manſuetudinis ſpecimen dedit; ita vt tantam animi præſentiam & erga ſua munia obſeruantiam medicus, alioquin prauo hæreſeos dogmate infectus, & miraretur & prædicaret; capere ſe non poſſe, ſtultè dictitans, quomodo DEVS homini tantam patientiam poſſet elargiri. Vitam tandem placida animi æquabilitate temperatâ placidiſſima mors ſecuta eſt. Nam totum illum diem, quo è vita abeundum erat, alto ſilentio & intenta meditatione ad extremum vſque ſpiritum tranſegit, nec aliud quam ſignum Crucis ampliùs facere nouerat. Interrogatus num fratri aliquid ſcripto demandaret, cùm reſpondere cunctaretur, altér-

que

Digitized by Google

que respõderet à fratre acceptas esse literas; *Nihil mihi*, inquit, *cum fratre:* tandem cùm Pater, qui illi adstabat, ad patriam cœlestem exhortaretur, futurum dicens huius miseriæ finem: *Breui* ait, *breui*; & in ea fixus cogitatione, magno sui tùm domesticis cùm externis relicto desiderio, expirauit tertio Nonas Augusti: Non ille quidem grandi consumptus ætate (octauum enim & trigesimum agebat annum) sed pauco hoc numero annorum multæ maturitatis specimen ediderat. Magnam eius ætatis partem egit in Societate: bis Professoris Philosophiæ, post Rectoris munere perfunctus.

LV. DOMESTICI cæteri licet bona semper omnes valetudine vsi fuerint, non tamen caruerunt & ipsi materia de ægrotis benè merendi. Enimuerò cùm supradicti omnes penè Ebrndor fij fuerint infecti, curandæ valetudinis causa ad nos sese receperunt, quibus vsque ad extremum spiritum ex charitate prouisum est. Scholæ eandem, quem superiore anno, tenent cursum. Solito celebriori pompa supplicatio Corpori Christi sacra per ciuitatẽ hoc anno traducta est; quam non solùm Proceres vtriusque ordinis comitatu suo illustrem reddidêre, qui illo tẽpore coactis comitijs huc cõfluxerant, sed nostri quoque studiosi eandem celebriorem fecerũt. Nam cùm ad aream pro more scholarũ ventum est, ex duobus erectis in ea arcubus puerorum voces iucundis symbolis ad diem exornandum hinc inde mixtis fuerunt exauditæ, & ordine & appa-

ratu

ratu, vt mirum in modum omnium animi oblectarentur. Solemnis alia contigit ab ijsdem exceptio Reuerendissimi & Illustrissimi Principis Bambergensis Ioannis Gottefridi ab Aschausen, qui duos eo ipso tempore à Patribus socios itineris per Carinthiam superiorem habere secum voluit, eósque apud se quàm familiarissimè retinuit. Accessit ad hanc pompa celebrior alia, quam in honorem B. P. Ignatij nostri institutam adolescentes vario eruditionis specimine, in ipsum octiduum produxerunt. Sedulam ijdem quoque dedêre operam, vt familiares suos vel domi bonis moribus & exemplis imbuerent, vel ad nos deducerent ab hæresi reuocandos, aut præceptis melioribus instituendos. Atque hæc Sodalium Marianorum præcipuè sunt studia, quibus optimum & clarissimum quemque è Republica Ecclesiastica & Ciuili in suam Societatem pelliciunt: fiúntque amici nobis illi, qui nos antea cane peius & angue oderunt. Quidam non infimæ sortis vir tanto aliquando cõtra Societatem nostram odio efferbuerat, vt etiam ad vasa argentea mordacem hunc sarcasmum insculpi curaret; *Arabie Iesuitarum libera nos Domine.* Hic Nostrorum consuetudine familiari adeò fuit emollitus immutatúsque, vt & liuorem omnem poneret, & ad Cõgregationem recipi postularet: eiúsque voti vbi se compotem factum intellexit, Sodalitati Philippeos aliquot, Seminario viginti quoq; aureos attribuit. Fuêre autem eleemosynæ in eiusdẽ Seminarij vsum collatæ quadringentorum ferè aureorum: è quibus

Digitized by Google

bus Prouincia Carinthiaca ex suo ærario contulit sexaginta: adeóque incoli cœptum illud hoc anno est à viginti septem honestis bonæque spei adolescentibus. Collegij item fabrica, pridem iniuriâ temporum intermissa, magno inhabitantium commodo hoc anno fastigium est assecuta. Cœmeterium muro inclusum: quo sublatæ sunt superstitiones infinitæ, quæ inibi circa sepulchra mortuorum fieri à vetulis solebant.

LVI. QVIDAM Eberndorffensium membris omnibus ita debilitatus erat, vt aliquot mẽsium spatio ne pedem quidem posset loco mouere, omni curatione incassum adhibita. Statuit igitur à religione & pietate opẽ quærere: quidquid à pueritia commiserat, piaculari abolet confessione, sacróque Eucharistiæ cibo pastus paucis diebus conualuit, gratiásque Deo acturus ipse pedes ad templum nostrum se contulit. Quod factum singulare permulti, antea à confessione alieni, suspexerunt; ob idque magno cum pietatis sensu Sacerdotem cùm venerabilis Eucharistiæ Sacramentum ad ægrotos defert, accẽsis luminaribus comitantur; nec inde, nisi cum eodẽ, sumpto ab ægroto salutaris viatici pharmaco, regrediuntur. Ea enim propensione ad omnem pietatem sunt incolæ, vt eorum præcipui sua sponte alios obseruent, num quispiam ex toto numero sit eorum, qui exomologesin peccatorum præcepto ab Ecclesia tempore neglexerit, dedecus rati cum eis habitare, qui Ecclesiæ morem non gererent. Et manauit iam huius studij tam salutaris fructus ad aliorum pagorũ incolas.

Digitized by Google

Complures enim in quatuor anni temporibus confessionis causâ nos conueniunt. Imo etiam grauidæ Matronæ, quasi pro amuleto præsentissimo habent, contra omnes insidias, ante partum confessione sese expiare.

SEDES ZAGRABIENSIS.

LVII. INTER EA, quæ diuina manus speciatim hoc anno per Nostros efficere dignata est, primum locum vendicat mos ille supra hominum memoriam inolitus, Dominicis diebus forum celebrandi sublatus. Eo enim fiebat, vt plurimi à diuinis officijs concionúmq; sacrarũ auditionibus abessent, donec iam opera Nostrorum effectum, vt in publicis comitijs sanciretur, ne nundinationes istæ pernicioſæ die Dominico peragerentur: ídque in vniuerso hoc Sclauoniæ Regno obseruatur. Decreto huic facem prætulit Illustrissimus D. Thomas Erdôdi; qui iam tum ante inchoata Comitia è suis partibus forẽses hos negociatores omnes ablegauit, illud propalàm dictitans; nolle se ampliùs ob nundinas à Iesuitis reprehendi. Valuit viri tanti exemplum. Vnde fit, vt quibus ante hominibus fora, iam Dei templa repleantur: cúmque priùs diebus festis ægrè duo vel tres sacrum Missæ accederent, iam accedentibus conferta in templo multitudo vix locum concedat, ita vt foris sæpe pars esse, adeóque Sacerdos ipse sacris operaturus vi magna & lucta transire ad aram cogatur.

Tri-

Digitized by Google

Tribus anni celebrioribus diebus, Beatæ ſcilicet Virginis Aſſumptæ, Circumciſionis Domini, & Paſchæ, ſupra ſex millia ſacra exomologeſi peccata ſua expiárũt, & cœleſti pane refecti ſunt. Quod in his locis quàm mirum fuerit, vel ex eo colligere erit, quòd vir quidam Regni Primarius, demirantibus ciuibus & obſtupeſcentibus tantam mutationem, ad Illuſtriſſimum Dñum Banum Sclauoniæ prædictum, curſorem expedierit, qui veterem vrbi pietatẽ poſtliminio reuixiſſe nunciaret. Et quamuis non ita multus hic hæreſeos peſte deprauatorum numerus ſit, & ſupra viginti tamen gremio Eccleſiæ, vnde exciderant, ſunt reſtituti cum vno, qui Mahumetem priùs ſequebatur. Inter omnes nobilis quidam numerandus. Hungarus is erat, qui dum multa ſecum cogitabundus in vtramque partem diſputat, audit fortè ex vicino angiportu mali genij infrendentis murmur. Quid imprudens agat? Cur non & parentes, & quotquot habeat ſanguine iunctos ob oculos ſibi ponat, eos vereatur, & cum Myſtis illis (Noſtros notabat) de fide Lutherana deſerenda agere ceſſet? Si ſapiat, ad eundem locum poſtridie redeat, auditurum quid optimum factu ea in re videatur. Ita ſator ſartórque mendaciorum adhæſitantem & ancipitem. Refert homo factum omne ad Reuerendiſſimum Quinqueeccleſienſem, cui tunc famulabatur, qui viciſſim monet eum, ne ad condictum locum ſolus proficiſcatur, velle ſe illi comitẽ addere. Vbi vero ſequenti die ad ipſum locum deuentũ, ecce tibi tartare

Digitized by Google

prædo apprehensum hominem è collo, pertrahit in interiorem plateam, cui nisi illicò suppetiæ latæ, miser malum magnum sensisset. Vnde mox confessus Nostris, Lutheranæ perfidiæ nuncium remisit. Alius quidam grauissimis conscientiæ morsibus lancinatus, quòd sæpe sacrilegè confessionem repetisset, adeo ad furorem vsque extimulatus est, vt putaretur à malo spiritu obsessus. Hinc adhibiti circa hominem exorcismi, aliáq; remedia: tandem vero è Nostris vnum accedit, rem omnem exponit, suadetur confessio integra peccatorum: facit, licet non sine ingēti, vt fit in simili re, animi lucta, pudore, ac sudore. Sed post imbres serenitas animi ingens est subsecuta: sunt indicio sermones & vota, quæ post confessionem Patri nostro ingeminabat: *ô inquiens beata (mi Pater) quæ te in lucem hanc effudit mater! En perieram miser, traditus æternum diabolò; tu me hodie saluti libertatique asseruisti.* Inter quæ effata identidem Patrem amplexabatur, hodiéq; sanus & tranquillus non cessat grates referre. Erat Zagrabiensis quidam ciuis: hic in arcem Papensem profectus, dum carnes die Sabbathi mandit, offert se illi talarem indutà tunicam, in forma Sacerdotis (bonus fortè angelus) effigies, tali eum sermone compellans; *Heus tu bone vir? Hæccine illa, quam Zagrabiæ à Iesuitis edoctus es, de carnibus die prohibito non comedendis doctrina?* Ad quæ verba homo attonitus, confestim illinc sese proripit, domúmque repedans salutari confessionis Sacramēto admissum

scelus

scelus correxit. Extitit cerei sacri effigies nonnullis perquàm salutaris contra importunas lemurum infestorũ laruas, cuius beneficio sex supra viginti ab his incommodis sunt liberati. Hęc & similia Nostris procurantibus effecta vniuersam ciuitatem mirificè nobis deuinxerunt, quod aliquot, quæ subijciuntur, constabit exemplis.

LVIII. REVERENDISSIMVS Zagrabiensis D. Petrus Domitrouicz. difficillimis licet temporibus, nunquam ferè aditur, quin beneficijs antiquis aliquid adijciat noui, nupérque primùm centum vrnas vini nobis transmisit. Vix ingressus est pontificiam sedem, cùm mox aulam suam vniuersam per Nostros expiari sacra confessione curauit: qui nec domi nec foris absque Nostris quidquam fere aggreditur. Dixit idem è suggestu publicè in celebritate B. P. N. Ignatij de eiusdem laudibus ad duas horas. Sereniſſimus Rex Matthias II. contulit Societati, pro dotatione promouenda Collegij, Præposituram Glogouicensem, quæ fuit olim Canonicorum Regularium Crucigerorum Hierosolymitanorũ; multis verò annis possessa à Sacerdotibus non Religiosis. Hoc anno speramus ex illâ quingentorũ aureorum Hungaricorum prouentus; plurium sequentibus, vbi restaurabitur. Accedit Illustrissimus Banus Sclauoniæ cum Illustrissima coniuge, quorum munificentiâ, vt & aliorum complurium, aucta est aliquot centenis supellex tàm sacra quàm domestica.

Digitized by Google

TIROCINIVM BRVNENSE.

LXI. EST BRVNÆ non nemini vxor, quæ deperdita iam loquēdi facultate impari cum morte robore luctabatur; pro cuius valetudine maritus B. P. Ignatio Nostro votum nuncupauit, spopondítque eam se gratiam cereæ candelæ anathemate prosecuturum. Vtrumque præstitum: & B. Pater feminæ valetudinem, & iste Beato candelam exhibuit. Die eidem B. Patri sacro Illustriss. Cardinalis à Dietrichstein, Pontificio apparatu in nostro templo sacris operatus, in nobilissima magnatum corona grauissimam de Beati laudibus orationem habuit; quo etiam die & prandiū apud nos sumpsit, & mille Philippicos pro domûs fabrica donauit. Ab alijs verò, quibus pietas cordi est, præter tricenos, quatuor panni volumina, in pauperes scholarum nostrarum studiosos vestiendos attributa sunt. Sacrilegas & malè factas multorum annorum confessiones repetendo emendárunt viginti quatuor; quibus alij quadraginta septem annumerandi, qui totius anteactæ vitæ maculas sacra exomologesi deterserunt. Peccatorum confessione puella diram Dæmonis excitauit diuexationem, à cuius infestis vnguibus multis noctibus toto corpore vellebatur. Ex huius iurati generis humani hoctis vnguibus ad veræ fidei asylum confugerunt octo supra viginti; è quorum numero vnus in fide anceps, visus est sibi tota nocte

nocte cum Iesuita super Catholica fide amplectenda disputare, à quo omnia sibi fausta obuentura prædicerentur, si Ecclesiæ animum penitùs addiceret. Sopore deinde solutus, eundem simul videt quasi candidam columbam auolantem; ratúsque hæc à Spiritu sancto profecta, fusis ad DEVM lachrymis & precibus, virum nostræ fidei sibi comitem adiungit; Iesuitam, quem de nocte viderat, inuestigat, reperítque; manus lubens dat, & fidem amplectitur Catholicam. Alius itidem per quietem conspicatus virum à promissa barba venerandum, voce ad miserationem flexa iterantem, *ô* DEVS *bone? ô* DEVS *bone? quàm multi Euangelicorum vadunt ad inferos*! sensit sibi in pectore sanioſum hæreseos apostema rumpi; qui experrectus nihil habuit antiquius, quàm vt purulentas illas sordes eijceret, & verò eiecit.

Tertius videns peccati sui consortem inopina morte ea ipsa die, qua peccârat, extinctum, adeò ipse noluit in vitijs permanere, vt summam etiam adhibuerit curam, quò omne pœnæ tempus anteuerteret, conuolando ad Ecclesiæ gremium, subsidiúmque sacramentorum. Atque hæc veteranorum potissimùm industriæ sunt tribuenda. Quæ verò Tironum studio & diligentia annis superioribus laudabiliter inchoata fuerunt, Dei beneficio non sine accessione sunt continuata: quorum conatus ne tumultus quidem bellici aut palantes vbique milites retardare potuêre.

LX. SVBVENTVM ijs, qui crassâ omnium iustitiæ Christianæ rudimentorum ignorantiâ laborârunt. Inter alios homini fortè iam quinquagenario, cui in continuo formandæ Crucis studio priùs sudor fuit expressus, quàm hoc signũ benè impressit. Alteri seni ignoranti, & simul ad discendam salutationem Angelicam difficili, pertinacia simul & ignorantia excussa, iuuantibus ad id etiam ipsius vicinis rusticis, qui certam tritici mensuram promiserũt, si fateri modò ignorantiam & ab ea liberari vellet. Mulier in medio Catholicorum viuens, aliàs quoque Nostros docentes audierat: verùm ita indocilis stupidáque, vt nec Matris Dei nomen cognitum haberet, nec Christum pro se passum agnoscere: summo itaque labore effectum, vt nomen IESV memoriâ retineret. Felix quidam pagus est, in quo ex pueris, qui precari nesciret, repertus est nullus: superiorum scilicet annorum culturæ adhuc fertiles. Ad confessionem aut fidem omninò suscipiendam pellecti aliquot: plures abusus abrogati passim: quique infestationi luporum & Prædicantium manẽt expositi, ad se ipsos defendendos iuuandósque sunt armati. Ipsis quoque Tironibus nostris identidem sumenda arma cõtra gentiles & familiares suos, qui illos è propugnaculo Societatis deturbare nonnunquã conantur. Vnus sit exemplo, idémq; nobilis Polonus, Palatinidem vocant, qui B. Stanislaum Koskam, quem & sanguine contigit, egregiè est imitatus. Petierat à P. Prouinciali instanter, vt

in So-

in Societatem admitteretur, qui, perſpecta iuuenis indole, ſpe bona eum eſſe iuſſit, parentibus tamen inſcijs eum recepturum ſe negauit. Ergo iuuenis parenti per litteras conſilium ſuum aperit, eiúſque proſequendi facultatem ſibi fieri petit. Sed dum reſponſum (ſtudione an caſu, incertum) tardiùs expeditur, abſente iam P. Prouinciali, Noſtríſque omnibus inſcijs, nactus occaſionem ex Pædagogi abſentia, clàm ad nos profugit, & vt reciperetur, poſtulauit. Admiſſus eſt vt hoſpes, donec certum aliquid à P. Prouinciali de eo ſtatueretur. Interim ſecutus è veſtigio eum Pædagogus cum fratre natu maiore, & aſſecutus non in itinere (vt fortè ſperabat) ſed domi noſtræ. Queritur de ſublato diſcipulo, ſéq; in magno periculo, ac proinde etiam non in minore animi corporíſque ægritudine, eſſe ſciant: datur illi copia alloquendi iuuenem, & eius pene arbitrio (vim ſi excipias) committitur. Egit ille fortiter, ſed inuictum animi robur non ſubegit. Redit alterà die, & pugnam inſtaurat; ſed irrito conatu. Abit ergo triſtis & metu plenus. Interea gaudet Chriſti Tiro hanc ſibi obtigiſſe victoriam, ex quâ in poſterum tuta omnia ominabatur. Sed dum minimè ſollicitus eſt, maxima illi ſollicitudo oritur. Nam Pædagogus non ſolùm eius fratre, vt antea, ſed etiam duobus parentis famulis ſtipatus, variiſque literis à parente, à fratribus, à notis ad emolliendum animum aptiſſimis inſtructus, Brunam redit, & multò acriori pugnâ Iu-

Digitized by Google

uenem euocat. Videres illum inter domesticos inimicos plenum angustijs, elabi conantem (quod tamen illi permissum non est, vt sic eius constantia innotesceret magis) illos verò renitentes, & admotis minis, pollicitationibus, millèque artibus arietantes: non tamen (Deo solo Tironi suo opitulante) expugnantes. Quid plura? cessêre victi, qui spe victoriæ pleni aduenerant. Tiro verò egregiè confirmatus, strenuè in sui victoriâ desudat, ne tam præclaris initijs imparem finem imponat.

††*†*

†



PRO-

Digitized by Google

PROVINCIA GERMANIA SVPERIOR.

Censa sunt huius Prouinciæ capita quadringenta sexaginta quinque. Vnde viginti domicilijs distribuuntur. E viuis abiêre viginti tres: Tyrocinium octo & viginti subiuêre.

	Vniuersim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholast.*	*Adiutores.*
Ingolstadij	CII.	XXVII.	V.	LIV.	XVI.
Biburgi	VII.	IV.			III.
Dilingæ	XXXIV	XXI.	IV.	III.	VI.
Donawerdæ	III.	II.			I.
Fiessæ	III.	II.			I.
Monachij	LXXV.	XXXIV.	V.	XIX.	XVII.

	Vniuersim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholast.	Adiutores.
Eberspergæ	XX.	XV.		I.	IV.
Oetingæ	IX.	V.			IV.
Augustæ	XXXII.	XIV.	V.	V.	VIII.
Oeniponti	XIX.	VIII.	IV.	I.	VI.
Halæ	XIV.	VII.	II.		V.
Ratisbonæ	XXI.	XI.	IV.		VI.
Lucernæ	XVII.	X.	II.		II.
Aragni	III.	II.			I.
Friburgi	XXII.	XII.	IV.		VI.
Ventonæ	IV.	II.	I.		I.

Digitized by Google

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Bruntruti	XIX.	XI	II.		V.
Conſtantiæ	VIII.	V.			III.
Landſpergæ.	LXI.	VIII.			V.

Ab hæreſeon erroribus aſſerti quadringenti octoginta.
Super omni vita confeſſi ter mille.
Aſceticas commentationes experti quatuor & ſeptuaginta.
Grauiùs inter ſe diſſidentes priſtinâ amicitiâ copulati decem.
Pro pauperibus alijſvé pijs vſibus impetrati aurei trecenti.
Magnæ Dei matris. B.B. item Ignatij, Aloyſij, Caniſij, rerúmque ſacrarum ope malis ægritudinum ſtygiarúmque laruarum vexationibus liberati nouendecim.

459

Digitized by Google

COLLEGIVM INGOLSTADIENSE CVM Sede Biburgana.

I.

COLLEGII Ingolstadiensis inquilinis decessêre Socij duo: P. Antonius Sartorius annorum quadraginta trium, patriâ Augustanus, formatus iam Coadiutor; quem Societas annis aluerat tribus & viginti: virum charitate insigni, diuersisq; muneribus exercitatum, & in Ministri præcipuè officio fungendo singularem, omnium se voluntati & in primis superiorũ suorum nutibus accommodare solitum. Serpebat fortè Biburgi & per viciniam lues, quæ breui mortales multos consumpsit. Apud hos ille Societatis munia obire iussus, nauiter aliquamdiu impensèq; paruit: dum deniq; contagio mali afflatus ipsemet deijcitur, & ad nos ægrè delatus tridui spatio extinguitur. Alter fuit Andreas Obermair Monacensis, Adiutor familiaris, annorum viginti duorum; qui cùm impotentiùs febriret

Digitized by Google

briret æstuarétq;, morbi insolétiâ superat, quarto post anno, quàm Societatẽ adierat, decessit.

II. ACCESSERE ad nos sacrarum cõmentationum gratiâ tredecim: totius vitæ per piacularem confessionem repetendæ centum quadraginta, cæterorum millia plùs quatuordecim: hæreseos eiurandæ vndetriginta; quorum vnus, dum trahere rem per negligẽtiam pergit, ex funesta prouocatione velitationem orditur, in quâ telo incautus traijcitur: ibi metu vitæque desperatione festinare doctus accessit Nostrum, séque Catholicum fore recipit: quo facto & animum perfidia & corpus periculo liberauit. Non perinde cessit cunctatio alteri, quem damnata quõdam hæresis iteratò fefellerat. Is aliquando animi æger ac tædio victus sibimetipsi manus violentas infert, & cultro adacto ventrem aperit, sentítq; continuò plagam mortiferã esse. Audit, accurrítq; Noster: sed ille priùs, quàm cõueniẽdi copia dabatur, animã exhalârat. Opportunior aderat Sodalis ille Marianus, qui hominẽ reste animam elidere iam iam parantem laqueo excusso in vita seruauit: quod beneficium duobus alijs duo quoque alij præstitére Sodales.

III. EXTRA vrbem elementa Christiana vndecim pagis vtiliter sunt tradita. In oppido, cui Geisenfeldt nomen, auditæ confessiones octingentæ. Vnũ aliquid poterit recentius videri. Puellam fortè duodecennem in opere faciendo segniorẽ ceteri messores post se reliquerãt. Illa vtà ludibrio vindicaretur, cœpit contétiùs properare. Sed falx ei inopinatò hebescere, & puella mi-

rari

rari cœpit: moram pertœsa impatienter respicit: videt hominem ignoti oris, nec ineleganter vestitum: à quo rogata, ecquid incusaret; *Falcem hanc*, inquit illa. Hic ille suam ipsi opem promittere, recusare illa. *Quin igitur hoc agis*, inquit, *& ad hanc arboris umbram propere accurris?* Scisciranti causam virgini, ille, *vt suspendio*, inquit, *tuam ibi segnitiem vlciscare.* Detestata veteratorem puella humi repente affligitur, atque ibi deseritur. Aduertunt eam operæ, accurrunt reperiúntque furentem. Domum deportata octiduũ nihil sanius agit, pauere solùm, nihilq; ferè nisi ea proloqui, quibus familiæ persuadetur, malo genio ipsam turbari. Vocant igitur Curionem, Curio Nostros. Hi deprehendunt spectri eam imagine ludificari. Rebus proinde, quas tempus monebat, procuratis, templo imperant inferri, & confitentem ritè lustrant. Inde confestim terror pristinus remittere, & puella quietè agitare visa est: sicque Agno cereo & id genus amuletis sacris munita in tuto relinquitur. Templi instrumentum auxit hierotheca Eucharistiæ monstrandæ facta: eidem argentei calices duo accessêre. Scena item peristromatum propter aram maximam instructa. Vulgata sunt typis volumina complura, ad hæresin iugulandam pleraque; quæ omnia vnius Sacerdotis studium hoc anno elucubrauit.

IV. ÆDES B. Virginis quæ prope Biburgum visitur, magno fuit omnium concursu celebrata. Indidem femina honesta sanitatem reportauit, cùm menses ampliùs quinq; oculis capta votum nuncu-

Digitized by Google

nuncupâsset illuc ire, atque argenteum anathema suspendere. Vix constituerat, & affusæ lucis aliquid cepit; quo contenta haud multò pòst ad ædem contendit, nemine iam ductante. Adolescens præterea, qui opificium factitabat, quadriennio ab hinc in loca hæretica secesserat: ibi peste correptus Virgini huius templi supplicat, eíq; donum vouet. Erumpit illicò venenum, nulla cum eorum noxa aut damno quibuscum eodem in lectulo accubabat.

COLLEGIVM DILINGANVM CVM SEDIBVS DONAWERDANA, & Missione ELVACENSI.

V. OBIIT diem vltimum in Collegio P. Thomas Luz, Boius, Coadiutor formatus, quadraginta annorum: placido mitíque ingenio vir, atque inde mirificè charus: qui annos quatuordecim in Societate habitus ad diuersa munia parè semper industriam afferebat. Supremus illi morbus materiã dedit demonstrandę virtutis. Quippe cui venter infimus in lapidem durari, móxq; vlcere alio atque alio tumere, ac saniem denique spargere cœpit, totóque adeo corpore grassari, donec eam demum speciem præbuit, vt malignũ carcinoma metueretur. Medici dum malo remedium quærunt, diu omnes nequicquam fatigantur. Nam morbus in viscera se auertit, & virulento pure omnia corrupit. Sed ea nihilominus erat in gestu vultúque ægrotantis tranquillitas, vt cùm in tabido corpore cetera languérent,

Digitized by Google

rent, incredibilis patientia pene sola victitaret. Annum ita sesquialterum ferè continenter moriebatur, nulla re neque lætior sibi neque felicior visus, quàm quòd mortem inter socios oppetere contigisset.

VI. DE VLTIMA pueritiâ confessi quinquaginta. Ad sacram Synaxim admissa hominum millia duodecim, iuuenibus non adnumeratis, qui seperati fermè pascũtur. Ab hæresi vindicati resipuerunt sex & viginti. Cœpti exerceri pijs commentationibus septemdecim, in quibus Cœnobiarcha fuit cum quinque ordinis sui alumnis. Duos è Cœnobio religiosos carcer Principis attinebat, quorum res deploratæ nostram videbantur opem postulare. Igitur longo tempore quotidie cum illis actum, tentatóque omnia, quibus erigerentur. Nouissimè tales euaserunt, vt ad Tirocinium dimissi vehementer alijs probarentur, seseque ipsi iam demum intelligere dicerent, quid facere eius loci homines & quanto deceret luctu tot annorum iacturam expiare. Cœnobia per Prouinciam ex decreto Synodi erant lustranda: in quam laboris partem cùm Nostri etiam essent assumpti, magnum operæ pretium retulêre, abolitis passim superstitiosis carminibus plurimis, quæ singulari Antistitis edicto censorum iudicio fuerant subijcienda & permittenda.

Adolescentem non inanibus ludibrijs Cacodæmon mirè confuderat, illúmque diu noctúque infestum habere, atque identidem nouis insidijs petere perseuerabat. Proficiscenti iam equi-

Digitized by Google

equitem mentitus occurrere, mox in aliud portentum mutatus illum inuadere, modò aurum polliceri, rursus pessimas artes venditare. Quæ cùm omnia adolescens repudiaret, malè contusus ac nauteâ per vim affusâ in furorem actus, quacunque iret, præceps ruebat. Et primò foucam conspicatus insilit, iugulóque detecto cultrum admouere parat: sed accursu viatorũ seruatus, inde rursus educitur. Non multò pòst laqueo finire vitam constituit: iterúmque prohibitus pro semianimi in arcem deportatur. Ibi dum multa etiam nequicquam agũtur, & Sacerdotum ope nihil denique expeditur, ad proximum Cœnobium est transmissus: indidem desperatâ medicinâ Dilingam ad nos perducitur: probè omnia examinantur: iudicatúmque non de nihilo hominem turbari; quod ex indicijs non vanis licebat deprehendere. Igitur confessione lustratur, & Sacramento confirmari iubetur. Præterea quod ab hæretico baptizatum esse cõperiebatur, sacræ ceremoniæ aliíque ritus Catholico more additi. Quibus rebus peractis trãquillitas adolescenti prorsus est restituta. Quoniam verò pestilentia hoc anno passim in circumiacentibus locis grassata vrbi quoque timebatur, ex aduerso institutum, vt post peracta sacra publicè semper sanctorum auxilia poscerentur; quod precibus minimè irritis est factitatum. Nam etsi filium filiámque familias in frequenti domo sustulit, viginti tamen adolescentes, qui ibidem degebant, nullum incommodum passi euaserunt.

Digitized by Google

VII. VI. NONAS Octobris, quo die templi fundamenta iaciebantur, Illustrissimus Antistes summum ædis lapidem collocauit. Inde sacris operatus ad Collegium venit, virisque Principibus ac Præsulibus epulum dedit. Idem apud nos rem diuinam fecit eo die, quem B. P. N. Ignatio ætatem natalem colimus. Et lustraturus alpes Rheticas duos sibi Sacerdotes è Nostris adiunxit, qui præter cætera quattuor ab hæresi reduxêre. Interim liberali dono ad templi vasa calix vndequaque aureus & tela nobilis accessêre, aureorum septingentorum. Ad ipsam fabricam collati bis mille centum. Collegio ab amicis donata auenæ plaustra duo vini quatuor.

VIII. DONAWERDÆ ciuium animi cœperunt paulatim mansuescere, neque tam peruicaciter à vero dissidere. Interdici iám sibi per verum ieiunium carnibus haud ægrè passi: eiurârúntq; Lutherum quinque & sexaginta: sordes animi deterserunt supra tria millia. Vrbi præfectus illustri loco vir & nostri amans decumbebat ex febri quartum iam mensem, cùm visa fortè Beati Ignatij imagine venit in spē morbi pellendi. Vouet tabulam de argento, quæ ebeno prætexta Romæ ad eius aram appenderetur. Vix nuncúpârat donum, & illico febricitare desijt constanti in posterum sanitate: cuius beneficij testē ipsemet epistolam dedit ad R. P. N. & tabulam fixit. Ad pueritiam litteris & virtutibus sedulò informandam Boiorum Princeps aureos submisit centum, quibus libelli pij cōemerentur, & quadraginta alios insuper inopiæ pauperū sub-

leuan-

Digitized by Google

leuandæ. In hoſpitali res eò deductæ, vti hodie de quadraginta inquilinis anus vnica duntaxat cum Luthero ſentiat: ceteris ex decreto Principis ſacellum à fundamentis eſt extructum. Erat alicubi Sacerdos, qui annis fermè quadraginta cum nefaria pellice conſueuerat. Eum iam tanto natu ſenem hortabātur multi finem priùs flagitio quàm vitæ imponeret. Diu recuſauit: tandem inſperatò Noſtrum euocat, confitetur, & eiectâ à ſe mulierculâ, non multò pòſt octogenarius piè defungitur. Puellam loco hæretico natam aſſiduus brachij marcor conficiebat. Cōpererat illa ſimiles aliquando morbos in Andecenſi æde profligari: magnis proîn itineribus eòdem contendit, & brachium in primo ædis limine repentè ſanatur. Quare deſertâ patriâ ad nos adit, hæreſim abiurat inter Catholicos manſura.

IX. FIESSA in Rhętijs alpibus oppidum eſt, Abuſiacum veteres dixere: huc appetente vere Sacerdotes miſſi duo per menſes quinque ſtrenuè laborârunt. Eòdem ſub anni finem redierunt cum adiutore vno, atque ibi iam gratulante populo ſedem ſtabilem auſpicati impēſis Reuerendiſſimi Principis aluntur. Cœnobitam interim ad pias meditationes exercuerūt vnum, ſeptem hæreſi exoluerunt, malæ notæ libros combuſſerunt ad quinquaginta.

X. ELWANGÆ maximam anni partem duo Sacerdotes laborârūt, quos ipſemet Princeps euocauit, vt haberet quorum conſilio in rebus difficillimis vteretur. Accedebat, quòd per id tem-

Digitized by Google

pus numerus ingens ad rogum ducebatur eorum hominum, qui veneficij ac magiæ damnati Noſtrorum ſubſidio egere videbantur. Quippe intra menſes non amplius octo flammis addicti occubuêre partim viri partim fœminæ centum triginta ſeptem: triſte omninò ſpectaculum, ſed Noſtrorum labore mitigatum quodammodo: dum quantùm ſciri potuit, nemo ex ijs omnibus fuit, quem ſcelerum ſuorum non pœniteret.

COLLEGIVM MONACHIENSE CVM SEDIBVS EBERSPERGENSI, OETINGANA.

XI. TRES obiêre Monachij: P. Hieronymus Torrenſis Hiſpanus, quatuor vota profeſſus; qui Romam olim è Collegio Gandienſi euocatus Philoſophiam in Societate docuit ſecundus. Inde in Germaniam miſſus, ibíq; Theologiam multis annis publicè interpretatus immortale induſtriæ ſuæ monimentum reliquit AVGVSTINIANAM CONFESSIONEM. Ita extrema ætas illi inter Monacenſes acta eſt cum illuſtribus pulcherrimarum virtutum exemplis. Domi incedebat, velut ſemper cœleſtia animo voluens: nunquam in ſilentij leges vel verbulo peccabat: nunquam quidpiam aut facere viſus, quod Societas prohiberet; aut omitttere, quod iuberet: humana ita negligere & contemere ſolitus, vt externa neque alijs narraret, neque ipſe ſcire vellet, adeóque vix quemquam Sociorum nomina-

Digitized by Google

minatim noſceret. Rarò vultum cuiuſquā aſpiciebat, quamuis cum omnibus, vbi res poſtulauit, humaniſſimè ageret, primáſque ne ab infimo quidem deferri ſibi permitteret. Qui cùm vir eſſet ingenio acer & naturâ vehemens, nemini tamen moleſtum ſe præbuit vllâ de re conquerendo: otij apprime fugitans, ſempérque aliquid aut legere aut elucubrare inuentus: cùm pro ſumma nihilominus animi ſui modeſtia vt ſegnem ſe identidem increpabat, eámque ob rem aditis ſuperioribus propediem morituram ſe & inertiæ ſuæ rationem redditurum dicebat, niſi aliquid agere iuberent. Ita bonus ſenex impetrauit tandem, vt illi munus exhortandi Socios demandaretur, vix quidem intelligendus, niſi pro ipſo affectus loqueretur. Etiam pridem manuum tremore impeditus neque per ſe ipſe ſcribere, neque ſacris operari poterat, alieno miniſterio fulciendus; cùm eum mors adoritur excuſſum fortè aut è ſella aut ex vertigine humi proſtratum: cuius patientia, cùm aliquot dies ſatis ſupérque fuiſſet ſpectata, pectus aſſiduè manu pulſans, procuratis ritu Chriſtiano Sacramentis omnibus, religioſiſſimè deceſſit. Tenuit eum Societas alumnum per annos amplius ſexaginta, numerauítque inter felices olim Beati Ignatij ſpectatores: at in eo amiſſo deſijt Prouincia habere oculos, quibus vnis adhuc Parentem noſtrum meminerat ſe vidiſſe. Poſt hunc ſepeliendus fuit P. Michael Renner, tria vota ſolemniter profeſſus; quē ſingularis ingenij modeſtia & in rebus agendis ſolertia cō-

Digitized by Google

mendârunt: tum verò præcipuè charitas erga Socios animíque magnitudo in eo emicuêre. Egit pro Rectore aliquamdiu: variè dein' à Philosophiâ quondam explicatâ occupatus. Procurator Collegiorum fuit annis compluribus, scientérque in primis & diligenter id muneris administrauit: cúmque alia omnia dexterrimè faceret, in pueris tamen ad Christiana rudimenta formandis se pene ipsum superauit. Denique inter annum ætatis sexagesimum, religionis verò trigesimum ferè octauum, cùm alijs casibus conflictatus tùm febri demum & catarrho præfocatus expirauit. Tertio loco secutus est Wolfgangus Rieder Boius, iunenis annorum triginta & vnius, indole miti & quieta, artificio pictor; annos nobiscum vixerat duodecim, candore animi suíque despicientiâ & parendi alacritate merito suspiciendus: quem lenta phthisis consumpsit, patientię & modestiæ, quoad decubuit, singulare exemplum. Aliorum etiam quorundam Collegarum tametsi tentata fuerit valetudo, non tamen est profligata.

XII. EDICTVS per Prouinciam hoc anno Societatis conuentus Patres numerauit vndequadraginta. Ascetica nostra pertractârunt apud nos externi sex: hæresin abdicârunt vnus & triginta: stirps corrogata & pauperibus impensa, aurei mille septingenti: Sereniſſimum Principem Maximilianum in hostes abeuntem secuti sunt è Sacerdotibus nostris quatuor, quos ille sibi copiisque in sacris vsui esse cupiebat. Adiungenda sunt pauca, quæ haud fortuitò accidisse putan-

Digitized by Google

putantur. Vir nobilis & eruditus à geminâ febri malè habitus cùm ingraueſcere morbi vim ſentiret, & medici vltima metuerēt, iubet à Noſtris vnum ad ſe vocari. Is poſt alia, quæ res poſtulabat hominem monet, ſi ad B. Ignatij ædiculam in ſuburbano poſitam voto nuncupato ſacra fieri accuraret, ſanitatem poſſe ſperari. Perſuaſus eò mittit æger, quódque Noſter monuerat haud ſegniter perficit, ſimúlque febri penitus exempta conualeſcit. Cuidam feminæ genu vehementiùs intumuerat: ita circiter ſeſquimēſem doloribus non modicis exercita, tandem neque inambulare, neque in pedibus conſiſtere potuit, in lectulo aſſidua. Et timebatur ſectio aut certè nulla mali curatio ſperabatur. Tum illi in mentem venit eius tabulæ, quam in templi noſtri pilâ fixā aduerterat, vbi propter B. Aloyſij iconem pictus morboſi corporis homuncio videtur. Illa rata eum Beatum medicandis vtique ægritudinibus excellere, illi (quamuis ignara cui) ſeſe inter preces commendat: ita obdormit. Per quietem viſa ſibi eſt in ſinu eam ipſam tabulam fouere, atque indidem medicinam ſperare: expergiſcitur, ſentítq; & dolorem deſijſſe & tumorem pedis conſediſſe. Læta igitur eo bono pergit integram porrò valetudinem rogare, quam & paucis poſt diebus eſt conſecuta, adeóque vt iam præter mali veſtigium, etſi nullo cum doloris ſenſu, relictum ſit nihil.

XIII. ÆGROTABAT loco nobili & graui auctoritate ſenex, animámque propediem acturus nihil de periculo ſollicitus laborabat. Euocatur

Digitized by Google

Eberſpergã Noſter aliquis: qui breui hominem eò adduxit, vt expiato per confeſſionẽ animo veniam eos, quibuſcũ ſimultates exercebat, poſtularet: tum deinde adegit graui obteſtatione hæredes, vt ſi quem iniuria affeciſſet, ſingulos Philippicos denis cõpenſarent. Quos ipſos hæredes à parentis obitu inter ſe etiam diſſidentes idem Sacerdos Noſter opportunè poſtea conciliauit. Porro ijs maxime temporibus Eberſpergenſis ædes celebrata eſt, quibus peſtis graſſari ſolita: eius metu pagani ad D. Sebaſtianum ſalutandum diuináque myſteria percipienda certatim concurrerunt. Ante omnes Sereniſſimus Maximilianus Boiorum Princeps; qui ſagittâ aduerſus peſtem factà munitus eam pileo defixit, neque inde, quamdiu bellum fuit, refigi voluit. Hæreſim hîc deſeruerunt duo.

XIV. OETINGÆ verò plures: viginti enim numerati, quibus Catholicorum veritas potior fuit erroribus hæreticorum: cúmque vniuerſim expiata fuerint hominum millia viginti eóq; amplius, de tota vita auditi ſunt non pauciores etiam quàm mille. Burghuſium ac Brunouium & quidquid agri finitimi eſt crebrò perluſtratũ, ſolito relato fructu. Vixit è Sociorum numero vnus: Ioannes Algeier Sueuus, annos natus quinquaginta, Coadiutor formatus temporalis: præcipuæ cuiuſdam charitatis homo, quem cùm annis viginti quatuor cuſina exercuiſſet, tandem confecit.

COLLEGIVM AVGVSTANVM.

XV. Na-

Digitized by Google

XV. NATALEM B. Parentis noſtri Ignatij hoc primùm anno feſtum habuêre Auguſtani, déq; eius laudibus ad populũ dixêre: cuius etiã lipſana multis hîc ſaluti fuerunt. Eius Beati diuinis contemplationibus eruditi ſunt tres; in his Pontifex Boſnianienſis. Diſciplina Chriſtiana tribus adhuc locis tradita. Ab hæreticis reſipuêre duo & quinquaginta. Sacram Euchariſtiam adierũt ad viginti duo millia, ingenti ſuperiorum temporum augmento. Pagano quieſcenti ignotus à valuis hoſpes aderat. Experrectus homo nocte metúque territus æſtuat. Perſeuerat alter à feneſtris infeſtus eſſe, alter ſudare in lectulo. Interim larua ſtygia in cubiculo eſt, & iacentem minis atrocibus inuadit: ſed crucis ſigno fugata ceſſit, ita tamen, vt ex interuallo æquè terribilis rediret, actúmque de vita hominis videretur, niſi inclamata IESV & MARIÆ ſalutaria nomina opem tuliſſent. Ad eorum enim appellationẽ vox occulta inſonuit, quæ excedere veteratorẽ hominíq; ſpatium ſui corrigendi concedere iuſſit, ac coëgit. Deinde à Noſtro appenſa pagano cœleſtis agni cera, aliáq; facta, quæ minimè tñ ipſum defendére, quin altera ſtatim nocte ab eodem mõſtro rurſus infeſtaretur: ita exanimatus penè ad Noſtros reuertitur, conſiliúmq;, quod nuper non acceptarat, ſecutus confeſſionẽ inſtituit, adeóq; liber & ſecurus in poſterum diſceſſit. Iuuenem clarum & prædiuitem, paulò ante quàm animã ageret, inferni hoſtes vehementiùs territabant: qui quidẽ aliquãdiu luſtralibus vndis Diuíſq; inuocatis defẽdebatur, ſed inſperatò deniq; excla-

exclamare auditus est, actum esse de suâ spe, de suâ salute. Terruit ea vox familiã, & quòd Deiparæ Sodalem nôrant, ad eius Virginis opem anxij properant. Nec sanè tulêre Tartarij hostes earum precum vim, quin subitò fracti terga darêt, placidéque animam Deo reddente iuuene penitus euanescerêt. Iisdem hostibus alia etiam præda, quam in faucibus iam quodammodo & intra dentes habebat, per Nostros est erepta, septuagenarius, inquam, senex, qui dudum inferis caput suum deuouerat. Et appetebat propediem hora, quâ ex compacto viuus ad orcum raperetur. Res interim vulgata loci eius Curionem aduertit sollicitum omnino, quînam miserum ab lamentabili illo infortunio liberaret. Is igitur, cùm suis consilijs non satis fideret, Augustam ad Nostros contendit, indéque vnum è Sacerdotibus secum abduxit, senémque ærumnosum inter vincula & custodiã detentum ostendit. Conspicatus Patrem infelix resalutat: sed quærentem porro de statu & ad spem salutis excitantem iubet ea facessere; alteri quippe se addictum esse, & Acheronti initiatum, proinde absolui difficulter posse: additisque alijs similibus, & loco, vbi feralia sacra secum forent peragenda; ostenso perditum se damnatúmque affirmabat, & Patris operam velut inutilem deprecabatur. Aspersus igitur piacularj aqua, iussúsque Christiano se signo munire adduci nunquam potuit, vt vellet. Et cùm vim inferrent nequicquam obluctanti & reclamanti, sublatáq; in frontem manu crucem effingere laborarent, deterrimi canis species & non

Digitized by Google

non dissimile felis monstrum repente per hypocaustum apparuit. Hîc enim verò, Pater nihil cunctandum ratus iubet consecratam vndam ocyùs adesse, iubet haurire : tum quoque sacram ei ceram in collum inijcit, ceteráque aduersus cerberum arma expedit & disponit. Has res insperatò magna tranquillitas secuta, atque eò denique ventum est, vt catenis exemptus senex postero die in sacellum deferretur, ibíque superatis nouis difficultatibus manu missus Christo emanciparetur. Tum confessus & cœlesti pane recreatus sexto post die plenus spei defungitur.

XVI. MINDELHEMII, quod oppidum abest passuum triginta millibus, ab vno Sacerdote circiter nongenti quadraginta expiati. Quatuor è Lutheri cœno euoluti. Ad templi vestiarium Sereniſſimæ Virgines Austriæ Hala nobile donum miserunt, peregrinæ aureæque telæ vestem cum reliquo Mystarum apparatu : aureos alia centum, alia tabellam argenteam B. Virgini consecrauit. Propola Societatis cultor singularis sortem aureorum viginti templo constituit, ex qua quotidie singuli templo oboli pernumerentur.

COLLEGIVM OENIPONTANVM ET HALENSE.

XVII. CVM vtramque hanc vrbem proximo autumno pestis infestam haberet, eadem nobis quoque grauis Socios intercepit sex : Oeniponti P. Georgium Schradæum Boium, Coadiutorem forma-

Digitized by Google

formatum, post annos vitæ quinquaginta, quorum triginta nobiscum egerat; virum omnibus eximiè charum, & præsidum suorum mirè obseruantem, apud ægros excubare & moribundis solatia ferre perquam cupientem: à quibus etiam nondum peruulgata lue venenum inscius traxit, quod mox haud dubiè in familiam nostram itidem ignaram diffudisset, nisi eam maiora humanis amuleta seruassent. Gestiebat, cùm die fortè Sabbathi moriendũ sibi cerneret, quòd eum B. Virgini sciebat festum, eáq; de re cõstanti semper ieiunio coluerat. Altero funere elatus est P. Albertus Tanner Constantiensis, annorum vndequinquaginta; qui inualescente per vrbem malo primus sibi ægrorum prouinciam poposcit: & ea impetrata vehementer lætus dum alacriter rem gerere aggreditur, paucis diebus serpente contagio ipsemet expugnatur. Sex annos & viginti ordini nostro se probauerat, & in Philosophia interpretanda per nouennium, atque in theologia Morali operam non exiguam nauarat. Hunc in eadem prouincia & poscenda & sortienda excepit P. Gaspar Melchior, Brixinensis, formatus Coadiutor, eámque tres ipsos menses gessit cum tanta sociorum ciuiúmque admiratione, vt studium eius & mirifica quædam charitas hodiéque non vulgariter prædicetur. Is iterum pestilentia afflatus iam euaserat, cùm denique catarrho venatus in faciendo opere egregius miles occubuit: anno post initam religionem plùs vigesimo, ætatis quadragesimo sexto.

Ex Ha-

Digitized by Google

Ex Halensi Collegio lues eadem absumpsit, totidem, Sacerdotes videlicet duos, & familiarem adiutorē vnum: qui omnes in Societatis Coadiutores iam erant formati. Primum impetum P. Gregorius Winckler Sueuus excepit, qui annos in Societate numerauit septem & viginti, ætatis quinquaginta, benè religiosus & sui contemptu eximius, dum nouissimè iuuandis pestilentibus intentus lue ab ægris hausta interijt. Proximus fuit P. Georgius Nidermair, Boius, annorum quinque supra quadraginta: mansueto ingenio vir, & ad imperata facienda promptissimus. Eum post octauum decimum annum Societas ægris item adeundis designarat. Apud quos primæ charitatis argumenta cùm assiduè præbuisset, inter optimos denique conatus & ipse pestilentia laborare cœpit, atq; ex cōtagione præmaturè decessit. Postremus occubuit Stephanus Enzenberger, Boius, annorū quadraginta octo, Patrū duorum, quos diximus, in affectis visendis Socius, & per annos vndetriginta Societati bonus atque vtilis. Hi omnes vitam posthabuerunt alienæ saluti imitando posteris exemplo. Certè à talium virorum excessu ciues pleroſque iam alios videmus Halæ, & vel maxime Magistratum Nostri studiosum: qui velut parentes demum suos prædicare non omittit. Adhæc Consul ac Senatūs Princeps continuò inter Parthenios accenseri voluit, ex quo ordine neminem adhuc Sodalitas viderat. Consulē secutus est loci Paroch⁹. Nec tam facilè fortassis reperisset argumentū Societas, quo hæc tali-

Digitized by Google

talibus perſuaderet, ſi exemplis caruiſſet. Atque in hac communi graſſantis mali ęrumna initiu n triſte fuit Gymnaſio Oenipontano, quod omnem eius frequentiam momento diſſipauit.

XVIII. HALÆ fuit ratio ſeruata, vt alternis diebus non haberentur ſcholæ, alijs binæ tantummodo horæ darętur quotidie: ita & ex adoleſcentibus nemo correptus lue eſt, & citiùs reſtaurata Gymnaſij ruina. Porrò nec ab Halenſibus nec ab Oenipontanis nihil inter ciues eſt præſtitum. Pro Confeſſione generali auditi ab his quadringenti: ſacro epulo vniuerſim adhibiti ad quatuor & vicies mille: Exercitationibus pijs inſtituti Cœnobiarcha & eius familiares decem. Expeditio etiam in Vallem Venuſtam decreta: vbi ſimultates aliquorum ſublatæ: libri venenati exuſti, & ſacris luſtrati quadringenti. Halæ plures nunquam apud nos cœleſte epulum ſumpſerunt: eorum ſupra duodeuiginti millia numerata. Ibidem hæreſim damnauit vnus: duo meditationibus ſacris ſtuduerunt. Et quendam non infimi loci hominem ira aduerſus Noſtrum egerat præcipitem, qui paucis inde diebus peſte corripitur. Factus ipſe morbi ſui interpres vindictam alienati animi credit, ideóque ſupplex B. P. Ignatio & Sancto Vrbis tutelari Nicolao precibus fuſis promittit, nihil de cætero in Societatem IESV auſurum. Secundùm vota incolumis iterum lætúſque accurrit ad nos, rogátque factum ad DEI gloriam vulgari, dum nomini ſuo & perſonæ parcatur. Præter aureos trecentos in ſtipem

stipem oblatos auctum est templum Halēnse quadringentis.

COLLEGIVM RATISPONENSE, LVCERNENSE, FRIBVRGENSE, Aliquot Missiones.

XIX. MELCHIOREM Gattmair Coadiutorem formatum annos natum quinquaginta duos lōga tabes hoc denique anno consumpsit Ratisponæ; tertiō videlicet & vigesimo quàm in Societatem acceptus est, in quâ bonam semper atque vtilem operam fecit: homo antiquis moribus & animi candore excellens, obsequi vel ad nutum paratus. Nec sanè vulgaris in eodem apparuit charitas, & sui præsertim despicientia. Reliquorum industria Sociorum Deo propitio superstes fuit, & harum fermè frugum ferax. Adhibiti Eucharistico epulo plus decies mille: commentationibus nostris docti sex: quorum vnus è summa ęde Canonicus; alius Abbas, quem ea res mirificè iuuit. Is iam laborat suos eòdem perducere atque omnem Cœnobij disciplinam præclaris legibus sancire. Ad Ecclesiam vocati errones quatuor & quinquaginta. Inter eos duo nobili genere orti: vnus etiam præconis hæretici filius, qui lectis fortè Catholici nominis libellis à parente non dubitauit profugere. Pater quidam familias ad eum diem hæreticus in naufragio laborabat: ibi inter vitæ discrimen nescio quid ostenti conspicatus non esse nihilum arbitrabatur. Igitur quamprimùm euasit, cœpit er-

Digitized by Google

rorem damnare, atque adductis ad nos vxore & liberis officium Catholici facere. Adolescens ciue natus hæretico superioribus annis detestari clàculò Lutherum decreuerat, iámq; à profano eius cœtu abstinere & ad nostra sacra visere; idq; tam diù agere, donec visum est palàm Catholicum profiteri. Ea re ad parentem perlata filius graue capitis periculum adijt, & cultro petitus ab irato parente propemodum occiditur. Perfunctus tñ eo discrimine elabitur. Inde magnis precibus apud nos egit, vt inter religiosos alicubi degere posthac posset: quod & feliciter impetrauit. Donum obuenit templo aureorũ circiter nonaginta. Itum in siluã Boicam & more veteri pleraq; eadẽ factitata. Quinq; ibidem hæresim dedocti: magno numero confessiones auditæ.

XX. LVCERNENSES nostri viciniam pro suo animorum ardore non deseruerunt, tametsi non paucos pestilẽtiæ lues circa Collegium absumeret: neq; scholas item clauserunt, quamuis metus & periculum discipulos valde dissiparet. Exercuêre pijs cõtemplationibus quatuor: vniuersæ vitæ confessiones audiêre centum: hæreticos correxêre nouem. E Partheniano cœtu duos iam contigerat pestis ac medicorum iudicio pene extinxerat, quos creditũ est Sodalium precibus rursus conualuisse. Amicorum verò complurium mortes tristem nostris hunc annum fecêre. De ijs fuit Petrus Embergerus Collegio Beronensi præfectus, quem lenta tabes cùm diu exercuisset, tandẽ aqua intercus peremit. Optabat ille, vt nostri suos sibi oculos clauderent, qui

proin

Digitized by Google

proin à lectulo nunquam discessêre: Collegium ille propè ex asse hæredem scripsit, cauitq;, ne in ea re quisquam fraudi nobis foret. Alter Christophorus Hanoldus Vrbis Pharmacopœus, qui hæresi olim abdicata Nostris exinde familiarissimè vtebatur, ac Societatis iniurias acri semper contentione defendebat. Paucis ante annis cùm rerum atq; annonę difficultas inualuisset, aureos mille mutuos ab illo Collegium sumpserat: eius dein semisse recepto cōscius tenuitatis nostræ alterius semissis Chirographum aboleuit: vocatóque nuper ad se Rectori quingentos alios plenus gaudij numerauit exclusis arbitris, ne quam à mortalibus gloriolam referret. Illustris D. Franciscus Amodæus Principis Allobrogum Legatus templo calicem argenteum, matrona quædam pretiosum tapetum reliquerunt. Aliorum dona aureis trecentis æquantur.

XX. IN VALLESIA res feliciter gestæ: sed fermè earum similes, quas anno superiori memorauimus. Noua extitit Antistitis Sedunensis beneficentia; qui & propinquum suum nostris litteris imbuendum huc transmisit.

XXI. IAM verò quòd nullum damnum, occupante magnam partē Heluetiæ pestilentiā, passa sit vrbs Friburgensis, id palàm acceptum ferre Patri Nostri Canisio solent. Nam importatum aliunde malum in suis confestim principijs vidimus oppressū. Sacerdotes externi duo tradiderunt se asceticis nostris institutēdos: sacris expiata hominū amplius septemdecim millia: quatuor & nonaginta ab hæresi resipuerunt; & horum

Digitized by Google

rum pars non exiguæ constantiæ exempla aduersus parentum blanditias edidit. Puella certè exhæredari maluit & parentem pugione stricto minitantem ferre, quàm à verò descisc ere. Feminam nobilem partûs difficultas penè exanimârat, eâ iam à medicis ceterisque cõmuni consensu conclamatâ maritus vir æquè nobilis per noctem ad nos accurrit, receptóq; P. Canisij rosario (cuius iam sæpe vim multi senserant) redit, id in collum puerperæ inijcit : illa parit & in filij funere cõualescit. Alia eodem remedio vsa prolem viuam enititur. Complures aliæ admotis B. Ignatij lipsanis peperêre : quarum vna filium Beato Parenti cognominem esse iussit, eúmque Societati consecrauit. Templi moles ad fastigiũ perducta est. Donaria eò congesta haud vilia. Matrona nobilis organa addidit musica Philippicis ducentis coëmpta : papilionem aliæ duæ operis attalici sexaginta Philippeis paratum : alius vestem & aræ propetasma de serico : ipse Magistratus fenestras viginti qninque, impensis sexcentorum Philippeûm fieri curauit. Sed in magna amicorum copia sunt qui de nobis aliquando non optimè sentiant. Ac fatetur liberè quidam se maledicti sui iam pœnas luere, dum factâ fortunarum omnium iacturâ oculis insuper captus serò lamentatur. Cenotaphium Christi, & eiusdem nascentis incunabula nouiter structa.

XXIII. VERVM & dum per agrum Sirrensem magnos labores & molestias sustinent Nostri, ibi quidam calumnijs Societatem petere, & infa-

mes

mes in eam chartas spargere aggressus hoc moliebatur, vt nos traductos ab vrbe Seduno excluderet. Sed apologetico defensa Societas, atque ostensum, quæ indidem emolumēta in eam hodie gentem existant. Aliud à Nostro volumen de notis Ecclesiæ vulgatum. Scholæ in duas classes tributæ alumnos numerant centum triginta sex. Hi sub anni finem in proscenium dedêre diuitem Epulonem cum omnium plausu: vbi spectâsse putantur hominum non minùs sex millia. Interim quòd Sedunensis prætor iuratus familiæ nostræ hostis ex vrbe profugit, spes aliqua se aperit fore, vt breui in vrbem accipiamur. Apud Landerenses duodecim ab hæresi reducti: persuasúmque præter plebem primarijs, vt animi sordes confessione apud nos purgarent.

COLLEGIVM BRVNTRVTANVM.

XXIV. BRVNTRVTI se excolendos Nostris commiserunt septem: octo hæresin eiurârunt. Sacerdotem adorta febris penè iam confecerat: qui depositus à medicis particulam contendit, quantulamcunque de veste B. Ignatij obtinere, securus sui eam si acciperet. Missum est exiguum filum: quod vbi de collo suspendit, continuò remittere malum & ipse pòst paulò conualescere. Gratus ille palàm sospitatorem suum Ignatium agnoscit & prædicat. Templi instrumento additus calix argenteus, & in pensilem lychnuchum argenteum aurei centum.

Digitized by Google

XXV. COMPLVRIBVS locis in ſuburbano atq; in remotioribus item oppidulis aliquoties haud ſegniter laboratum. Multa inibi confeſſionum millia audita: multæ familiarum ſimultates cõpreſſæ, quibus nobiles aliique inter ſe ita diſſidebant, vt res ad mutuas cædes pertinere, & olim non leue incendiũ parturíre viderentur. Eas cõponere iam alij laborârãt ſæpe, & Noſter diu nequierat. Quare ad preces confugere viſum, & re priùs cum Deo communicata tum deniq; partes appellare. Induxêre tandem animũ, vt æquis cõditionibus pax iniretur. Sed illas quantò alter pertinaciùs dicebat, tãtò maximè alter repudiabat. Ita multis horis ac non leui cõtentione cùm minùs nihilo ſe proficere Pater intelligeret, ad Virginem Deiparam conuerſus vouet conceptis verbis, in eiuſce gloriam ſacrâ hoſtiâ facere, ſi res ad exitum perducerentur: vix finierat, & fœdera libentibus duorũ animis coëuntur, publicũ inſtrumentum ſcribitur & ſignatur. Atq; ab eo die conſtat omniũ iniuriarum obliuio. Socij præterea duo multis menſibus in Bruntrutani Antiſtitis comitatu fuêre, dum ille vel prouinciã luſtrabat, vel Delemontẽ peſtilentiæ metu ſecedebat. Vtrobiq; multa materies operis faciendi. Coacta Roſarij cõgregatio, leges latę atq; ſacra ſtata Sodalibus eorúmq; anniuerſarijs decreta. Et Delemõte ſpectris obſeſſa domus per annos octoginta identidẽ tumultuabatur. In eius domûs cubiculo virgines duæ incolébant: quibus poſtridie quàm apud Noſtrũ confeſſæ eſſent huiuſmodi ſe ſpecies obiecit. Hominis albentis vmbra ore vndique

dique obuelato per diætam incedebat, & aut lectulũ succutere solita, aut humi subsidere & caput subditâ dextrâ mœstum fulcire, inane strepere, cæterùm vox nulla. Hîc virginum altera postquam ex pauore se collegit, capit consilium eius vmbræ appellandæ, & animus iam noxis liber suppetebat. Intercedit puellæ soror. Res mane ad Nostrum perfertur. Ostendit ille, quid fieri velit. Interim nox altera appetit, & cum nocte spectrum. Continuò puella sciscitari, eccur id loci erret? quamvé opem ferri roget? Ad ea, visi manes altum ingemiscere, atq; irritò cœpto verba moliri: quippe oris duntaxat peregrinus stridor audiebatur. Tum puella: *quin igitur alijs*, inquit, *indicijs sensa mentis declaras, quando linguæ vsum non habes?* lætum conditione, spectrum multis noctibus insistit se explicare, ac modò precatorios globulos attollere, modò flammulis collucere videbatur: idque toties facere, quoties quidque fieri flagitaret: tum deinde vt alia ex alijs impetrauit, magis magisque resplendere, donec sub vltimam noctem planè radiatum prodijt. Sed inter hæc & talia signa nomen primò ac genus, tum quæ piacula fieri, quas preces ac stipes numerari quæque alia vellet curari, denique flammis se purgantibus perfunctum, pariáque in cœlo facturum ostendit, & nunquam deinde redijt.

COLLEGIVM CONSTANTIENSE.

XXVI. Nvnqvam fuit annus Collegio huic ea-

Digitized by Google

què grauis ac iſte; quem omnes propè incolæ aut habuerunt ſupremum aut timuerunt amiſſis intra pauços dies capitibus nouem. Adulto enim Maio peſtilens in vrbem lues etiam importata, nec diu poſt apertâ vi graſſari cœpta homines eateruatim quoſuis afflixit. Cùm ergo diuturnius malum hoc fore tam ardentia initia facilè oſtenderent, plurimi ex vrbe, quâ cuique promptum erat, diffugêre inprimis ſcholæ noſtræ alumni; ne ſcilicet diutiùs morati patria ſua excluderentur. Ita frequentis modo Gymnaſij & gemini Sodalitij flos momento omnis elanguit, & totam vrbem vulgata mortis imago conſternauit. In tali rerũ temporúmq; difficultate iuſſis etiã Magiſtris conſultò ſecedere, ex omni numero Sacerdotes nouem, adiutores ſex in Collegio ſubſtitêre. Quorum omnium operam vitámque vbi Noſter Eccleſiaſtes neceſſitatibus populi deuotam promulgauit, iámque adeo duos in ſtatione eſſe, qui quoquò vocati parerent, incredibile memoratu eſt, quàm ciuitas fuerit excitata: præſertim vbi rem ipſam verbis nihilo minorem animaduertit. Nam duo illi tota die paſſim percurſare, & Noſocomium ac plebeias ægrorum caſulas petere, ibique omnes iuuare certatim conſpiciebantur. Ea ſtudia etſi vix ſpatium illis relinquebant, quo ſacris operarentur, tamẽ ſoliti interim ſunt plagis ſe ipſi verberibúſque conficere, & iterum per hebdomadam veſtes cilicinas induere, iterum ieiunia ſibi indicere, demùm etiam cibos egentioribus precariò quæſitos comportare. Quibus exemplis permoti

moti ciuium aliqui, idem & ipsi sponte iam facere, atque ægrorum curam suscipere inceperunt. Sed è Nostris primas tulit P. Iacobus Strizius Cōstantiensis, natus annos amplius quadraginta, qui duodecimo post die quàm peste infectos adiuuerat lue consumptus decessit, cùm annos in Societate septemdecim, eósq; magnam partem in expeditionibus fructuosè posuisset. Nam & vitæ religiosæ & agendi felicitate homines pleroſque ad optima permouebat: quod in illustriū Virginum Collegio nuper est ostēsum. Quas enim alij multi ad paupertatis consilia reducere nequicquam contenderant, eas ille vnus veteri disciplinæ solerter restituit. Domi interim vitæ seuerioris retinens corpus suum arctè contentéque habere ac sese rebus humanis negare impensè studebat. Quotidie præter legitimas preces ac sacra, etiam alijs, cùm faciebant, aderat. Amore diuinorum penitùs ardēs inter familiares cœlestia loqui cum suauissimo sensu solitabat: valuitque eius sermo ad auditores perinde inflammandos. Sed elucebat singulare quoddam in omnes iuuandos studium. Et apud pestiferos curare cupidus pridē cum eo egerat, à cuius potestate pendebat, vt inualescente malo ea sibi prouincia mandaretur. In quam deinde sententiam cùm Horbæ (ciuitas est quæ Neccaro amne alluitur) degeret, sęuiente iam veneno, ad Collegij Rectorem litteras dedit, quas totidem verbis, quòd ita merentur, reddimus.

QVOD si mihi liceret simul pluribus adesse locis, in quibus sęuit pestis, inque ijs non modò

Digitized by Google

operam meam impendere, sed iterum & iterum mori, id mihi non tantùm peroptatum, sed iucundum foret. Nec dubitet R. V. me ad quæuis simile atq; etiam periculosiorem locum libenter progressurum, ac imò pro gratiâ habiturũ, si me mitti cõtingat, quia ad hæc & similia omnia extendit se sanctum Institutum & vocatio nostra, & inuitant eodem illustria Patrum nostrorum exempla. Adeò autem mori non horreo, vt inter vtramque hanc cogitationem (alteram qua fingo vobis me incolumem restitui, & vestra charitate exhilarari: alteram qua mihi videor hic claudere diem meum) vtraq; quidem iucunda, posterior tamen mihi accidat iucundior. Non sanè ideo quòd non timeam mori ob insequens iudicium (timeo enim mihi & timui semper vltrà quàm vel ego dicam, vel alius credat, vtpote conscius mihi mei ipsius) sed quòd sperem DEVM vel ob hoc ipsum genus moriendi fore propitium. Itaque me ipsi offero & trado in mortem quotidie, maxime autem, cùm contingit vocari vel vltrò accedere ad infectos. Quod ita facio libenter & hilariter, vt subinde nomihil hæream, & concutiat me cogitatio, ne propter meam causam nimis gratum habeam nuncium, cùm mihi de noua alicuius domûs infectione affertur, & plùs placet hoc quàm aliud morbi genus nominari. Id autem fit, tùm quia certus sum nullius prorsus fore iacturæ meam, tùm quia confido eandem mihi profuturam plurimúm; & postulat causa mea,

& quia

& quia diu malè vixi, saltem quæram quoquo modo benè mori, & spontaneo aliquo vitæ impendio infinitos & inexplicabiles superioris vitæ errores castigare. Vtinam autem eam gratiam à Patre misericordiarum impetrem, vt siue peste, siue aqua, siue alio quouis modo, dummodo aliquo, immoler DEO, cui me tot modis debeo. Quod dum ex imo animi sensu scribo, loquuntur DEO defluentes in chartam lacrimæ, & misello mihi misericordiam poscunt. &c. Hęc eius verba. Nec diuersa sunt, quæ in eius commentario legimus, quo ephemeridē rerum suarum complectebatur. Quarto, inquit, Iulij (nam quarto decimo Calend. Augusti obijt) volens libensq; votum signaui mortem oppetere, etiamsi cōmunis moriendi necessitas non esset. Idq; primò ob DEI gloriam, cui omnia mea debeo. Secundò in honorem Christi pro me vltima perpessi. Tertiò vt gratiam cæteris eius beneficijs referrem. Quartò vt à meis criminibus pœnas sumerem. Denique vt Christi mortem imitarer. Atque eo pacto rem cæteroquin necessariam habebo mihi votiuam. Clauditque votum hoc epiphonemate: Placeat id supremæ Maiestati, & conducat pauperculæ animæ meæ. Ex his aliisque talibus facile fuit videre, qua virtute, quové fructu, & viuere ille vir studuerit, & oppetere desiderarit.

HVNC secutus tertio Non. Sextil. Henricus Neuweiler Turgouius, Coadiutor, sexto post initam Societatē anno, ætatis vigesimo quarto. Qui vt Patri in ægris cōueniendis socius adderetur,

Digitized by Google

tur, iteratis precibus impetrarat. Verùm is breui funere longioris vitæ moleſtias redemit. Tertius in eadem contagione P. Caſtolus Agricola, Boius, annorum vndeſexaginta, dum benè de omnibus mereri laborat, ſexto decimo Calend. Septemb. extinguitur. Annos plùs quadraginta in Societate egerat, & Coadiutor formatus inter primi nominis operas cēſebatur: doli omnis malitiæque expers ac planè germani pectoris: ſui admodùm contemnens, & ſemper etiam in diſſimili fortuna ſimilis. Crebris in profectionibus fermè pedes cum baculo & pera cōſpiciebatur, legum interim ac ieiunij curiosè obſeruans: gemina omninò ſpecies primorum Patrum. Ad omnes quidem maiorum nutus alacer: ſed in ęgrotis ſubleuandis ſe ipſo promptior. Cuius rei argumentum dedit in litteris ex Horbenſi agro ad Rectorem Collegij miſſis: quarum fragmentum eius ipſius verbis ſubiungo.

Quod inſinuat R V, ſe nos; ſi periculoſum vrbis huius ſtatum ſciuiſſet eò non miſſurum fuiſſe, liberamus R. V. omni cura; non enim ipſa nos miſit, ſed rerum omnium moderator Deus, in cuius nos quoq; familia & tutela ſumus, vbicunque ſumus. Quid enim optimè P. Rector mali, imò quid nō boni eueniat nobis, ſi cauſa amoréq; Dei, ſi cōſcientia pura, intentione emori recta, illibata fide, firma ſpe; ſincerâ charitate contingat? Dicam ego, & verè dicam, nec puto me falli, in hoc periculoſo negotio plures conſolationes ſenſiſſe me, quàm domi in quieto cubiculo.

Et

Digitized by Google

Et paulò pòst; Nos meditabamur de sepulchro Christi passi excitãdo, at nunc mutatâ sententia de loco sepulturæ nostræ diligendo cogitamus. Atqui quò minùs trepidet cor nostrum, conuentum iam est inter nos de modo, formula, verbis, precibus, quibus alter alterum animet & consoletur in discessu è vita. Non tamen quicquam formidamus toti oblati, traditi, resignati, consecrati diuinæ voluntati. Huius mortem paucis post diebus cõsequitur Petrus Fuchsius Moguntinus, annos natus sex supra quadraginta, opificio arcularius, pérque annos octodecim Societati probatus. Ingenium illi erat incitatum ac vehemens; ceterum eam sibi continuò vim afferebat, vt se ipse præclarè triumpharet. Prodesse Collegio diutiùs poterat, nisi charitas eum ægrorum ministerio fungentem maturè cœlo designasset. Quartus ab eo funere dies Collegio Ministrum eripuit P. Christophorum Gebhardum, Boium, trigesimum agentem ætatis annum, præclara virtute atque ingenio virũ. Quem quantò maioribus rebus idoneum alij, tantò se ipse minorem reputabat. Inde primas omnibus dare, honorem prior cuiuis habere, ac si quà opus erat, tam modestè alijs imperare, vt rogare crederetur. Eum semper inter preces animaduersum est genibus humi fixis nullo niti fulcro consueuisse. Sed nimirum in magna omnium spe, pestiferi, quibus solandis se obtulerat, sua illum lue afflatum necarunt. Proximum funus fuit Guilielmus Mang, Sueuus, septem & triginta annorum administer sedulus & inde-

Digitized by Google

indefessus : annis septendecim aduersus Maiores apertus ac fidus: tum in otio fugiendo inque precandi & parendi studio spectatus; qui vt sensit è voluntate superiorum esse, si decumbentibus ministraret, nullo imperio coactus negotium accepit, idque alacriter gessit; tum tribus demum elatis ipse pestilenti tubere infectus occubuit. Eo nondum humato mors alium aggressa triduo exanimauit. Is fuit Leonardus Koler Ambergensis de Palatinatu inferiori, annorum quadraginta, adiutor formatus, suorũ facilitate morũ & obsequio charus. Qui annis nouendecim plerumque æditui munere functus impetrauit, vt omnium primus in nostri templi conditorio humaretur. Cæteri enim quòd peste obierant in vrbis cœmeterium elati : hunc siue angina, siue aliæ faucium glandes strangularunt.

XXVII. ET IAM vix restabat de Socijs, quem præterea contagio peteret, cùm repente senectus, quæ ipsa morbus, optimum Patrem Alexandrum Heller Viennensem Austrium cœpit in capitis discrimen adducere. Cuius viri vitam consultum est altiùs paulò repetere. Parentes habuit Viennæ probè Catholicos ac primos ibi Nostrorum hospites. In quos adolescens intuitus, illorum mores atq; exempla pensitare, mox secum ipse illos suspicere, ac demùm ad eorundem familiam animum applicare. Romam proinde profectus obtinuit à B. M. P. Laynes, vt reciperetur, annos tum natus vnum & viginti. Inde non leuium virtutum edito specimine

Digitized by Google

cimine quatuor Societatis vota nuncupat, ac Philosophiam primus aggreditur fideique controuersias docere: tum deinde concionatorem in amplissimis pulpitis agere annis circiter duobus & quadraginta. Præterea confessionibus accipiendis vacauit annos quadraginta sex. Ad hęc Rector Collegijs annos quatuordecim, diuersis sedibus annos tredecim, tironibus fermè quadriennium præfuit. Ad extremum trium Collegiorū fundamenta feliciter iecit, atq; in Societate annos omnino duos & quinquaginta vixit. Precū inprimis atque vitæ rigidioris extremè amans, simul cubitu surgere, aut è mensa licuit recedere, & ante quàm abiret domo, vel postquam domum redijsset, primum perpetuúmque habuit in templum decurrere, atque coram SS. Eucharistia supplicare. His verò diebus, quos ferè totos confitentibus dabat, ne stata meditationis tempora omitteret, hora minimum vna maturabat ante cæteros surgere. Iam tanto natu senex cilicinas tunicas induere, seséque cum Maiorum venia pergebat flagellare: & in culina (neglecta quam habebat immunitate) lances quouis octiduo extergere, & quidquid in victu eximium recusare: præter indicta ab Ecclesia ieiunia etiam Sabbathina sibi statuere.

Porrò ea erat Patris huius qua in agendo qua in dicendo modestia, vt compareret in ipso perpetua sui contemptio. Vnde neq; de se elatè, neq; de quoquā abiectè sentire, & verò neminē dicto offēdere audiebatur. Externos iuuare promptus vel intempesta nocte, si quò vocaretur, properabat,

bat, senij nimirum oblitus. Templo pertinaciter affixus, ne quando in perpetua statione periclitaretur, vi erat propè abducendus. Nouem adeò extremis anni mensibus audijt solus duodecim millia confessionum ducentas sexaginta. Nemo autem erat facilè, qui morum eius verborúmque suauitate non caperetur. Ipsa oris honestas Religionem spirare, & animos intuentiũ mutare solebat. Eo factum, vt apud viros etiam Principes impendiò coleretur. Quemadmodum est, quòd Ferdinandus Austrius Cæsaris patruus eum Oeniponte inter solemnem ferculi Eucharistici pompam fortè conspectum ex omni turba acciuit, & iuxta se incedere, latúsque sibi claudere coëgit: stupẽte ciuitate, quæ rei insolẽtiam non nesciebat. Patientia in paucis claruit, assuetus durare, & mansuetè quasuis aliorum moras perferre. Cui præcipuè virtuti & Collegium & vrbis mutationem in acceptis ferendam iudicant rerum non ignari. Obedientiam supremis studijs coluit: cuius argumentum perscribam vnum. Vratislauiæ commorabatur, eius gentis Pontifici vehementer gratus, & de Collegio excitando potestatem iam acceperat: eùm subitò litteris Superiorum auocatur, iubetúrque Oenipontem discedere. Perculit Antistitem ea res, ac litteras ad R.P.N. parat Patris Alexandri retinendi. Quo comperto Pater, etsi intelligeret omnem Collegij spem interrumpi, si discederet, nititur tamen eum à consilio reuocare, quòd diceret, in Societate nihil se ante Obedientiam habere. Admiratus præclaram homi-

Digitized by Google

hominis vocem Antistes, Patrem denique dimisit. Etsi autem continenter laborabat, tamen fatebatur hominem se esse nihili: neque id moris aut dicis causâ. Cùm enim pestis iam eos, de quibus supra demonstrauimus, absumpsisset, Rectorem adijt, seriisque precibus egit, vt ipse eorum vicem in ægrorum excubias successor mitteretur. Senem quippe se, neque ad cætera idoneum, ac mox moriturum, à nullius funere minùs detrimenti passuram Societatē, quàm à suo. Quarto die ante morbum ceu futuri metuens omnem à pueritiâ vitam Rectori exposuit, oppidò miranti, quid iam sibi vellet. Sed euentus docuit, consultò feciisse. Iam autem æger, vbi resciuit se pestilentem medico videri, maturauit tria à Rectore petere. Primùm, vt ritè omnibus sacris procuratus tempestiuè à Nostris desereretur, ne quem ipse alium afflaret. Tum vt recta in valetudinarium deferretur Nostris pestiferis seruatum. Postremò vt in communi cœmeterio conderetur, ne quâ Nostris incommodaret. Quarum tamen rerum nulla opus erat, quando breui compertum est, morbo contagionem abesse. Interim vulgatâ per vrbem famâ P. Alexandrum decumbere, pleriq; suorum funerum obliti eius periculo commoueri, ac Magistratus ciuicus confestim omnia agere, & quæ seruando illi essent, promittere, inani quidē cœpto. Nam is inualescente malo, V I. Non. Octobres diem suũ piè oppetijt, annos natus septuaginta duos. Quem postquàm increbruit vixisse, continuò mittit Magistratus, cupere se, vt præ-

Digitized by Google

ter eorum temporum rationes interdiu sepeliatur, atque ei ære campano iusta designentur. Quod simul insonuit, tota ex vrbe accurritur, omnis sexus, omnes sacrorum Mystarúmque ordines cum lucentibus cereis apparent. Alij complorant, alij felices se prædicant, si quas de optimo sene reliquias capere, aut libellum aut icona liceat, aut quiduis aliud, quo vsus fuisset, nanciscì.

XXIX. DVM horum talium Patrum funera Constantiæ curantur, & vnus præterea Coadiutor in expeditione Neoburgensi moritur, veritus Magistratus, ne in eadem reliqui se pericula inferant, mittit è Senatu duos, qui rogent siue iubeant, cæteros sibi parcere, sanísque se reseruare. Et quatuor de omni numero superabant, qui ita paruerunt, vt quosuis tamen templo recipere, & sacris pergerent lustrare. Secundùm hæc P. Rector voto se Sociósque DEO, Deiparæ, S. Sebastiano, ac BB. nostris obstringit, aliáque piacularia concipit, vnde nobis incolumitas stetit. Pro ciuitate quoque ter decreta supplicatio ad summa vrbis templa. In prima acie duxêre nostri Catechistæ puellas puerósque plùs septingentos: mox sacra Collegia cum cœlitum lipsanis, sequebatur Magistratus cum ciuibus. Agmen claudebant matronæ. Omnium capita censa quatuor millia. Hos inter ordines nulla loquentium vox erat, nullus qui pileo solem defenderet: omnes propè aut manabant lachrymis, aut lacrymas spectantibus ciebant. Interea loci confitentium

accur-

Digitized by Google

accursus ingens. Totam vitam recognouêre ducenti triginta octo: hęresin posuêre vnus & quadraginta: quibus hunc non iniuria adnumeramus, quem filius æger & nouennis deprehenderat non bona fide Catholicum. Is puer malè à morbo habitus, Sacerdotem nostrum desiderat, eique, prout in ludo fuerat edoctus confitetur. Inde vix digressum iubet illicò reuocari, quòd aiebat nescio quid memoriam fefellisse. Hìc parens compendio vsus incipit Sacerdotem fingere, ad lectulum adsidet, ei filiolus mendacio deceptus arcanum aperit, réque omni effecta parentem denique agnoscit. Enimuerò hic æger se erigere, patrémque acribus oculis intuitus: *Tu vero quid commento intempestiuo me ludis? æterno Numini pœnas dabis, ni mox abiectà larua Catholicum simulare desinis, atque de omnibus vitæ noxis confiteri festinas.* Parens non insuper habuit hanc pueruli iram, discedit animóque vehementer affecto vltimę pueritiæ culpas Nostro Sacerdoti credit. Nec diu post eodem morbo, quo filius, extinguitur.

XXX. IN SVBVRBANO decumbebat vir genere ac rebus gestis illustris, quem sollicita coniux frustra ad confessionem hortata Nostros consulere cœpit, quid facto opus esset. Ii nocte intempesta veniũt, in arcem tanquam de viâ diuertunt, ægrũ adeunt, de morbo rogant. Ille rectè omnia esse, ac ne confiteri iuberetur, nunquã ait sibi suauiùs fuisse. Nostri tergiuersationem odorati hominem apertiùs adoriuntur; tentant,

agúntque omnia: & nouiſſimè perſuadent, vt in officio Chriſtiani hominis eſſe, atque aduerſus periculum muniri velit. Tum dato ſpatio ſui examinandi ſecedunt, eúmque in finem alterum ſacram facit. Quâ commodùm peractâ æger mirificè mutatur, iámque ipſe Patrem properare iubet, atq; omnem ei conſcientiam cum rari doloris ſenſu committit. Inde coniuge fratréque in gratiam receptis, à quibus nimioperè diſſenſerat, & nocte ea in pijs ſermonibus tradu-cta ſuauiter ſpeíque plenus exceſſit. Templi ſupellectilem nobilis vidua torquibus duobus auxit: quos aureis æſtimes propè quingentis. Alia teſtamento legauit aureos centum.

EXPEDITIO NEOBVRGENSIS ET HORBENSIS.

XXXI. NEOBVRGVM Alſatiæ oppidum indicta expeditio ſeſquialterum menſem tenuit. Ibi præter multa noſtris communia quinque ad Catholicas leges reuertêre. In his vidua prædiues & perfidiæ tenax. Hanc etſi deſperatam rogatus adire Noſter priùs ſe ipſe flagris concîdit: fuſus dein' in preces atque ſublatis in collum B. Tereſæ reliquijs feminam cõuenit, de religione agere incipit. Incipit femina audire, ſed & audiri. Poſt tertiam contentionis horam victa ceſſit, réque plenius conſiderata errorem palàm abiurauit, vitæque prioris culpas depoſuit. Malæ publicæq; conſuetudines ex oppido proſcriptæ. Libri hæreſeon ſponte allati & combuſti. Mulie-

Digitized by Google

Mulierem prægnantem ægritudo & extinctus (quod metuebat) in vtero fœtus sollicitam habebant. Suasit Pater, vt noxijs expiata cœlites vocaret. Paruit, & ipsa illa nocte, secus quàm exspectabatur, viuam sobolem tollit: pòst & mater conualescit. Alium in peste laborantem idem monuerat, vt periculo poscente ante vesperum se componeret. Qui tergiuersatus die se postero respondit obtemperaturum, sed ante eius diei diluculum impiatus defungitur. Obstupefecit ciues mira Nostrorum charitas, qui eos videbant ægris omnibus parem assiduè operam locare, & duos aliquando trésve vno in lectulo vnáque lue oppressos adire, cæterísque interim diffugientibus singulorum confessiones excipere. Quo factum, vt Georgius Renner, annorum sexaginta quinq;, egregiâ fide & charitate Socius, Adiutor formatus, febri Vngarica intra decimum diem consumeretur; cùm ante se quibusuis belli præsertim pestísque necessitatibus lubens deouuisset. Vir obedientiæ studiosus & otij impatiens. Annos egerat in Societate tres & triginta, bonis omnibus charus, de quo verbatim hæc ad Socios Iurecõsultus. Lugent omnes obitum humilis fratris Georgij, senes simul ac iuuenes, pueri & infantes: ita námque mansuetum, benignum, affabilem, ac officiosum se gessit erga singulos, vt tanquam gratus DEO & hominibus meritò sit lugendus. Hæc ab æterno teste. Rogabat Pater, vt funus more plebeio duceretur: sed Magistratus in principe templo iussit funerari, quantâ maximâ potuit põpâ.

Digitized by Google

Comitatus nunquam id loci visus maior: feretrum gestabant sex nobiliores eius gentis iuuenes: plurimi in pulla veste eum dolorem testabantur, quem fratribus germanis debuissent. In plateis pueri, quacunq; ibatur, adorantium ritu procubuêre. Venerunt & Cappucini duo ex oppido propinquo, & funus prosecuti iusta se illi inter suos facturos promiserunt. Tanti fuit exemplo religionem ostendisse.

XXXII. NEOBVRGO Horbam itum, vbi Patres duo lætis omnium acclamationibus accepti rectà se ad opus accinxerunt. Pro concione populum, Catechismo pueritiam instituerunt; & quòd peste iam locus erat infamis, omnibus sui vtendi copiam publicè fecêre: attonitis eâ promulgatione ciuibus, ac priorem de nobis suspicionem incusantibus. A Luthero auocati quatuor. Peccatis liberati mille centum. De vniuersis vitæ maculis confessi tredecim.

DOMVS PROBATIONIS LANDSPERGENSIS.

XXXIII. FRVCTVS spiritualium exercitiorum manauit cùm in alios, tùm in duorum Cœnobiorum religiosos; quibus inquilini se omnes Nostro dirigente excoluerunt; vnde & disciplina inter illos reuixit, & studium religionis ingenti auctu creuit. B. Pater Ignatius multis subsidium tulit, feminis præsertim parturientibus: in cuius honorem ciues cereum benè magnum decre-

Digitized by Google

decreuerunt, quem ex stipe viritim coactâ & institutâ ad ædem nostram pompâ iuxta eiusdem Beati imaginem dedicârunt. Famulum nocturnæ formidinis larua sæpe territauerat, nec vllo hominis consilio abigi aut vitari poterat: quam cum denique nocte quâdam consurgens & equis fortè pabulum obsipans informe ipsius Cacodœmonis simulachrum esse deprehendisset, desperatis omnibus animum ad confessionem de peccatis instituendam adiecit: instituit apud Nostrum, atque ex tempore spectra videre desit.

XXXIV. ABSTVLIT hic annus nobis Illustrem Dominam ac planè domûs matrem, Mariam Comitem ab Hohenzollern, Illustris Swickardi Comitis olim ab Helfenstein coniugem. Qui ambo iuxta in nos liberales, ac primi omninò Mœcenates extitêre. Sed ille annis abhinc duodecim defunctus viduam hanc reliquit superstitem: quæ continuò ad generis splendorem magnarum virtutum decora addidit. Sericas quippe vestes à corpore deponere, victúmq; paruo parabilem inter ancillulas capere, ac si quid delicatius apponeretur, vix delibatum ægris mittere; quibus & aliàs vnicè benignam se præbuit, ita vt eorum necessitatibus Pharmacopolium instruxerit, illósq; liberali stipe subleuârit. Quin desiderabat ipsamet bonis omnibus dispensatis de stipe victitare, si quem eius cõsilij auctorẽ reperisset. De cuius incredibili modestiâ ac religione hæc porrò paucula iuuabit attigisse.

Digitized by Google

Simul maritus decessit, nostris exercitationibus voluit institui, eásque ferè singulis pòst annis repetiuit; vitam, quâ licuit, omnem ex legum nostrarum præscripto sibi formans. Bis quotannis generalem solita est confessionem instituere, interdiu bis conscientiæ rationes poscere, & singulas horas meditationi tribuere, sexta feria ad nostrum morem abstinere, intérq; epulas lectionem audire. Matutinum tempus inter sacra ferè transigebat: pomeridianis horis iam operi iam precibus dedita, quas etsi debilis tamen plerumque genibus nixa fundebat. Leuissimas culpas à se admissas vehementer exaggerabat, déque ijs vix aliquando nisi illachrimans confitebatur. Quinque antè annis breuiarium scripsit, quid ægra secum & mortua vellet fieri: in quo nihil prudentiæ aut religiosæ virtutis desiderares. Vbi inter extrema hæc monebat, ne quis ad ipsam profanus admitteretur, sed exclusis omnibus Nostri adessent, animámque precibus ad iter supremum prosequerentur: quod & consecuta est. Cùmenim ita semper cubitum abscederet velut nunquam surrectura, accidit, vt pridie vltimum diem incolumis domi sacro epulo reficeretur, & sub noctem deinde mediam euigilans, viribúsque defecta, animam repentè ageret, præsentéque Nostro placidissimè expiraret. Ea deinde in templo nostro honorificè cum Illustri coniuge fuit humata.

Cæte-

Digitized by Google

Cæterùm ea est, quæ pridem à fundamentis hanc domum probationis & templum nobis extruxerat, eadémque optimis, quibus poterat, instrumentis rebúsque semper iuuerat: nunc verò nouissimè totum nobis assem reliquit. Aliunde calix argenteus templo comparatus. Domui hortus coëmtus. Oblatæ item hæreditates aliquæ, quibus nomina olim facta dissoluentur.

††*†*

†

Digitized by Google

Duo supra viginti huius Prouinciæ domicilia alunt è Societate quingentos viginti septem: vitâ functi nouem supra viginti: in eorum locum plures decem Nostris adiuncti.

	Vniuersim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholast.*	*Adiutores.*
Collegium Colonienſe	XXXIX.	XIX.	IV.	V.	XI.
Treuirenſe	XXXIV	XV.	VI.		XIII.
Moguntinum	LXI.	XVIII.	IV.	XXVI.	XII.
Spirenſe	XXIX.	XIX.	V.		V.
Herbipolenſe	LII.	XVI.	VI.	XVIII.	XII.

Digitized by Google

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Fuldenſe	XXIV.	IX.	VI.		IX.
Heiligenſtadienſe	XVI.	VI.	V.		V.
Molsheimenſe	XXVIII.	X.	VI.	VI.	VI.
Confluentinum	XX.	VIII.	V.		VI.
Paderbornenſe	XXVII.	IX.	V.	VI.	VI.
Monaſterienſe	XXIV.	XI.	VII.		VI.
Hildesheimenſe	XXII.	VII.	V.	V.	V.
Embricenſe	XXIII.	XII.	IV.		VII.
Aquiſgranenſe	X.	V.	III.		II.
Bambergenſe	XIV.	VI.	III.		V.

Digitized by Google

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Sedes Altenenſis	IV.	III.			I.
Erfurdiana.	VI.	IV.			II.
Bonnenſis	III.	II.			I.
Hagenoènſis	VIII.	III.	III.		II.
Wormacienſis	IV.	III.			I.
Miſsio Sanctenſis		II.			
Domus Probat. Treuirenſis	LXXIV.	VI.		XLVI.	XIX.

Digitized by Google

A nouis variorum hæreticorum commentis ad auitam religionem redîêre mille quadringenti septuaginta.

Vniuersæ vitæ maculas eluerunt sexaginta.

Pijs Societatis nostræ contemplationibus pristinam pietatem renouârunt centum triginta.

Grauia, quibus se mutuò impetebant, odia posuêre decem.

A proprio iugulo manus retraxêre septem.

Ab inhonestâ vitâ pedem repressêre nouem.

Magnæ Virginis Beatísque Ignatij & Aloysij precibus sacrarúmque rerum vsurpatione salutem recepere facilè quadraginta.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM COLONIENSE.

I.

VMERVM Sociorum minuêre duo: Valentinus Belte Coadiutor, patientiæ simul atq; obedientiæ laude commendandus? & Magister Michael Hermanni, à contagione pestiferâ quam confluentiâ huc missus secum attulerat, intra paucos dies extinctus procul quidem à Collegio in domo conductitiâ. ne inquilinos afflaret, sed in nostrum nihilominus conditorium illatus. Vndetriginta in horum suffecti locum sunt: pijs B. Ignatij cõmentationibus exerciti viginti septem. Adolescens vnus, viri duo totidem matronæ eiusdem B. Patris auxilio à periculosissimis morbis respirârunt. Iudei duo impietate suorum relicta Christianæ fidei lucem aspexêre: cæterùm septuaginta eodem lumine, sunt illustrati. In his Basileensis quidam Caluino addictus non sine prodigio obijciebatur illi per quietem aula perampla, atque in ea grauissimorum virorum consessus de salute ipsius conclaman-

Digitized by Google

clamantium, nisi ab illustri matronâ (Christi Ecclesiam designari sibi persuadebat) quæ inibi regali fulta solio residebat, opem exposceret. Cui operi dum se accingit, visum illud euanuit, relicto in eius mente aculeo non paruo, quo adhuc lacrimis madēs à Nostro Sacerdote impetrauit, vt saniora edoctus in illius Reginæ aulam admitteretur. Qui iam non sua tantum salute contentus tres alios Lutheri peste corruptos eidem Nostro instituendos stitit. Plurimis lectio voluminum, quæ Illustrissimi Cardinales Bellarminus & Baronius elucubrârunt, fax fuit & lucerna, quâ in viam Catholicæ veritatis redirent. Nec scholæ sua luce aut splendore caruerunt, multò minùs Sodalitates sex distinctæ ordinib⁹. Ea quæ ciuium est, quò magis ab aduersarijs premitur, hoc magis (quod de veteri Ecclesia Tertullian⁹ tradit) in dies augetur & coalescit. Itaq; felicem illum Catholicorū aduersus hæreticos, p. Magistratûs auctoritate consensum non pauci Sodalibus propalàm adscripserunt: & hæretici ipsi suam ab illis persecutionem (vt ipsi nominare volunt) initium sumpsisse spargunt. Quare & in hos sæuiùs dentes exacuunt. Sed duorum pœna quorum vnus solum vertere iussus est, alter post carcerē duorum mensium tres magni ponderis cereos multæ nomine expēdit reliquorum proteruiam multùm repressit. Editæ iam sunt in horū Sodaliū gratiam de præcipuis Germaniæ patronis litaniæ (quarum cōcentu vici atq; officinæ sæpiùs personant) aliáq; id genus fouendæ pietatis adminicula. Eorundem charitas & in

ægris

ægris visendis spectata hoc anno sæpiùs est, & in ære alieno (quod Sodalis quidam perfidia mercatoris hæretici contraxerat) dissoluendo, ne in carcerem raperetur.

II. CATECHESES eo hîc loco sunt, vt multi eas concionibus si non præponant, certè cõparent: itaque & frequentes ad eosdem concursus fiunt, & copiosæ ad munuscula coëmenda pecuniarũ largitiones. Domandi corporis feruor & studium tam in multorum animis incaluit, vt benè magna vis & materies ad cilicia, flagella, aliáque hoc genus affligendi sui instrumenta coëmpta, explere petentium vota non queat. Nec verò in claustris solum eorum vsus increbuit. Virgo fuit, quæ cùm à fratris nuptijs pro voto abesse non posset, ad eas B. Cæciliã imitata adijt cilicio munita. Non pauci denique, qui se suáque insano consilio diuinis magísque crediderant, aut animam elidere desperati proposuerant, in spem à Nostris sunt reuocati: quò plurimum contulêre obita Sacramenta, consecrata cera aut aqua.

III. NOVESII non amici modò, sed & aduersarij in religionis Ordiníque nostri amorem inclinati spem multæ frugis alunt. Inibi adolescens Anabaptista sacro fonte tinctus est. Arweliensis quidam gemino morbo oppressus cùm à medico relinqueretur, vix Coloniam & Nouesium ad DD. Gereonem & Quirinum facto voto surrexit incolumis. Lechniacum quoq; & Tolbiacũ rogatu Sereníssimi excurrimus. Lechniacensium ea laus propria. In Paschate inuenti Christi conuiuæ mille: in quibus vnus tantùm toto

toto oppido hæreticus ísq; diuturnâ paralysi lecto affixus; qui ne vnus hac ignominia vel ciuitatem vel se potiùs vltra notaret, errore posito se Catholicum professus est. Ad rem domesticam adiuncti in annos singulos Philippici octoginta: ad sacram argentea S. Achatij statua, cui etiam venerandæ capitis sacri reliquiæ inclusæ, pretio tercentum Philippeûm: trabea insuper argentea Sacerdoti vestiendo confecta.

COLLEGIVM TREVIRENSE CVM TIROCINIO.

IV. PRO SINGVLARI Dei beneficio habent Treuirenses Nostri, à communi luis incendio eorum neminem fuisse contactum, cùm quotidie bis ad Gymnasium viâ benè longâ & ferali igne infestâ itarent præceptores, sacra tribunalia frequens æger cingeret malo ita inualescente, vt non rarò ab ipsa expiatione expirarent. Ab hæresi quatuor absoluti: puella, quæ annis viginti septem à parentibus Catholilicis auulsa hæretico eiúsque errori seruierat, Christo atque amicis nostri Patris hortatu est restituta. Domus quædam nocturnis infesta lemuribus post diras multorum mẽsium diuexationes, post labores multos irrito conatu susceptos, sacræ confessionis auxilio, aliísque Ecclesiæ amuletis pacata. Miserandum erat spectaculum: paterfamilias cum suis quinque ipsos menses vix vllam quietis partem ceperat, ad somnum compositis detrahebãtur lodices; tumultu ac lamentis omnia miscebantur.

Digitized by Google

bantur. Curio vir pius iuxtà atque industrius solita remedia è sacris petita adhibuerat; quin & noctem vnam ibidē peruigil duxerat nullo successu. Ergo fractus malis cùm hostes non fugari animaduerteret, obsidionē soluere statuit. Suadet ad extremum Noster, vt maritus ipse coniux, & qui de familiâ per ætatem possent reliqui, se peccatis omni ætate admissis expient, ac præter aquam lustralem atque agni cœlestis imaginem versiculum illum regij Prophetæ (*omnis Spiritus laudet Dominum*) identidem per noctis tenebras ingeminent. Res noua! Perpurgatus vitijs animus vacuas à spectris ac tumultu ædes fecit. Addo alterum, quod etsi per Nostros effectum non sit, ad Dei tamen Diuorúmque gloriam vel ipsis aduersarijs testibus euenit. Iacebat puer Lutheranus morbo depositus, amissa omni salutis spe. Parentes tam tristi filij casu defixi, quamuis Luthero addicti, tamen quòd Catholicos multos votis nuncupatis sibi suísque salutem reperisse audierant, hoc etiam consilij (quamuis insolens apud Lutheranos & superstitionis plenum iudicetur) secuti sunt. Vouent D. Gangulpho, qui Treuiris in præcipua vrbis parœcia colitur, tm̄ triticei panis, quantum erat pondus pueri, offerēdum, si consanescat. Puero statim melius factum stupente vtroq; parente, & de voto fidéq; prestāda cogitante. Sed vrgebat metus, ne Lutherano præconi nasuto cætera & impartes omnes intento suboleat, cum fortunarū suarum periculo non leui: id tandem reperēre cōsilij. Puero ad rem dissimulandam domi rel-

cto la-

Digitized by Google

cto lapides illi pondere æquales secum Treuiros deferunt; quos cùm pistoris vxori templo vicinę ostenderent, atque ad eorum modulum & pondus panes exigerent, illa superstitionem facto subesse rata daturam negauit; ad extremum verò re totâ (vti retulimus) intellecta, & morem illis libenter gessit, & factum, prout euenerat, apud complures diuulgauit.

V. EXERCITATIONES Scholasticæ viguerunt supra fidem atq; exspectationem, vt in hisce malis. Theologiæ Doctores renũciati sunt sex: Philosophiæ vndequadraginta: septuaginta baccam lauream meruerunt. Vnus inter Philosophiæ auditores ferè Princeps, inter Parthenios à virtute clarus, ad tirocinium Nostrorum aspirabat, & iam assensum à Præsidibus impetrauerat, cùm morbus grauis, imò ipsa mors aggressa iuuenem cœlo maturum asseruit, dolentem hoc vnum, quod inter tirones iam Societatis tiro animam non redderet; quẽ tum dolorem voto (quo se DEO ac Societati perpetuò adstrinxit) vtcunque leniuit. Sodalium aliorum contentionem vno alterové exemplo declaremus. Damnatus erat in conuentu aliquando acriori oratione, luxus, qui natalitio cuiusque die in gratiam amicorum aliorúmque, qui ope istâ non indigent, profunditur, honestiori ratione, vt ad pauperes deriuaretur, commonstratâ: quod consilium ijs auribus acceptum est, vt mox vnus alijs facem ad egregium facinus præferret, diéque suo natali (is erat B. Ioanni Euangelistæ sacer,) prædium opiparũ instrueret, ad quod duodecim

Digitized by Google

pauperes ætate & mendicitate insigniores adhibuit. Alius item Sodalis cùm ab vrbe procul in quibusdam patrui negotij versatus intellexisset parentem suum, ita graui morbo repentè occupatum esse, vt tantùm non pro mortuo haberetur, voto pro eius salute facto eundem seruauit. Cum enim vouisset, parenti, si conualescceret auctorem se futurum, vt inter Parthenios nomē profiteretur, confestim & Virgo sanitatem reddidit parenti, & filius Virgini suum votum. Ita feliciter, vt dixi, & velut ex miraculo res scholastica procedebat, donec tandem sub initium autumni non tantùm plateam, quæ ad scholas ducit, sęua lues more fulminis deuastata est, sed ipsas etiam scholarum fauces insedit. Tum enim verò cedendum periculo fuit, sed ita, vt annuas vacationes trium tantùm hebdomadarum spatio anteuerteremus; quo tempore tantum in Gymnasij viciniâ vorax illa flammi remisit, vt de reuocandis stato tempore scholis consilia agitaremus. Quin vt molestijs, quas annis quadraginta Magistri nostri pertulerunt, finem aliquādo imponeremus, nouas ipsi Collegio adiungere cœpimus; accendente nos magis ad opus liberalitate munificâ plurimorum, quam opere demum perfecto meminerimus.

VI. E TIROCINIO ad vitam feliciorem transiêre tres. Primus XIV. Calend. Iunias phthisi absumptus Ioannes Wilhelmi Treuir, annis Tiro, non meritis. Multùm ille in obedientiæ ac patientiæ virtute processerat, fuítque secuturæ reliquorum mortis prænuncius. Cùm enim ad

vici-

Digitized by Google

vicinam, vti apparebat, mortem sese disponeret, vocatus ad eum confessionis causâ Rector, eum lætitiâ gestiẽtem inuenit; cui & insolitæ rei causam quærenti oculos digitósq; in imagines Christi ac Deiparæ intendens; ex horũ conspectu lætari se respondit: ac mox *ibimus, ibimus*, inquit, *ego hodie, tu Reuerende Pater ad D. Laurentij diem, Paulus German noster non ita multò post.* Dicti veritatem probauit euentus. Nam idibus Augusti Petrus Cremerus Rector huiusce domûs præeũtem est subsecutus, anno ætatis quinquagesimo octauo, initæ Societatis vicesimo octauo, cùm septendecim ipsos annos Tironibus præfuisset magnæ prudẽtiæ ac patientiæ commendatione. Eminebat inter alias eius virtutes charitas, quâ & suos amabat tenerrimè, & alios complectebatur non minori affectu, adeóque charus vniuersis, vt de eius salute solicitus ipse Illustrissimus Elector per certum hominem quotidie certior fieri de morbi statu voluerit. In extremis positus cùm de vita conclamatum videret, singulis ad se vocatis animos ad apicem virtutis consequendum addidit, & monitionem, quam vniuscuiusque statui accommodatissimam iudicabat, adiunxit; quæ sanè monitio & singulorum mentes altissimè subijt, & magnũ omninò in perfectionis via momentum habuit. Restabat postremus, qui prædictionis veritatem assereret. Is fuit Paulus German Hagenöensis mirè obediens, modestus, verecundus, dignus omninò, qui inde ad cœlestem hæreditatem euolaret.

VII. INTER superstites duo fuêre, quorum vocatio-

cationem DEVS miraculo firmauit, cùm alterum aquis mersum voto Societatis ineundæ concepto eripuerit periculo, & alterius parentem grauiter laborantem restituerit sanitati.

Nonnihil etiam ad aliorum salutem Catechismo varijs locis explicato. aliisque officijs collatum. Quidam è Nostris Theonis villam sub initium Aduentûs negotiorum causâ adierat; ad hunc tantus fuit hominum confiteri volentium concursus, vt, ob quæ præcipuè venerat negotia, vix expedierit: hæresim ibidem palam eiurauit vnus. In alio oppido solennioribus aliquot per annum diebus cum fructu laboratum; atque inter alia persuasum Sacerdoti, vt ancillam, quam per annos duodecim non sine graui multorum offensione aluerat, à se dimitteret cum magno bonorum gaudio atque approbatione. Ad structuram domûs additus murus benè longus atque altus, quo domesticæ quieti contra curiosos quorundam externorum oculos prospectum. Auxit rem familiarem Illustriss. Pontifex Spirensis eleemosyna Philippeûm triginta quinque.

COLLEGIVM MOGVNTINVM.

VIII. ERepti rebus mortalibus Socij quinque; duos priores febris, reliquos vulgata per vrbem lues abstulit. Primus fuit Ioannes Busæus quatuor vota professus, qui incredibilem animi

animi candorem cum eximiâ eruditione coniunxerat. Vixit in Societate annis quadraginta octo, à decimo quinto scilicet vsque ad quartum & sexagesimum; cuius partem meliorem in perpetuâ docendi nouósq; hæreticorum de religione opiniones refellendi contentione traduxerat. Extremis tandem vitæ temporibus, quamuis fructus laboribus inusitato capitis dolore torqueretur, se tamen totum ad studia pietatis variè promouenda contulit. Itáque & fœtus alienos magno labore descriptos atque illustratos, aut ex peregrino idiomate Latio donatos in lucem dedit, & proprios etiam magno multorum bono adiunxit. Obijt tertio Calend. Iunij ingenti sui desiderio relicto; quippe à quo nemo vel Nostrorum vel externorum offensum se meminisset. Secutus est quinto Idus eiusdē Michael Theobaldus, annos natus vnum & quadraginta, cùm iam quintum decimū Societatem in re domestica subleuaret. Aliquanto post interuallo tertio videlicet Calen. Nouemb. Andreas Stengle viginti annos natus repentinâ lue extinctus est ex voto: iam enim ante auditus est, cùm diceret, optare se, vt capitis sui iacturâ imminens malū à toto Collegio posset auertere. Mense insequenti P. Bartholomæus Rosport Philosophię Professor, placidis admodū moribus ex medio Philosophiæ curriculo est euocat⁹, anno ætatis trigesimo quinto, initę Societatis decimo quinto. Clausit agmen Ioan. Forst spectatæ charitatis Coadiutor Formatus, cùm annum explesset ętatis quadragesimum primum, in Societate

tate viceſimum. Superſtitibus nouus ardor, ſuæ alienæque ſalutis procurandæ acceſſit. Eum declarárunt tum pœnitentiæ ac pietatis opera, pro Germaniæ tranquillitate vel contagione auertenda obita, tum labores in aliornm inſtitutione non ſine fructu ſuſcepti.

IX. REDIERE ad Eccleſiam vnus & viginti ſupra centum; inter quos fuêre nobiles quatuor, & iuris ciuilis Doctor vnus. Ne libri hæreticorum imperitis fortè obeſſent, oppoſito meliorũ antidoto prouiſum. Hâc arte conuitia Legulei cuiuſdam Bataui in nos cõiecta modeſtâ reſponſione dilua. Conrado Forſtio noua opinionum monſtra de diuinitate magno faſtu in Germaniam inuehenti luculentâ diſputatione pudor incuſſus. Hac denique Primatus ille in Britannia Regius duplici ſcripto labefactatus. Neq; nihil præſtitum inter Catholicos, quorum animos oculis obuerſans peſtiferæ luis contagio culturæ noſtræ paratiores effecerat. Sacerdos certè vnus cũ Socio duorum mẽſium ſpatio à reliquis ſeiũctus multis admodùm auxilio fuit: Xenodochia vrbis obiuit ſæpiùs: prauis opinionibus infectos ad Eccleſiam traduxit complures: Cœnobium quoddam vniuerſum confeſſione luſtrauit: tandémque tot perfunctus periculis ad nos incolumis reuertit. Concionum inter alios & hic fructus fuit; quod ſuperſtitioſarum ſchedarum vſus, qui iam increbruerat in populo, ſit repudiatus; & ne latiùs ſerperet per iuuenum animos, diligenti ſtudio curatum eſt. Rudimẽta doctrinæ Chriſtianæ viginti omnino locis

Digitized by Google

cis tam intra quàm extra vrbem explicata, non ad pompam sed fructum; quem explicant abrogata multis locis, quæ inueterauerat, carnibus contra Ecclesiæ leges vescendi consuetudo; inductus SS. Eucharistiæ crebrior vsus, adeo vt in pago quodam alternis ferè mensibus quinquaginta pane cœlesti reficiantur, cùm antea vix semel quotannis idipsum præstarent: neglectus denique extremæ *Vnctionis* ac *Confirmationis* in amorem venerationémque conuersus. Hinc etiam condiscunt præsidia sese contra magicas artes ac Dæmonis insidias muniendi. Ea nocte, qua veneficorum maleficijs maxima vitium pars frigore contacta multis locis omnino deperijt, ædituus edoctus à Nostris circa vesperam aqua consecrata lustrauerat vineam; hanc ille vicinis omnibus adustis seruauit incolumem. Agricolæ cuidam ob iniuriam acceptam grauiter irato atque in vinea sua deambulanti Cacodæmon militis specie sese obtulit, mali remedium spondens; ille dolum suspicatus, atque in eius pedes oculos intendens, vt bifidos aduertit, facto salutiferæ Crucis signo importunum consiliarium à se depulit. Is postea Nostros adiens edoctus est iniurias ferrè moderatiùs, contra tartareum hostem præmunitus agni cœlestis amuleto: quo nullũ præsentius remedium in hisce malis; quod constat ex reorum confessione publica, asserentium se aduersus hoc armorum genus nihil posse; & fidem fecit mulier mali genij consuetudine infamis, quæ hoc amuleti genus collo sibi deripiens furere, violentásque sibi manus illatura

Digitized by Google

videbatur; quo tamen restituto ita mansuefacta est, vti libens volens morti se obtulerit.

X. GYMNASIVM alioqui florens contagionis metu ab adulta æstate ferè siluit ad ineuntem vsque hyemem; quo tempore Theologis primùm, atq; alijs deinceps per interualla apertæ scholæ. Excipio hîc Conuictorũ domum, in qua numerosa iuuentus pauculis digressis constanti valetudine perstitit. Et videri possit Deus eximiæ ipsorũ pietati tutelam hanc concessisse; quippe qui in omnibus etiã pœnitẽtiæ exercitationibus primas facilè tulerũt, quod sanctiori præsertim hebdomada potuit. Ecclesiastici Sodalitatem suam hoc anno cũ Romano aggregandã iurarunt, atq; appositis deinceps legibus Magistratu ornarunt. In hanc cooptatus est primus omnium Illustriss. Elector, cui Reuerendiss. Proepiscopus etiã in hoc munere vicaria potestate succ^{ss}; iamq; eius cętus fructus nõnulli exstare cęperunt. Primarij ex his dimisso cœtu non rarò vel de Sacrorũ Maiestate, vel de Ecclesiasticorum religione ac sanctimonia instaurãda deliberant. Cœpit igitur in tẽplo nitor & pietas, domi frugalitas & cõtinentia, ac vbiq; diuinæ gloriæ studiũ exsplẽdescere; quæ indies eò magis auctũ iri speramus, quo pluribus maledicentium flabris diuina illa flamma fuerit concitata. Nec vanam coniecturam esse declarauit præclara supplicantium pompa, quam decimo sexto Calend. Quintiles ad sanctam Crucem miraculis inclitam Sodalitates omnes magnificè adornarunt. Dederat enim ea res sermonem maleuolis, quasi præter dignitatem sui ordinis

dinis Ecclesiastici sese puerorum cętibus linteati ipsi immiscerent. Sed illi his contemptis tantò splendidius constantis exemplum pietatis ciuitati ad iucundum spectaculũ effusæ præbuerunt; adeóq; nunc & ipsi dignitatẽ suam retinent, & nos hominum beneuolentiam Societati conciliamus. Extra ordinem ponendus Illustriss. Elector, qui & in conuentu Principum Noribergæ habito Societatis existimationem præclarè tutatus est; & in Prouinciam suam reuersus P. Rectorem (quem expiandæ conscientiæ causa ad se vocauerat) omni officij genere coluit: cui & nongentos aureos liberali manu obtulit ad ædificationem prosequendam; tum in deprecantis gratiam sex feminas ob flagitia flammis addictas mitiori supplicio plectendas permisit.

XI. EXCVRSVM non rarò in confinia. Francofurti nobili emporio circa Soteria in excipiendis mercatorum aduenarum confessionibus opera vtiliter posita. In vico quodam die assumptæ in cœlum Virginis centũ viginti cœlesti epulo sunt refecti. Sacellum eiusdem Virginis honoris renouatũ non procul à Rheno, quod magna olim accolarum pietate frequentabatur. Milites duo ex prouocatione, vt fit, multis otiosè spectantibus aliquamdiu velitabantur cum certo alterutrius periculo superueniens Noster tantum præsentia sua atq; auctoritate apud ferocientes potuit, vt qui incensior videbatur, pedem reprimeret, illi gladium vltra traderet suum, cum inimico in gratiam rediret, testatus id totum Nostro videlicet se deferre.

XII. AD

XII. AD B. P. Noſtri nomen pertinent hæc duo. Femina honeſto loco nata bis fœtum mortuum enixa, tertio partu in eiuſdē periculi metu verſabatur: ea B. Patris imaginem non ſine propenſa pietate ac fiducia pectori cùm applicuiſſet, filiolum ſanum & incolumem peperit, cum ſtupore aſtantium, quæ gnaræ periculi, ſed non præſidij. Altera vterum geſtans aqua intercute laborabat; Negabant periti prolem, niſi extincta matre, in lucem exire poſſe: hæc etiam admoto ſibi Beati P. Chirographo, quod in Collegio aſſeruatur, nullo doloris ſenſu gemellos enixa eſt, qui tantiſper hac luce ſunt vſi, dum Baptiſmo luſtrarentur: ad hoc ſcilicet nati mundo, vt cœlo feliciùs renaſcerentur.

COLLEGIVM SPIRENSE.

XIII. SVB ANNI huius initium finem viuendi fecit P. Matthæus Boys, annos natus triginta, è quibus tredecim vixit in Societate magno in virtute ac litteris progreſſu. Hic morti vicinus ita geſtire atque efferri gaudio cœpit, facilè vt conſtaret, certa ſpe complexum eſſe immortalitatem, qui tam cupide mortalitatem abijceret. Dixerit quiſpiam, non iniuria hanc illi diuinitus etiam in hac mortali vita infuſam eſſe lætitiam innocentiæ ac caſtimoniæ ſingularis indicium, cuius iam olim Societatis Tiro memorabile dederat argumentum. Emiſſus erat ſcilicet ad ſtipem de more oſtiatim cogendam, admouetur in quadam domo ad menſam; vbi quidam ſpurci oris homo cùm, vt riſum excuteret

Digitized by Google

euteret sui similibus, multa verborum lasciuia pudicas aures conuulneraret, verecuudus adoscens sic dolore pariter & iracundia exarsit, vt simul ex oculis lacrimæ, simul ex naribus magna vis sanguinis ebulliret. Percunctantibus causam Socijs, *Egone*, inquit, *vt dolore non afficiar, supremi Numinis maiestatem istâ linguæ improbitati violari!* Huius tam læta mors cæteris ad omne Societatis functiones calcar fuit.

XIV. QVI IN tertio probationis anno versantur, quanquam præcipuum in se ipsis reformandis studium posuerint, industriam tamen suam opémque etiam in alios contulerunt. In vicinis oppidis ac pagis reducti ad Ecclesiam centum quinquaginta quatuor: sacris B. Patris nostri ōmentationibus ad perfectiorem vitam excitati tres & viginti. Hæretica mulier Beatissimæ Virgini votum pro incolumitate corporis obtinenda nuncuparat; hæc duplicato beneficio etiam animæ sanitatem impetrauit. Colloquens enim cum quodam è Nostris ab eo didicit, oblationē suam nec Deo nec Virgini Matri, nisi abstersis peccatorum maculis fide integra ac sincera fiat, cordi fore. Vtitur illa consilio, atque expiata in præsens ad suos reuertit, singularem in fide, quam imbibisset, retinenda constantiam adpromittens. Alius autem non paucorum reus facinorum cùm veritatis lucem Nostro mōstrante in tetro carcere positus conspexisset, ab ea nullis artibus dimoueri potuit. Superuenerat enim Minister, vt technis circumuentum in pristinas tenebras retraheret: effecit nihil. Nostrum verò

tanta

Digitized by Google

tantâ obseruantiâ colebat, vt ei ad genua sæpiùs accideret, dicerétque hoc vnum sibi dolori esse, quòd eum sibi in extremis præsentem (neque enim à Magistratu impetrari poterat) non esset habiturus. Denique currui impositus aliò mœstus deducitur: circumstabant vnum illiteratum neophytum Prædicantes duo dolis instructi, clamitabant; ad profitendam suam fidem hortabantur, bibliorum codicem aggerebant; quibus ille: *Catholicus, inquit, sum, neq; ab hac mente me quidquid est orbi Prædicantium dimouebit:* ita crucem solus & precabundus venerabatur. Vesperi cùm quies foret capienda & cibus, en tibi bellum nouum; nouæ insidiæ. Feria sexta erat, præter panem & carnem nihil apponitur; inuitat hospitem caupo Caluinianus, instant, vrgent verbo & exemplo Prædicantes vsque ad molestiam; sed pane contentus reus deuinat piaculum. Nec deinde impetrari potuit vnquam, vt vel preces vllas cum ipsis aut sermonem haberet, sed tam diu per se est compretatus, donec ferrum iugulo reciperet. Hominis constantiam etiam qui consilium non probabant mirabantur. Reuocata in ijsdem excursiunculis consuetudo moribundos ad extremam luctam inungendi, quæ exulabat errore paganorum, qui credebant maturari mortem; exemptus error non tam concionantis voce, quàm mulieris persanatæ exemplo. Hæc cum mensem ipsum ægram animam vix traheret, simul sacro oleo delibuta est, cõmodiùs habere cœpit, nec multò pòst integrè consanauit.

Alibi

Digitized by Google

Alibi tarditatem increpauerat Noſter eorum, ſacrificio vel pridem incepto vel penè affecto ſuperuenirent, explicato tantorum myſteriorum ingenti fructu: inſequente Dominica ad ſignum conuenêre omnes, priſtinæ cunctationis cauſam obtendentes rei ignorationem. Sodalitium S. Sebaſtiani, quod labente diſciplina penitus obſoleuerat, nitori ſuo reſtitutũ. Sacerdoti, qui ſuperſtitioſis carminibus morborum vim hebetare credebatur, perſuaſum, vt eo quæſticulo non inuitus careret. Puer, quem panici terrores ſomno excuſſum in fletus ac lamenta agebant, demiſsâ ad pectus cœleſtis agni bullâ quietem inuenit. Mulier preſſa curis inops conſilij, vt ſe malis expediret, laqueo collum impederat: ſed concurſu ſubito familiarium abbrepta, inde Noſtro ſiſtitur: à quo edocta, quantum in præoccupanda morte ineſſet piaculi, vitam ærumnoſam morti conſceleratæ præoptauit. Hæc eadem importunas Cacodæmonis oppugnationes aquæ piacularis & crebriore Sacramentorum vſu peruicit. Iiſdem remedijs alia quoque nocturnas inferni hoſtis ſub canis ſpecie occurſantis laruas à ſe abegit.

Senex quidam ſeptuagenario maior concepta animi alienatione ita obdurauerat, vt nulla humana arte flecti poſſe videretur; & iam biennium ipſum eandem ob cauſam ſacris myſterijs abſtinuerat. Hunc poſt irritos aliorum conatus tentauit Noſter; ac primùm ſeuerè admodùm dura omnia, quæ huic morbo opportuna videbantur, admouendo.

Sed

Digitized by Google

Sed cùm nihil proficeretur, quin & ille respondere præfractiùs, ad extremum ratione agendi commutata blandiùs alloqui, atque exulceratum animum mulcere nonnihil cœpit: quibus ille adeò captus est, vt Patri subitò accideret ad genua, atque omnia de eius sententia facturum se polliceretur. Inter alios quoq; duos redintegrata pax.

XV. LVSTRATA aliquoties confessione & cœlesti epulo recreata Reuerendiss. Episopi nostri aula, exemplum cæteris præbente ipso Principe; qui & carmen faustæ eius inaugurationi conscriptum libenter vidit, & Nostros quoties ipsum adierunt, excepit humanissimè, eorum opera sæpiùs vsus, cùm magna beneuolentiæ significatione. Comes quoque Soranus Serenissimorum Archiducum Flandriæ ad Matthiam Hungariæ Regem legatus hac transiens Collegium nostrum inuisit, & conatus suos nostris ad DEVM precibus promoueri impensè postulauit. Postremò ingentem cladem Collegio impendẽtem diuina bonitas Agni consecrati ope ac fideli hominum opera propulsauit. Horreum erat Decani horto imminens, domui nostræ ferè contiguum. Hoc flamma, incertum vnde orta, cùm comprehendisset ipsa nocte, quæ natalem Christi Domini subsecuta est, ædes nostras penitus absumpsisset, nisi & initio periculi magnitudine excitus P. Rector lustralem aquam atque agnum Dei tempori abhibuisset, & magna hominum multitudo pro nostro periculo sollicita post quinque horarum spatium incendium materia aut

aut subtracta aut deficiente restinxisset; ita liberati sumus magno terrore nullo damno, adeo vt omnis ille metus verterit in gratulationem. Tria vini plaustra subsidio in præsens, in posterum fertilis vineæ iugerum donatum. Sexcenti item & octoginta aurei à moribundo vicini oppidi Curione dono missi opportunè rei familiaris laxarunt angustias.

COLLEGIVM HERBIPOLENSE ET FVLDENSE.

XVI. TRES cœlo transcripti è Socijs Herbipolensibus, quorum priores in officijs charitatis dum contagiosa lue infectos vel adeunt vel ipsis ministrant, morte alijs inuidenda palmam præripuêre; præcipuè Petrus Billich, qui nondum confectis Philosophiæ spatijs ad æternam sapientiam est euocatus; Pater verò Ioannes Pernottus, vt triarius iam & insigni doctrina tam sacra quam profana, sed maiore charitate ac humilitate præditus, vitam sibi ad debita stipendia præmunijt. Tertius Petrus Hepen singularis obedientiæ exemplar, cùm eximio perfectionis studio flagraret, decurso iam sæpiùs Philosophiæ ac Matheseos curriculo, sacrarum literarum Doctor designatus, eò abijt, vbi clariore titulo insignietur. Pestilitatis autem non fuit nulla vtilitas: egit scilicet metus ille, vt conciones & catecheses multò, quàm cæteris annis, essent frequentiores: ita auidè etiam è locis remotioribus ad nos concurrebatur Sacramentorum gratia,

Digitized by Google

vt si apud nostrum quemlibet sanitatem possent sperare. Quare datum illis tempus opportunum charitatis nostræ experiundæ non domi tãtùm nostræ, vbi quibus uis tempore quouis præsto fuimus, sed etiam alienæ, cùm Sacerdos vnus cum Socijs duobus iam grandi natu vir indefesso labore plurimis animę nõnullis etiã corporis incolumitatẽ procurauit: quo officij genere, multa virtutis suæ & præclara elogia vulgò promeruit; sed ea ex sapientis consilio *Ne ante mortem.*

XVII. B.P.N. exercitijs operã dedere tredecim, in quibus nobiles nõnulli spem faciunt latiùs emanaturę frugis. Perfidiã hæreseos posuêre vltra septuaginta. In his suspiciẽdus puellæ vnius ardor, quę monitione cuiusdã è Nostris ita permota est, vt clam suis ex Ducatu Wirtenbergico iter arduũ ac benè longũ susciperet; vbi de fidei Mysterijs Catholico ritu edocta Deo atque Ecclesiæ reconciliata est. Non dissimili indole fuerũt aliæ duæ, quarũ vna pro fide retinendà ab auunculo carcere, sannas, ludibria, verbera etiã inflicta fortiter pertulit, altera verò præclarum pro pudore seruando certamen subijt, cũ crebra confessione præmunita insidiantis munuscula, blanditias, aliásq; machinationes sapienter elusit: imò procũ ipsum piè animosa domo tandem eiecit. Et verò diuina bonitas incensum nonnullorũ affectum operum mirabilium patratione cõprobauit. Senex quidam post consiliũ confessionis de annis omnibus faciendæ, licet veneficio eneruis, & tridui inediâ ob stomachi deiectionem exhausțus, vires tamen sibi redditas persensit, vt commodè

nixus

nixus genibus, cum lachrimis vitæ totius noxas explicaret. Vxori cuiusdam viri nobilis ac pereruditi morti vicinæ post susceptam Vnctionem extremam vox reddita, vt promptè loqueretur, & precibus aliquamdiu continuandis sufficeret. Alia extremæ (vt aiunt) admota lineæ post votum de duobus vini plaustris in vsus pauperum distribuendis conceptum atq; exsolutũ integræ valetudini est restituta; monétque domesticos assiduè, ne, dum sani sunt, confessionem ac vitæ emendationem protelent, experta in se quantum in morâ insit periculi. Vir quidam graui difficilique morbo conflictabatur: is voto ad B. Virginem, quæ Dettelbachij colitur, emisso, præ multis alijs eodem morbi genere absumptis reualuit.

XVIII. ADOLESCENS quidã annos natus septendecim à nostro institutus illustria veræ pœnitudinis, pietatis, fortitudinis dedit argumẽta, supra omnẽ spem ac votum. Plus laboris impẽsum in quodam veneficorum coryphæo, qui in vinculis attinebatur, magno eius bono. Nam & culpas omnes dilucidiùs agnouit, & ingẽti lachrymarũ perfusus imbre totius antegressæ vitæ maculas abstersit. Sacramentis ad extremũ cõmunitus vitam hanc mortalem nullius pensi habens in pijs ad Deiparæ honorem corollis peruoluendis, quod spatij supererat, insumpsit. Quibus Nostrorũ officijs & conciliati vehementiùs Magistratus apparitoribus mandant, vt ad omnes nutus Nostrorum parati excubent; & alij iam nobis sponte suâ in hoc officij genere cedunt.

Digitized by Google

XIX. CIVIVM Congregatio cum Romana cõiuncta hoc anno lætiorem in posterum tempus spondet segetem. Iuuentus scholastica multò se quàm ante legum ac præceptorum præbet obseruantiorem; quæ cùm contagionis metu esset dilapsa, Dramate de Achabi pœnitentia in scenã dato ad sua denuò signa confluxit. Res domestica creuit prolixa frequentique Præsulum aliquorum munificentia, quam ipsi in vulgus prædicatam nolunt; & Princeps Bambergensis, vt in nouum suum Collegium liberalissimum se patronum præbet, ita quotiescunque hîc fuit, effusos suæ beneuolentiæ riuos varijs submissis donarijs in nos etiam deriuauit.

PORRÒ Reuerendissimi Principis Herbipolensis beneuolentiam sæpiùs experti sumus, tùm præcipuè, cùm ad opiparum conuiuiũ eius munificentia instructum prima capita ex clero, nobilitate, Magistratúque ipso ciuitatis vnà cum Principe ad mensam nostram assederunt.

XX. FVLDÆ auctior Nostrorum numerus latiùs etiam suos labores ac vigilias protulit: oppida aliquot fructuosè lustrata. Iuuentus nullum ferè virtutis genus omittit; vltróque arripit, ad quod adultiores sæpe non exiguo Nostrorum labore vix impelluntur. Ab hæresi ad saniorem mentem reuocati sedecim. Hassus adolescens idémque literatus palàm edita fidei professione falsa dogmata retractauit. Amuleta damnosis superstitionibus salubriora substituta non pauca. Stipe, annona, alijs adminiculis succursum pluribus. Nec ipse B.P. Ignatius parturientes feminas

Digitized by Google

minas ope sua destituit. Arcendæ contagioni, quæ imminebat è propinquo, sæpiùs indictæ supplicationes ad montem B. Virginis religione olim celebrem. Extra ordinem vna in templum nostrum inducta, prosequente Principe: quo factum, vt iam maior ciuium sit tam ad confessionem ad nos concursus, quàm concionem.

COLLEGIVM HEILIGENSTADIENSE.

XXI. EMORTVI hîc duo (quod omnes seutiunt) cœlo benè maturi. Prior Gallus Walck supremæ Grammatices Professor, modestia atque animi candore propè singulari: ita vocationis suæ amans, vt pro ijs, quos ad èam hortatores adiutoréque habuerat, quotidie precaretur. Tactus communi ac pestilenti lue in ipsis Exercitijs sacris quinto post die decessit, cùm ætatis vigesimum nonum, ab ingressu in Societatem octauum ageret. Alter fuit Philippus Willerius formatus Coadiutor, Nostris externisque (quod lachrimis testati sunt) æquè charus, annos natus quinquaginta, ex quibus triginta tres in varijs Societatis officijs cum approbatione & fructu obitis posuerat. Charitate eximia flagrabat, pro qua & animam posuit, vix vno mêse à prioris funere (quem diligentissimè curabat) elapso extremis vitæ diebus ita obedientiam prædicabat assiduè, támque sedulum se eius obseruatorem futurum spondebat, vt Fratri audienti lachrimas excuteret.

Digitized by Google

XXII. IPSIS Calen. Ianuarij Sacrosanctam Eucharistiam vsurpàrunt apud nos mille, quot antehac nunquam: ita multos ex pagis etiam remotioribus sacer indulgentiarum thesaurus exciuerat. Et verò felici huic auspicio respondit annus reliquus. Verno ieiunio habita est in nostro templo Catecheſis sabbatū exceperis, quotidie; frequentissima ab omni hominum ætate, ac sexu. Foris bis quaque hebdomadà in pagis octodecim docuêre viginti è Nostris: reliquo anno omnibus festis ac Dominicis diebus in sex pagis alij Nostratium, qui ad humaniores literas suo tempore prælegendas informātur. In his pagis duo multos auditores habent à fide Catholicà alienos, quibus etsi fides non sit persuasa, id tamen perfectum in eorum altero, ne ad Prædicantem vicinum ob cœnam profanam excurrerent; in altero, vt sponderent eam se ritu Catholico, cùm primùm tempus redierit, percepturos. Ad pietatem cultúmque religionis excitandū (qui mirum quàm multis locis algeat ob hæresum colluuiē) multa in Catholicis adhibita: atq; illud in primis, vt locis opportunis Cruces in Christi passi memoriam erigantur, quod de multis pagis iam impetratum. Venerat item Erfurto in Eisfeldiam ad hæresis reliquias persequendas Reuèrendiſ. Initiator D. Cornelius Gobelius, Germanici olim Collegij Alumnus, vir doctrinâ, auctoritate, gratiâ ad summa quæque peragenda instructissimus; iámque ad vndecim Catholicorum millia (quos annis superioribus Nostri ferè ad fidem traduxerant) sacro Confirmatio-

Digitized by Google

mationis Sacramento consignârat, sacras ædes aráſque permultas dedicârat, cùm contractâ ex laboribus & corrupta aura febri pestilenti decimo post die, ipsis Nonis Iunij, magno omnium luctu ac desiderio consumptus est. Societatem nostram ita arctè complectebatur, vt toto morbi tempore Sacerdotem nostrum (cui & vitam omnem confessione aperuit) apud se habere voluerit, & Societatis nostræ iudicium atque auctoritatem in omnibus secutus sit. Eodem morbi genere pòst paulò ereptus vrbis Prætor, nominis nostri & ipse studiosissimus, atque in Sodalitate Parthenia ciuium multis de causis præcipuus; qui & moriens quadraginta Philippicos ad iuuandam aræ S. Crucis structuram legauit. Atque hi primi fuêre, quos latè per Germaniam serpens epidemia sustulit; quæ post Calendas Augusti vsque adeò sæuire cœpit, vt in oppido non valde frequenti (vix enim sexcenti foci censentur) plures sexcentis sublati sint. Nostris autem concionibus aliisque officijs ita omnium animi comparati erant, vt nemo non extremam illam & decretoriam horam exspectaret: simul lue attacti erant, nisi id prius fecissent, promptè ita Sacramentis se muniendos curabant, vt eorum causâ ad paucos decumbentes adire opus esset.

Sacerdotes nostri in templo Collegij (quæ Parochia est ex tribus in hac vrbe præcipua) assiduò præsto erant, vel vt aures præberent confitentibus, vel vt cœlesti pane communirent expiatos. In scholis iuuentus pro locorum

Digitized by Google

ac temporum ratione satis numerosa censeba-
tur, donec ad quartum Idus Septembris ob præ-
sentissimum periculum dimitteretur. Ablegati
etiam aliò sunt Præceptores reliquique ex No-
stris, qui priuatim ad id munus formabantur;
éstque diuinæ bonitati adscriptum, quòd Colle-
gium pestifera bis afflatum aura vim mali non
vulgauit in plures. E studiosis sublatus nemo;
pauci, qui attacti fuerant, conualuêre. Mons
Adiutorij fertilis laborum fuit & frugis hoc an-
no, si vllo alio: acceperunt sacra mysteria è ma-
nibus Nostrorum bis mille: multáque præcipuè
industria fuit ponenda in ijs, qui in omnem vi-
tam inquisiuerunt. Ciuis quidam ex Parthenia
Sodalitate qui diu lecto affixus iacuerat, cùm vix
à suis impetrasset, huc vt deduceretur, sensit in
ipsa vires sibi paulatim restitui, easdémque pere-
grinatione absoluta integrè reparari. Ipsa con-
tagio luésque communis imminuta est, vbi Ma-
gistratus voto publico supplicationis ad eũdem
montem post ferias Paschatis deducendæ sese
obstrinxit. Rerum sacrarum diuinorúmque re-
mediorum vis apparuit etiam in mulieribus sex
à graui, qua premebantur, miseria persanandis.
Tanta erat vnius ex ciuica Sodalitate charitas, vt
vicini contagione pestifera demortui cadauer
humeris sublatum sepulchro intulerit. Ad fidem
maiorum Nostris velut Mystagogis redière o-
ctoginta: & nonnullorum tentata constantia
est: puellæ præsertim annorum tredecim, quæ
maluit in claustro vitam inire cœlestem, quàm
matri reddi à vera fide alienæ. Reuerendissimus

Ele-

Digitized by Google

Elector ad declarandam antiquam suam in nos beneuolentiam annuum villæ censum frumentarium & pecuniarium in triennium nobis remisit, & ad sarta tecta Collegij conseruanda Philippeos sexaginta quinque donauit.

COLLEGIVM MOLSHEIMENSE.

XXIII. Vix dum collegeramus nos Molshemij post cladem superioris anni, & noui belli rumores, cùm noua lues per vrbem vulgari cœpta. Ea tertiam ciuium, qui supererant, partem facilè absumpsit, Nostris, quod à Deo est, intactis; quamuis & ægros domi detentos adirent, & in templo promiscuè quibuscunque aures præberent. Ei malo tandem circa tempus verni Ieiunij finis factus, cùm prius trium hebdomadarum spatio suscepta fuisset in templum nostrum supplicatio, ac solemne sacrum ad D. Sebastiani effigiem in arâ propositam decantatum. Ita Deo manum à vindicta retrahente luctus in gaudium & gratulationem vertit. Exinde non tantùm ciues impensiùs solitò diuinis se rebus addixêre, sed & ipsæ scholæ ab ea vastitate, quam lues intulerat, respirare cœperunt, vt ad Nouembrem discipuli è Nostris vnà cum Professoribus Fuldà reuocari potuerint & cum litteris ipsæ quoque. Sodalitates tam ciuium quàm adolescẽtium suo flori restitui. Parentatum à nobis atque ab vniuersa Diœcesi Reuerendo ac Generoso D. Francisco à Krichingen, de nobis ac totâ patriâ an-

Digitized by Google

nos plures optimè merito, cui vni secundum Deum conseruatæ in his terris Catholicæ religionis laudem debemus. Hic enim post Fundatoris nostri obitum cùm Argentinensis Ecclesiæ Decanus esset, primùm Illustrissimi Lotharingiæ Cardinalis eligēdi, deinde Sereniss. Leopoldi in eius locum sufficiendi auctor fuit. In bellis verò ac tumultibus qui multis annis in ista regione sibi mutuò successerunt, se & virum fortē bellicosūmq; præbuit, & verò nihilominus Ecclesiasticum in suos munem ac liberalem, adeo vt in extremo hoc bello persoluendo militi (ad Principis Sereniss. exemplum) supellectilem argenteam omnē insumpserit. Successit ei in Decani munere Nobilis ac Generosus D. Salms à Rifferscheid, cui honorem hunc nouum aduentu eius in exspectato præoccupati licet, congratulati tamen sunt Poëtæ ac Rhetores nostri.

XXIV. TRIBVS in oppidis per interualla temporum tradita Catechesis. Antistita quædā magni in primis nominis ac dignitatis non satis habuit, si Nostris ipsa sæpiùs cōfiteretur, sed conata insupereſt, vt Sodalitium virginū seculare, cui ipsa prę sidet, legibus aliquantò meliùs constringeretur: quam in rem ex antiquatis ac propè neglectis canonibus collecta sunt per Nostros capita nōnulla, quæ ipsa ad Apostolicę Sedis Nuntium per Sacerdotē proprium transmissa sunt: vti firmētur; cuius studij & iam fructus nōnullos videmus, & maiores speramus in posterū. Ipsa certè Antistes contra superiorum morem dignitati suæ etiam perpetuæ castitatis votum adiunxit.

Obern-

Digitized by Google

Obernhemium (quæ vrbs est Imperij) pergit nos colere, ac ministerijs nostris vti propensissimè. Festis præcipuis in more habēt, à sacris Cōfessionibus vti vno è Nostris. Paschate proximo propter frequentiorē concursum submitti alterum oportuit; & post ferias etiam tertium, cùm satisfieri antea omnibus non potuisset. Optasset quidem senatus Catechesin à Nostris toto anno cōtinuari, sed personarū numerus vetuit. Itaque cum Parocho ac Sacellanis actum, vt hocce munus ipsi obirēt. Beneuolentiā deniq; in nos suam idem Senatus testatam fecit, cùm legatum satis amplum (quatuor aureorum millibus æstimabatur) defuncti cuiusdam ciuis voluntate Collegio relictum non tantùm non impedijt, sed decimum etiam nummum, qui ipsis singulari priuilegio debebatur, nobis liberalissimè remisit. Nostro itidem suasu perfectum, vt antequam consilium ineant, sacris propitiando Numini interfint. Et ne de Catholicis tantùm loquar, caupo quidam Caluinianus, homo cæteroqui ferox & barbarus, cùm Nostros domi suæ genibus nixos vesperi litanias recitare animaduertisset, ijsdem ipse etiam humi prostratus cum alijs respondit, & hanc pietatem admiratus totam se noctem in veris dogmatibus cognoscendis libenter se posiurum fuisse profitebatur, nisi Nostri nautico celeumate ad nauem fuissent reuocati. Alter iam grandi natu Philosophiæ apud Marpurgenses Professor cum Nostro iter faciens horridulum sese initio ostendebat, sed modestia religiosa delinitus ita immutatus

mutatus est, vt Nostrum de cõtrouersis Religionis capitibus differentẽ libenter audiret, & contra aliorum calumnias in hospitijs famam Societatis tueretur. Quin & alius Euangelij Præco Nostris in itinere obuiàm factus modesta eorum disputatione vsque adeo est captus, vt domum deductis cœnam hospitiúmque obtulerit, & Deum, vti pro se precarentur, obnixè postulârit.

Postremò nec eorum obliuiscendum, qui anno superiore tantam cladem & Collegio nostro & omnibus totâ Alsatiâ Catholicis intulerunt. De multis eorum rumore perlatum, ac de nonnullis quidem diserte perscriptum est, diuinum Numen grauissimas ob tot admissa scelera ac sacrilegia pœnas ab antesignanis earum turbarum repetijsse. Certè quidam Aulæ moderator, qui Crucem reliquijs multis armatâ ac prodigijs celebrem conculcârat, in tam grauem morbum incidit, vt nec mori posset nec conualescere. Simile est quod Prædicanti Caluiniano, Smidleni infamis olim hæretici nepoti, in vltionem scelerum euenit. Fuerat ille, quo tempore hostes vrbem tenuerunt, non tantùm in Collegio nostro, sed in ipso etiam triclinio blasphemias suas pro concione euomuerat, redijt ad pagum vicinum, vbi castra constiterant; cùm ecce eodem die graui correptus morbo intra breue tempus mirabiliter simul ac miserabiliter exspirauit; testante hoc medico non Catholico, qui illum infirmum & iam depositum inuisit.

XXV. TEMPLVM verò nostrum, quâ vetustate quâ

quà belli iniurijs aris profanatis, feneſtris vndique fractis deformatum, magno reparatum eſt ſumptu; ad quem minuendum aliquo modo cẽtum triginta Philippici ex triplici ſtipe collati. Acceſſit eius decori organicum inſtrumentum Illuſtris D. Fuggeri Auguſtani donum.

COLLEGIVM CONFLVENTINVM.

XXVI. PESTIFERA tabe magnoperè numerus Sociorum hîc imminutus eſt, alijs vitâ functis; alijs, vt periculo ſubducerentur, hinc dimiſſis; pauculis quibuſdam relictis, qui in ſummo ſæuientis mali æſtu morbidorum & morientium Patrum & Fratrum curam agerent: qui tamen & ipſi eâdem lue contacti partim vitæ & laborum viderunt finem, partim diſcrimine exempti ad alias vitæ ærumnas & Sociorum ſolatium reſeruati ſunt. E viuis itaque omninò nouem exceſsêre: quorum primus Vincentius Tauff Coadiutor, annos natus vndetriginta, abſolutiſſimus religioſus: qui vt viuens Socijs modeſtiæ, abſtinentiæ, pietatiſque exemplar fuerat ſingulare, ita & moriens earundem virtutum nonnemini magiſter factus eſt. Nam ſub noctis quietem cuidam apparens, ſuauitérq; homini caput demulcens, ne vel terrore victus animo caderet, vel experrectus inane opinaretur viſum, ſic alloquitur; *Triumte, Frater mi, apprimè memorem exopto, modò facilem mihi ad accipiẽda monita voluntatem dederis: Puritatis Angelica, laborum impigrè*

Digitized by Google

pigrè iuxta Societatis normam susceipiendorum, & paupertatis re nulla vnquam violanda. Post hunc expirauit Simon Prunus mense Iulio ad Confluentes eruditndæ iuuentutis gratia delatus, ad quod munus cùm se accingeret, palàm vitæ suæ spatia breui contrahenda cuidam aperuit: nec fefellit: postridie namque Idus Septembres vi morbi consumptus est, cùm annos quinque in Societate, in vniuersa vita quinque & viginti exegisset. Tertius P. Ioannes Ediger, cuius opera charitásque cùm decumbentium nulli deesset, auram pestilentem & ipse hausit, tertióque post Simonem die sacris omnibus munitus, flexis genibus decessit; in humanis annos quinquaginta quatuor, in Societate triginta sex versatus, docendo, concionando, rem familiarē procurando, confessiones domi foríque excipiendo diligens & excellens; adeò vt in vitæ termino ad primam illam Religionis ætatis innocētiæ plenam redisse videretur. Quartus fuit P. Ioannes Apperus Delphis in Hollandia noto genere natus; in quo nihil non laudabile, seu exteriora hominis spectes, seu in animum illius penetres: candor, modestia, mansuetudo, charitas perpetuam in eo fixêre sedem, cùm interim nihil de amœna animi decentíque lætitia vnquam remitteret: annos vitæ numerauit quadraginta, Societatis triginta tres. Die & hora eadem cum Patre hoc obijt Hermannus Felinus Vbius, viginti trium annorum iuuenis, amplius iam quatuor Societatis, multis is animi dotibus, memoria præsertim excellebat; nec tantùm

Digitized by Google

tùm eruditionis in Societate, sed & morũ & pietatis egregium egerat Magistrũ, cuius adhuc discipuli vt testæ recentes odorem reddunt suauissimũ. Vix intercessit dies, cùm euocatus Marcus Schmid Heiligenstadianus ex ipsa culina, in qua assiduam accuratámq; operam posuit optimus Tiro, quippe qui necdum secũdum probationis annum explêrat, & tantum tamen tam breui tẽpore inter fumi & fuliginis atrorem meruerat, vt cœlo dignus iudicaretur. Michael Hermanni septimus in ordine fuit, ætate qua vitæ qua Societatis par Hermanno, quem præmisimus, Græcanicarum literarum, quas doctè nõrat Professor: qui quidem longiore dignus vita adolescẽs præfidum arbitrio ad Colonienses ijt, sed cõceptum clam abstulit malum, quo ibidem VII. Calend. Octob. extinctus est. Singulari in Deum erat pietate, in Societatem fide; precandi qua voce qua mente studio præcellenti. Mensibus singulis humi prouolutus errorum notitiam similiter & veniam à Maioribus postulabat. Quos cõmentarios siue rerum quæ ad litteras siue quæ ad spiritum pertinebant, concinnabat, hisce fere aliisque hoc genus sententijs grandiori charactere formatis complebat: DEVS VIDET: DEVS ADEST: IN CONSPECTV DIVINO CONSISTENS OPERARIS: quibus tantam consecutus est vitæ innocentiam, vt vitia nescijsse potiùs quàm emendasse videri posset. Octauus P. Ioannes Schuman Bambergensis, qui magna charitate studióque omnibus obsequendi, aliquamdiu munus Ministri exercuerat: vir cùm alijs

virtu-

Digitized by Google

virtutibus, tùm præcipuè demissione & obedientia ornatus; triginta tantùm omnino annorum, nouem in Societate. Febris calida, quâ se inflammatum augurabatur, cùm carbunculos daret, obnixè ab infirmorum præfecto petebat, vt numero laborantium aggregaretur: sed vix hospitio oblato inferri licuit, cùm circa secundam noctis vigiliam precando placandóque DEVM emoritur. Funus vltimum fuit P. Ioannes Fuchsius Gottingensis, qui quadraginta sex è septuaginta annis ad suam aliorúmque salutem nauiter impendit. Hic ipso D. Michaëlis die, cùm eos, quibus salutis præsidia suppeditarat, in portum securũ iam enauigâsse persensisset, se quoq; ad idem iter præparauit: curatóque ritè animo & fixo in cœlum vultu V. Calend. Nouembris è viuis abijt: quem magno quidem luctu ciuitas tota ob insignia in plebem merita prosecuta tertiò publicis votis ac precibus conata est retinere. Nec minùs certè domesticis ille quàm externis charus fuit, quorum ita sanitatem curabat omnium, propriam penè vt negligeret.

XXVII. HANCQVE Sociorum apud Confluentes fortunam sacra quædam Virgo miræ simplicitatis per quietem diu ante præuidit; prænũciauítque, quàm accideret. Et quamuis Sacerdotes plerique omnes captandæ salubrioris auræ gratiâ aliò commigrarent, non tamen minuebatur Sacramẽta adeuntium numerus. Tres quippe Nostrorum statis ad tribunal diebus considebant, auréque omnibus cùm ægris tùm sanis, vt venerant, accommodabant. Venerant autem non

Digitized by Google

non vrbani modò, sed illi etiam, qui remotiùs agebant, quinq; aliquando aut sex milliaria germanico passu emensi: qui post institutam apud nos exomologesin constantem animi pacem reperisse magno suo gaudio & solatio affirmabãt. Omnis ætatis noxas resumpserunt plures sexaginta. In quorum censum etiam subinde milites venerũt, qui è vicinis diuersorum Principum castellis aderant animis suis rogatum auxilium.

XXVIII. SCHOLÆ sub exeuntem Septembrem vulgatâ iam contagione dimissæ sunt, neq; ante primas sequentis anni Calendas restauratæ. Mutuam interim fouebat charitatem Sodalitas ciuica. Cùm enim quidam ex illorum numero cum familia vniuersa grassans venenum hausisset, nec qui malo medelam quæreret, reliquus foret, Sodalitas è cœtu virum nominauit, qui decumbentibus adesset, & nequid ad animum corpúsque pertinens desideraretur, adlaboraret: postulabat similiter hoc viri virtus & probitas; vt qui nocturnis diurnísque precibus deditus assiduè cœlestia voluebat, corpus ieiunijs macerabat; alia præstabat, quæ paucorum sunt, & Sodalibus leges suæ & statuta præscribunt. Quo in exercitio cùm versaretur, & prementem fortunæ sarcinam grauiùs ferret (ære námque alieno astrictus bene magno tenebatur ob lares non ita pridem incendio vastatos) in ísthæc prorupit verba: *Aut bone Deus hoc me debitorum onere subleua, aut vitam, quam mihi meisq; concessisti, abrũpe:* audiítque rogantem Deus, atque ipsum totámque similiter familiam nocte eadem strauit

Digitized by Google

& ijs curarum fluctibus clementer exemit. Alius cùm iam animam agere videretur, & circũstantium cura esset maior: *Nihil*, inquit, *vos esse sollicitos volo: non hinc migro nisi Beatiss. matrem Dominam ac Patronam meam atq; S. Franciscum vitæ meæ custodem conspexero.* Die subsequente cùm respirâsse nonnihil appareret, subitò exclamat; *satis vixisse se, obeundum sibi:* itáque vale cum dixisset, emigrauit.

XXIX. COLLISI sub verni iciunij tempora fluuii Rhenus & Mosella latè se effundebant, Confluentiámq; vix sicco vestigio adiri concesserant: ac procellæ quidem tantæ fuerant, vt illis credere se vix quisquam auderet. Repertus tamen est qui vnà cum famulo scaphã quandam maiorem conscendit, ad templum euasit, ibíque horis aliquot in precibus confessione & communione peractis domum reuertit: sed lembo excussus secundo iam flumine rapiebatur, omnium vocibus, qui in littore stabant, conclamatus. Seruus interim non cunctatus pro heri salute vehementer sollicitatur: quem dum forte è medijs fluctibus caput exerentem conspicit, eo apprehensum in nauim producit, productúmq; rogat, quid mentis fuerit sub vndis latenti? *Hoc*, inquit; *Bene mihi, quòd animæ iam prospexerim, & omnium peccatorum condonationem acceperim: sed nimirùm eò arbitror in viuis seruatus sum, vt demõstrem exemplo, aquarum molem pietati cedere.* Erat ex ijs vnus, qui spiritum apud nos suum pijs contemplationibus excoluêre, quem adeò non terruit funesta à peste Collegij facies, vt cùm vni-

cum

cum tantùm Sacerdotem inibi videret sanum & incolumem, ab eo exercitia sumeret, magnóque animo sub ijsdem defunctum Collegij Ministrum terræ mandaret.

XXX. QVI Patres diuersis temporibus in agro fecére, mirũ dictu est, quàm acceptifuerint, quãque ab omnibus benè humanitérq; habiti. Quo in genere Andernacum oppidum ad Rheni ripam nobile, & Lintburgum vetusti Pagi Lagehnôe ornamentum & caput excelluerunt. Duobus Sacerdotibus, qui Lintburgum declinandæ contagionis gratiâ autumni temporibus secessêre, necessaria omnia, dum ibi versarentur, submiistrata sunt à R. D. Decano Ioañe Mechtelio à Pfalz, amico Societatis singulari. Ærarium domesticum angustum sanè atque exhaustum amici liberaliter adiuuerunt: donati aurei ampliùs trecenti: plures aliunde ab amicissimo submissi.

COLLEGIVM PADERBORNENSE CVM MISSIONE RITBERGENSI.

XXXI. IODOCVM Valpagem studijs humanioribus absoluto iam tirocinio operam dantem, lenta tabes & adorta est & strauit, redditúsque est cœlo viuens (quod eximia vitæ illius innocentia atque incensa in DEVM charitas persuadent,) ipso CHRISTI cœlum conscendentis die, mira animi lætitiâ delibutus. Scholæ sic eruditione, pietate, numero augent, vt de nouo

Digitized by Google

ludo excitando Reuerendiſ. Princeps cogitationem ſuſceperit. Puer vix decennis patre natus hæretico vrbis caupone, cùm ſacro fortè inſeruire à parente notaretur, actutùm ab altari ipſóque adeo templo euocatus eſt: negauit puer ſibi, niſi ſacrificio perſoluto, exire licitum. Ergo irâ excandeſcens pater filium domum redeuntem verberibus dirè excipit, ídque ſæpiùs, donec tandem inter plagas elaberetur: qui iam in eodem miniſterio apud nos præſtando cumprimis ſedulus eſt. Et pater licet fidem non probet, pueri tamen diligentiam non poteſt non probare. Alius cùm ad Lippienſem ſcholam lautis conditionibus à patruo præcone Lutherano ſæpiùs inuitaretur, ſemper recuſauit; ad extremum cùm violenta illi abductio adeóque vis pararetur, ad alterum patruum vrbis Prætorem profugit; éſtque etiamnum apud nos cum duobus Prætoris filijs patruelibus ſuis. Tertius item in patriam die eſuriali reuerſus pulchrum de hæreſi trophæum ſtatuit, cùm fame conflictari mallet, quàm gallinam epulo aduentorio coctam opiparè contingere. In Sodalitio iuuenum verberatio ſui ipſius ſpectata magnum excitauit ardorem corpora flagellis, cilicijs, inediâ, chameunijs, aliíſque hoc genus aſperitatibus perdomandi. Cœtus ciuium lectioribus aliquot capitibus illuſtrior factus. Sumúntque eam præcipuè ſibi curam Sodales eos ſubinde adducendi ad nos, quorum fides vel crepera, vel omnino improba, aut falſa.

XXXII. RECONCILIATI Eccleſiæ ſex & viginti:

Digitized by Google

ginti: paruus quidem in magna deprauatorum multitudine numerus, sed qui augendus è bonis auspicijs speratur. Nam quod ad grandiores natu impetratum iam à Principe edictum, ne cui matrimonium, nisi Catholico ritu confessus sit, permittatur: pro iunioribus verò, qui ad opificia admoueantur, obtentum, ne prædotribam vllum habeant nisi Catholicum: ita scholæ elementares ac vernaculæ, quibus hæresis sustentabatur, instillabatur, promouebatur, vno tẽpore vrbe tota explosæ. Magnum sanè vtrobíq; subsidium, eóque pluris faciendum, quò maiores pro ijs retinendis machinas ciuitas obiecit, adeo vt ipso Purificatæ Virginis die in solemni illa deductionis pompa libellos supplices suo ac suorũ Lutheranorum nomine Ludimoderatores duo obtulerint. Sed frustra fuére: iámque in quatuor scholis aliquot quauis hebdomade diebus Catechesin germanicè explicamus, aliámque quotidie (si Dominicam Sextámque feriam excipias) ad pauperes in templo S. Pancratij, cui à foro nomen. Fructum multa indicant, tum præcipuè propensior ciuium fauor, puerorum aduersus Nostros veneratio, accurata elementorum fidei recitatio, ac confessiones denique nonnullæ. Ascēticas B.P. Nostri commentationes obiêre viginti, nobiles duo, Curiones quinque, Sacellani tres, Theologiæ licentiâ donatus peritus in primis vnus. Eas vni Cacodæmon spectris infestior ferè suspectas reddidisset, nisi sacris amuletis armatus Sacerdos contra hostem veniisset. Quo de hoste cùm mentio inciderit,

Digitized by Google

addo & illud: magnam Nostris molestiam creatam in varijs, quos variæ causæ turbârant, ad sanitatem reducendis, adeò vt operam suam vnus nouem diuersis impenderit cum fructu. Exorcisini paucis quidem idque importunè tantùm flagitantibus adhibiti; reliquis explorata causæ cognitio, sincera confessio, SS. communio, aliáque similia saluti fuêre. Domus vna alteráque ob diuturnas infestationes feliciter lustratæ.

XXXIII. DIFFVSA Catechistica doctrina in Helbrugiam (pagum duorum milliariorum magnitudine) & ad salinarias tabernas oppidum grandi ab vrbe milliari distans. Spectátque ad hoc Collegium expeditio Ritbergensis, in quà non illustribus modò data opera, sed obscurioribus etiam, pagísque aliquot anno superiore, ad Ecclesiam redire cœptis; donec videlicet parœci idonei in labores succederent. Aggregati ad orthodoxos Sacramentis apud nos vsi sexcenti sexaginta quatuor. In his plures quàm centum fuêre septuagenarij, aut maiores natu. Credi non potest, quanto gaudio perfusi sint, cùm viderent tandē quasi postliminio reddi suis Parochis religionem illam, iuxta cuius ritus se olim baptizatos educatósq; meminerant, qua florente patriam pace atque opum affluentiâ floruisse prędicabant. Fuit vnus propè nonagenarius, qui peracta primùm confessione Sacerdotē nostrum circumstātibus monstraret, tanquam verum nec quicquam falsi asserentem animarum curatorem; hoc velut aculeo & pseudoeuangelistæ

Digitized by Google

liſtæ ſui falſitatem notãs, & ſimul Catholicæ veritati luculentum teſtimonium præbens. Officia Parochi duobus locis ordinariè, nonnunquam tribus adminiſtrata. Sæuiente in præcipuo Comitatûs pago peſtilitate, impetratum à Præſide eſt, vt extra arcem pernoctare liceret, quò facilius hoc malo contactis adeſſemus; ægris, qui domi detinebantur, Sacellano relictis, nos reliquos curandos expiandóſque in tempore ſuſcepimus, miram diuinæ prouidentiæ ac benignitatis vim experti: lues quippe omnia fœdabat nobis intactis; quin & arcem ipſam locáque, in quibus præcipuè verſabantur Noſtri, non quidem contagio, ſed febris afflixit. Illud item relatu, quàm perpeſſu iucundius, quòd ter vno die præſentiſſimum periculum adiêre. Pluuio cœlo ac procelloſo eſſedo vectabantur: illud Noſtris nil tale opinantibus euerſum, quadrante poſt in duas partes diuulſum, poſtremò equi velut rabie perciti in effuſam ſe fugam patente campo dederunt, vix tandem in vicino amne per ruſticum cómprehenſi; Noſtris interea preces fundentibus. Nec deſerti in his occupationibus milites; diſſidia inter illos, vt ſæpe fiunt, ita ſæpe cõpoſita: comparati ad pium vitæ finem non pauci, quos tincti veneno globi paulatim lenta morte conficiebant.

Maius operæpretium fuit in præcipuo Comitis ipſius belli Duce & Legato ad extremum ſupplicium diſponendo, reíque DEO iuuante feliciter ceſſit. Erat is genere Liuo, plùs quàm Equeſtris ordinis, vir ad omnia ſumma natus.

Digitized by Google

linguas cõplures peregrinas callebat: artes item Principe dignas, Equestrem, militarem, architectonicam, musicam, picturam: liberalibus scientijs benè excultus, Homerum Alexandri Magni instar habebat sibi perfamiliarem. *Et huic* quidem nimia lenitas exitio fuit. Aberat ab Arce Comes Pragam à Cæsare tanquam supremus exercitûs Catholici Cisrhenani Campiductor euocatus. Discedens in mandatis dederat, ne quenquam nisi lacessitus impeteret; sed nescio quâ harpyarũ auiditate illectus militi permisit, vt vicinas regiones populationibus ac fœda vastitate vexaret. Comes Pragæ septem Principum libellis repetundarum postulatur: ergo vicariũ suum in vinculą coniectum, causâ per aliquod spatium ventilatâ atque cognitâ, sententijs militaribus gladio adiudicandum curat. Hac ille occasione optimè vsus confessione de erratis tota vita admissis apud Nostrum Sacerdotem factâ, vt copiosè illata damna sarciret, Deum bonorum suorum scripsit hæredem, varia varijs tẽplis & Collegio centum regios largitus. Ad extremum auditâ constanti animo capitis sententia, hoc tantùm dicto *benè habet*, Sacerdotem Nostrum atq; Arcis Ecclesiasten arctè complexus morti sese obtulit, atque inter ipsa Christi animum Patri commendantis verba naturæ ac iustitiæ debitum persoluit. De vetere in nos beneuolentiâ nihil remittunt optimi Comites, quam & submissis Collegio identidem donarijs toto anno frequentes testantur. Munera, quæ solus Princeps tam Collegio quàm templo addi-

Digitized by Google

xit, facilè Philippicis septingentis æstimantur: ab alijs profecta trecentis. Et quoniam inter Lippiensis Comitis præfectos Nostrúmque Oeconomum perpetua ferè erat de agrorum siluarúmque finibus contentio, omnia per arbitros interposita Principis auctoritate decisa atque dimissa sunt.

COLLEGIVM MONASTERIENSE.

XXXIV. E MAGISTRIS vnus per mortem ad vitam ijt, Iosephus Mangetoir, quod eius nobis virtutes significant: patientia videlicet probata morbis, obsequendi suique frangendi studium, intima cum Deo coniunctio. Ab hæretica peruicacia resipuêre duodeuiginti: in quibus vnus duodecim ipsos annos occultis inspirationibus adeò restiterat, vt discerpi se malle quàm Catholicum fieri assereret: is hoc demùm anno cùm Dramati de Aulico Impœnitente (cuius historia à Venerabili Beda describitur) apud nos interesset, animum mutauit, se Catholicum dixit. Exercitiorum sacrorum præsidio multis iecta melior mens. Adolescens nullo parentum, amicorum, natalium respectu, immò nec hæreditatis amittendæ metu, qui obijciebatur, auerti poterat à puellâ imparis conditionis, quam insanè deperibat; huic, cùm Nostris in disciplinam ad dies aliquot esset datus, caligo illa ab oculis discussa est.

XXXV. EVOCAMVR Monasterio frequenter

Digitized by Google

ad Nobilium familias expiandas : frequenter ipsi ad vrbem & nos ventitant. Mulier nobilis Luthero addicta tantum Sacerdotis nostri monitis profecerat, vt hæreseos venenum, quod olim in Liuonia suxit, euomere statueret. Sed audito rursus verbi Lutherani præcone illud denuò imbibit, donec aqua intercute laborans huc à suis deducenda fuit : inuisit eam officij specie Noster, tantúmque egit, vt veritati manus daret. Edocta igitur pro angustijs temporis diuinisque mysterijs communita tantam animo cœpit lætitiam, vt in corpus redundarit, & cedente ea hydropis specie (quam Tympaniten vocant) meliusculè statim habuerit, iámq; præsit familiæ ad pietatem. Probata item Agni consecrati vis, & in puero, qui varijs agitabatur intemperijs ; & in puella, quæ nocturno tempore insomnis aliò atque aliò perreptans non sine periculo vagabatur. Excursum etiam longiùs, Werlas & ad tres alias præfecturas remotiores : quarũ vna ad Tecklenburgẽses Comites olim pertinuit, hæresi planè deformata; altera in Embslãdia: fructus vbiq; supra fidẽ atq; exspectationẽ; apud Embslandios præcipuè, vbi ex duodecim pagis ad tria hominum millia audire solent è suggestu verba faciẽtem. Mirabantur illi tot à Nostris labores suæ salutis causa nullo alio nostro vel commodo vel mercede proposita susceptos : inuitabant ipsi Consules nos ad reditum frequentiorem, oblato in res necessarias sumptu liberali : nec actum semel tantùm inter eos de scholis ibidem excitandis, eáque super re perscriptum ad eos, qui

qui Prouinciam pro Sereniſſimo Principe adminiſtrant. In reditu ad arcem quandam Principis diuertit Noſter: vbi & duos præfectos opportunè conciliauit, qui ſanguine cauſam deciſuri videbantur, & præſidiarios milites hæreticos ad vnum commonſtrato vitæ periculo (in quo ob quotidianos cum hoſte conflictus verſantur) ad Catholicam fidem complectendam perpulit. Sacerdotem verò concubinæ conſuetudine infamē & qui triginta ipſos annos ſub vtraque ſpecie ſynaxin præbuerat, abſoluere Noſter noluit, niſi coram tabellione teſtibúſque firmaret, ſe hyænam illam domo eiectam nunquam recepturum; atque è ſuggeſtu publicè errorem & in ſacris myſterijs admiſſam temeritatem audiente populo damnaturum; & fuit promiſſo fides. Ita factum, vt hac Parochi mutatione ſimúlque noſtris concionibus ac frequenti catecheſi circa Natalitios dies plures centum ſacras epulas deguſtarint, vbi antea vel nulli vel pauci admodum eſſe conſuêrant. Alijs locis, in quæ ſæpiùs etiam euocamur, ob raritatem operarum ſatisfieri nequit, ne recepta Collegij munia ſatis grauia deſtituantur.

XXXVI. Ita enim ſcholæ numero & nobilitate florent, vt vel aduerſarij ipſi inuideant, doleántque: quòd ex edicto liquet, quo anno ſuperiori vetuerunt, ne quis ſcholas noſtras adeat: cuius quidem edicti auctores præcipui intra hoc ſpatium ſublati memorantur. Deiparæ aliqui ſanitatem corporis acceptam ferunt, qui vel ad eius ſtatuam, quæ

exæ-

Digitized by Google

exædicula in templum princeps magnâ frequẽtia & pompâ est delata, supplicârunt, vel voto se eidem obstrinxerunt. Mulier salutarem B. P. Ignatij opem in partûs difficultate est experta: quæ vt grata esset, vestis illius particulam argento curauit includi, quâ alijs etiam puerperis subueniretur. Collegij structura ad ducentos viginti pedes excurrens priori parti adiecta est, vsibus nostris valde commoda.

COLLEGIVM HILDESIENSE.

XXXVII. MORBO tentatis aliquot vnus deniq; Cornelius Speck Coadiutor Formatus laudãdo patientiæ exemplo contabuit omnino; reliquis etiam à contagione Collegio vicinâ intactis. Pias B. P. Nostri meditationes obiuêre cum fructu sex & triginta. In his Nobilis, qui cùm filios ad nos deduxisset, literis imbuendos, in aliam ipse scholam traductus tãto animi feruore diuina tractauit, & Catholica sacra complexus est, vt medios inter hæreticos solus tanquam *lilium* inter spinas consistat. Cæterum recessêre ab hæreticorum cœtu nouem & sexaginta: eorum pleriq; apud nos diebus aliquot habiti edoctique & fidẽ propugnare, & virtutis iter sectari. Vnus verbi Minister hæresim, quam annis viginti septem docuerat, publicè in Nostro templo est detestatus, & nunc institutus à Nostris alio in loco pueros pietate ac literis informat. Mulier octogenaria à fide desciscens recitandi in laudem Virginis Ros-

Digitized by Google

Rosarij consuetudinem intermittere non poterat; hæc eiusdem ope Virginis ad Ecclesiam redijt antiquam. Adolescentes duo vehementi febrium æstu iactati voto B. Aloysio facto sanitatem recuperarunt. Alius aquæ lustralis aspersione graui molestáque spectri infestatione liberatus est. Fuit item voti reus, qui de Nostris Sacerdotis consilio Romam profectus gemino periculo & vinculorum & phreneseos sese exemit. Atque vt his pietas saluti, sic ei, qui sequitur, impietas fuit supplicio, ac reliquis documēto. Ludio quidam Lutheranus (Antonium Mōcker appellabant) publico in hospitio pretio conductus Sacerdotis sacrificantis habitum gestúsque mentitus augustissimo illi mysterio impiè illuserat. Nocte insequenti corpore paralysi dissoluto tantum scelus ita vlta est diuina iustitia, vt iam tali populo miserabile spectaculum fascia è collo ad manum sustinendam pendente, scipione labantes gressus firmante, stipem vicatim emendicet.

XXXVIII. AD SCHOLAS accessit noua de iure conscientiæ prælectio diu hîc expetita, & tantò maiori vsui ac bono futura, quantò magis in nos nostrósque discipulos tanquam talium rerum ignaros incurrunt aduersarij. Quidam Caluini Sectator iactarat apud Catholicos, Nostros secum congredi non audere, rogarátque, vti se ad Collegium euntem comitarētur disputationi interfuturi; acquiescunt, disputatur: sed Thraso ille rationum momentis eò angustiarum redactus est, vt ad extremum ingenuè fateretur, reson-

Digitized by Google

reſponderi non poſſe. Plùs ignominiæ abſtulit quidam illorum Superintendens (vt vocant) ex certamine, quod cum diſcipulo quodam noſtro inijt. Rhetoris erat ſeptendecim annorum adoleſcens, qui ab ipſomet Superintendente domũ inuitatus certamen nequaquam detrectauit: ſed quæſtiunculis tum Græcis tum Latinis, immo & ſyllogiſmis vtrâq; linguâ formatis, atq; appoſito ſacrarum literarũ teſtimonio firmatis, ita verſauit hominem, vt eum cõſilij mox pœniteret ſui; immò quaſi præ iracundiâ furens vxorem familiámque tanquam ad accendum hoſtem inclamaret: at noſter vt ante doctrinâ ſic nunc modeſtiâ vincere ſe poſſe demonſtrauit: profitetur ſe eius inuitatu veniſſe, moleſtum ceteroquin interpellatorem non futurum. Ita ille tum diſceſſit non præſenti tantùm victoria lætus, ſed aliorum commilitonum confirmatione, quos aretalogus ille ſuis technis perditum ibat. Verumenimuerò non huius tantùm hæretici ignorantia, ſed aliorum etiam toto anno ſæpiùs eſt animaduerſa. Produxerat iuuentus noſtra in theatrum ad ſtudiorum inſtaurationem Mauritium Imperatorem non ſine plauſu & lachrymis ſpectatorum: ipſis autem Hilariorum diebus (quòd templo proprio ad promerendas indulgentias hîc careamus) D. Eduardum Regem, quem plurimi ex aduerſarijs ſpectârunt magna cum approbatione. Illi vt etiam plauderent, ijſdem diebus ſpectandam in publico Suſannam exhibuêre, cuius iudiciũ Chriſtus & Apoſtoli (alto ſcilicet iudicio) honeſtabant:

Digitized by Google

bant: quæ res ita meritò displicuit, vulgò vt iactarent, templum ipsum, in quo dederant, sua obscœnitate conspurcasse; & in plateis, cùm vrbem de more obirent, multi negarint Apostolos elatiores fingi potuisse. Itaq; Pia dicentes hæc inter suos dum vident, nec cauere possunt, rumpũtur; & in nos spicula calumniarum expediunt, quibus pronuper ingens ferè periculum capitibus nostris conciuerunt. Occasio sumpta à Pragensi tumultu, de quo vnus atque alter eorum pro concione lamentabiliter retulit, quanta & quàm grauia Fratres sui Iesuitis auctoribus pertulissent; viderent ciues, quam ipsi pestem Hildesij in visceribus suis alerent, patriæ exitio semper intentam. Suscepta animis imperiterum Tribunitia oratio per compita tabernásque iactabatur: additæ item igni excitando ab eadem malitiæ officina fabellæ conuenientes, militem satis copiosum occultis cuniculis in domum nostram inductum, sceleri perficiundo armamentarium haberi à bellico apparatu egregiè instructum; murices ferratos qui tertio die per vrbem spargantur præparatos apud fabrum quendam ferrarium, qui tamen iuramenti ciuici religione ductus rem totam Magistratui detexerit. His incitata plebs arma corripit, plateam complet quasi in Collegium irruptura; feciſſétque dubio procul, nisi impediuisset re intellecta Magistratus; à quo & præsidium missum, quò ædes nostræ ad tres ipsas hebdomadas erant circumsessæ.

Et

Et quanquam custodes illi exitio nobis futuri poterãt videri, fuêre tamen saluti; vt qui & Collegium ipsum defenderent, & furentis turbæ furorem atque impetum à nobis arcerent. A Catechistis tamen nostris, qui etiam hoc ipso tempore nonnunquam inter lapidum imbres in pagos vicinos egrediebantur, manus non omnino cohibitæ; quorum vni lapis incussus (ope credo Deiparæ, quam pijs litanijs honorabat in via) desilijt in partes irrito ictu; alter alapa ad vrbis ingressum à milite cœsus vicinarum ingressu ædiũ intẽtum in se gladium declinauit: quod quidem facinus impio illi non diu impune fuit: postridie namque orta inter contubernales pugna brachium illi alterum tãtùm non ab humero est recisum. Propè item fuit, vt è ciuibus duo ad manus deuenirent, quòd eorum alter assereret, pulsis vrbe Iesuitis intra decennium incolas omnes Lutheranismum susceпturos; alter contra tenderet, vel hoc ipso decẽnij spatio totum Lutheranismum sepultum iri. Quæ tamen tempestates absque damno maiori denique detumuêre: & nos sicut antea persistimus freti præcipuè ac tuti beneuolentia atque auctoritate Sereniss. Electoris Ernesti; cuius nepos Ferdinandus hoc item in loco, vt alibi, Coadiutor est designatus magna spe atque lætitia Societatis ac bonorum omnium.

XXXIX. EX VRBE ad externa loca sæpe & fructuosè discessum. Primò in Perinensem comitatum, vbi in arce sola Catholicæ religionis exercitia vigent, qui post multum Nostrorum labo-

Digitized by Google

laborem frequentes diuina mysteria susceperūt. Deinde Halberstadium & Magdeburgum ad virorum & Deo dicatarum Virginum cœnobia: vbi etiam plerique omnes sacro epulo refecti piisque hortationibus ad cōstantiam sunt animati; quo in itinere errantes velut ouiculæ septem in ouile Christi sunt reductæ. Penetratum item ad aliud quoddam Monasterium, ad quod aditus huc vsque fuit nullus: sed in eo hoc tempore præter communionem & Missæ sacrificium tutius visum est nihil tentare.

XL. PRÆTER censum annuum viginti quinq; Philippicorum à Cœnobiarchâ D. Gotharti collatum, Canonicus quidam ad D. Andreæ sexaginta duos Societati viuens obtulit: moriens eandem ex triente hæredem scripsit: condonatum æs alienum nongentorum aureorum multis iam annis contractum vnà cum censu annuo centum aureorum à Reuerendiss. D. Leonino; qui & olim in gratiam Societatis cesserat Præpositurâ S. Mauritij, ex qua ad tēpus Collegio dos fuit. Spatia præterea ampliata accedente horto, domo, viuario valde opportunis, cùm plateâ duntaxat aliquot passuum à Collegio dirimantur. Assignata etiam ex Capituli decreto pro scholis vicina Canonici domus, modò aliam eidem comparemus; & verò rei expediendæ facultatem modúmque ipsimet suggesserunt, additâ potestate templi angustias latiùs proferendi: ad cuius supellectilem sacram addita Crux argentea, duodecim Apostolorū imagines pretio trecentorum Philippeûm, Diuis tutelaribus nostris

Digitized by Google

S. Antonio & B. Annæ ſtatuæ cubitales ex puro argento locatæ : ara ditata nobili periſtromate: aliæ denique minoris momenti eleemoſynæ facilè centum Philippeûm ſummam æquârunt.

GOLLEGIVM EMBRICENSE.

XLI. HINC duos euocauit mors: Georgium Degenhertz Grammatices Profeſſorem, iuuenē robuſtum, ſingulari obediendi promptitudine, religioſâ lætitiâ, ac morum ſuauitate, vt Noſtris amabilem, ita externis gratum ob ſingularem in rudibus ſacrâ profanáq; doctrinâ imbuendis induſtriam: oppreſſus eſt ardenti febri: qui ſequitur, Chriſtophorus Roſs, lentâ tabe. Tantâ hic patientiâ & animi moderatione ad migrationē ſe comparauit, vt identidem ad plura maioráque perferenda ſe promptiſſimum obtulerit, & erratorum veniam à ſuis ſæpiùs petierit.

XLII. RELIQVORVM opera in aſſidua præcipuè cum fidei hoſtibus pugna egregiè ſtetit. Ex his victas dedêre manus ſupra quadraginta, quos inter (vt nobiles aliquot matronas omittamus) viri duo primarij, quorum alter annis plurimis in Friſia militem contra Catholicos duxerat. Hic diuino inſtinctu Embricam fidei causâ veniens relictâ profanâ militiâ fructuoſo apud alios exemplo in Chriſti militiam eſt auctoratus. Alter Embricenſis ciuis clarus apud ſuos, qui Caluini venenum cum ipſo lacte ſuxerat, frendentibus licet ac contrà nitentibus hæreticis conſanguineis ac verbi præconibus in album Eccle-

Digitized by Google

Ecclesiæ Catholicæ est adscriptus: & iam recuperatâ Dei beneficio valetudine benè cepta cum aliorum bono constanter vrget. Catholicorum, & qui in his spiritu eminent, Sodalium feruor illud in dies sumit incrementum, vt hæretici sine odio atq; indignatione ferre non possint. Nam cùm hîc non pauci versentur, qui Coloniâ aut aliunde pulsi Sodalitatis vim iam aliũde cognorunt, ad illam teneram adhuc atque imbecillem grauissimis calumnijs conflictisq; criminibus opprimendam subinde insurgunt: sed illi vel à tribu suâ vel ipso Magistratu coërciti, puniti ex vrbe proscripti, paulatim damno suo sapiunt, & innocentibus incommodare omittunt.

XLIII. VNVM aliquod è multis, in quo & sacræ Crucis & Confessionis virtus illustrior apparuit, cõmemoremus. Adolescens erat viginti quatuor annorum magicis artibus à primâ pueritiâ infectus, quibus eum mater improba adhuc infantem initiârat, Christúmque eiurare docuerat. Exinde illi in peiora prolapso humana specie sæpiùs apparuerat Cacodæmon, operam liberaliter addicens, si imperata factitaret. Eum adolescens non rarò efformato salutiferæ Crucis signo fugârat. Interea magiæ crimen tam filio quàm matri obiectabatur vulgò ab incolis; cuius suspicionem vt amoliretur, ad probationem innocentiæ suæ per aquam audacter prouocabãt. Promiserat illis scilicet fallax genius, se (si in rem præsentem veneri esset) aquis eos mersurũ. Hac spe ductiLimbeckã Westphaliæ oppid. (vbi hoc probationis genus ex-

Digitized by Google

erceri solet) nullo ex suis hortatore, nullo conscio petunt. Prætori vltrò se sistunt, ac ob quod venerant, exposcunt. Prætor illos de more in globum colligatos per carnificem in profluentem deturbari mandat; sed ecce tibi vterque plumâ leuiores toto corpore supernatant, nec vna probatione cõtentis eâdem sæpiùs repetitâ idem effectus contra datam ab illusore spiritu fidem est cõsecutus; quare bonâ pecuniæ summâ Prætori datâ liberi dimittuntur, atq; ita mortis metu patria extorres huc illuc vagãtur, donec hîc, quo de agimus adolescens, ad Catholicum ciuem in vrbe hæretica deuenit; à quo cum litteris Embricam ad Nostros missus est, quibus rem totam, prout exposui, retulit. Hîc igitur sacris munitus antidotis mysteria fidei edoctus, integra totius vitæ exomologesi factâ, omnibus Dæmonum terriculamentis, quibus antea agitari solebat, liberatus est. Narrabat ille se antea magos & veneficas ex certis vultûs lineamentis agnouisse: quæ scientia nunc vnà cum impiarum artium abiuratione euanuerit. Degit etiamnum Embricæ, vt fidei Catholicæ rudimentis accuratiùs perpoliatur. Duæ ad duo Cliuiæ oppida Rhesam & Craneburgum excursiones celebrioribus anni diebus institutæ nihil à solitis variant. Ex virginibus vna, quæ hîc Deo ac pijs operibus vacant, annuos nobis Philippicos testamẽto legauit quinquaginta: altera decimas, quas hoc anno triginta item ac duobus Philippicis elocauimus: addidit Theologiæ Doctor aureos mille Carolinos: stipem reliquam à pia aliorum manu

in nos

Digitized by Google

in nos collatam mille item Philippeorum esse iudicaueris.

COLLEGIVM AQVISGRANENSE.

LXIV. VARIVS huius Collegij fuit hoc anno status, aliàs Hæreticorum odio in nos ferocius sæuiẽte, alias Dominicâ quoque bonitate opem suam nobis liquidiùs probante. Anno dimidiato, ab ipsis videlicet Calen. Ianuarijs ad III. Nonas Iulias, solemnia Societatis officia rectum suum habuêre cursum, cum hæreticis pro occasione actum sæpiùs disputatúmque: sed iam plura, multò impedimenta sese offerunt sub Principibus vicinis; qui cùm sint hæretici, crescit Prædicantium audacia ex subsidij, aut impunitatis saltem apud illos spe: vnde & spiritus altiores quàm superioribus annis conceperunt, & quotquot possunt à nostro consortio auertunt. Septem tamen ex eorum nassâ elapsi in potestate Ecclesiæ Catholicæ fore se promiserunt. Pro vnius salute impensiùs laboratum. Miles erat capitis reus, eò quòd præter alia faciuora vitricum securi in caput impactâ sustulisset; hũc in partes suas pertrahere hæretici conabantur, tùm quòd aliàs sub Hollaudis meruisset, tùm quòd Prætorem nouum sibi fauentem nacti essent. Sed pertinax Nostrorũ labor & religiosa quędam libertas palmam tulit, adeò vt hæreticis amotis reum Nostri in potestate habuerint, & Prætorem ipsum ad SS. Eucharistiam de more proponendam, aliás-

Digitized by Google

que apud Catholicos receptas ceremonias sartas tectas conseruandas compulerint.

XLV. EFFLORESCEBANT paulatim post ciuilẽ tumultũ pacatis belli Iuliacensis motibus scholæ, & quod omnium maximum censeri debet, concordia optatissima inter Magistratũ Catholicum & Scabinos, pro qua aliquot annis laboratum, Serenissimo Electore Colonensi sequestro certis conditionibus conuenerat. Idem etiam Sereniss. prima hæreticorũ capita ad se conuocans pro potestate sibi ab Cæsare in Aquensi negocio permissa monuerat, caueren t, ne quid molirẽtur; quod pacẽ inter Catholicos turbaret. Verùm tm̃ abfuit, vt sanis animis hæc monita acciperent, vt potius irent in alia omnia, ac sub religionis prætextu tumultum grauissimum periculosissimúmq;, quem iam pridẽ clanculò adornarant, in apertum hac occasione proferrent.

Attinebantur in libero Ciuium carcere hæretici sex, quòd extra vrbem cõtra expressam Magistratus prohibitionem ad conciones hæreticas audiendas sæpiùs excurrissent. His mandatum erat, vti leuem aliquam mulctam in obedientiæ testimonium persoluerẽt: eam cùm non ad dies paucos, sed in sex ipsas hebdomadas differrent, tandem III. Nonas Iulias decretũ in senatu est, vt vel mulctam dictam redderẽt; vel si per facultates non possent, promissa emẽdatione remitti sibi postularent; aut denique, si neutrum præstitissent, tanquã contumaces ac rebelles ante solẽ occasum vrbe cederent. Hoc Senatusconsulto ante meridiẽ facto rem totam ita constituunt, vt dissimu-

Digitized by Google

dissimulato consilio conatus suos exequantur. Circa quartam meridianã dato signo sumptis armis in forum conuolant, domum ciuicam inuadunt, portarũ claues potestatis suæ faciunt. Initium seditionis à temerarijs quibusdã adolescẽtibus datũ, qui velut lymphati atq; amentes tota vrbe vagabantur. Aberat incomodũm eo tempore à Collegio P. Rector cum socio, pridie eius diei ad Dũm Mareschallum Iulię negotiorũ causâ profectus: aduenerant cõtrà die eodẽ ex Aquis Spadanis ob curandam valetudinẽ peregrini Patres duo, Bartholom. Iacquinotius Superior Domus Professæ Parisiensis, & Nicolaus Semetz ex Collegio Louanensi; qui hac ipsa hora inuitatu D. Decani cum Collegij Procuratore ad B. Virginis Basilicam accesserant, vt reliquias sacratissimas, quæ ibidẽ asseruantur, venerabundi spectarent atq; exoscularẽtur. Sed obseratis ad tumultûs famam Basilicę valuis ad Decanum aliquamdiu secesserant, donec intra sextam horam & septimam turbis crescẽtibus in Collegium ad suos reuerti statuerunt; iámque non longè aberant à Collegio, cùm temerarij illi, de quibus dixi, iuuenes hastis, gladijs, sclopis, bipennibus armati in eos ante Collegium consistentes impetum faciunt; occidũntque ipsos ante portam (quæ tàm citò aperiri non potuerat) nisi in duas Catholicorum ædes, Collegio appositas præcipiti fuga sese coniecissent. Ac procurator quidem, vtpote notior, in domũ susceptus à vicino, globos per ipsum ostium immissos leui declinatione vi-

ne vitauit, superatisque parietibus aliquot muris; intergerinis in aliam domum amici Catholici euasit; à quo vsq; ad vndecimam noctis horam ob periculi metum detentus est. Peregrini autem Patres in ipso alterius domûs aditu collapsi intentos furiosorum sclopos eluserunt; atq; eorum alter in penu ipsum prorepsit, alter autẽ in obscurum nescio quod foramẽ sese abstrusit, vbi delitescens mortem in momenta præstolabatur. Furebant interim ac vociferabantur ante Collegium ædesq; illas venatici canes in prædam intenti.

XLVI. Reliqui Socij qui iu Collegio erant, periculi suorum ignari auditâ seditione in templũ ante Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum precabundi cõueniunt, vitam ibidem suam pro DEO coram DEO (si ita bonitati ipsius visum fuisset) libenti ac constanti animo posituri. Sed quiete paulò pòst subsecuta diffluentibus paulatim insanis illis, reseratæ sunt Collegij portæ; intellectúmque à vicinis, quantum periculi tres illi Patres adijssent, qui & in Collegium denique magno cum Sociorum gaudio incolumes DEI beneficio recepti sunt. Tum verò facilè colligere potuimus, quo in loco res nostræ, vel illa ipsa nocte forent, vel certè postridie essent futuræ. Itaque & partem aliquam supellectilis & libros Societati peculiares aliò transferre animus fuit; sed hoc consilium interturbauit continuus ferè tota nocte vigilum vltrò citróque commeantium discursus. Quo item factum, vt exigua à multis eà nocte quies caperetur, sed preces potiùs

tiùs fierent, quò Diuinum Numẽ omnes aduersariorum conatus ad maiorem sui nominis gloriam conuerteret. Idque impensiùs sub tertiam matutinam: cùm excubitores, qui totâ nocte Collegium sæpiùs tanquam in obsidione castrũ obiuerant, ad ipsum portæ limen considerent. Quæ res ad reliquos, qui à porta remotiùs habitabant, à vicinioribus delata mirosin ipsis animorum motus concitauit. Nec iniucundum tamen spectaculum erat, in rebus tristibus videre, tantam inter veros Societatis nostræ filios ad aspera quæuis perpetienda alacritatem, ac voluntatis suæ cum diuinâ conspirationem. Iámque omnibus confessione præuia expiatis in eo eramus, vt fratres omnes sacrosancta Eucharistia reficerentur firmarentúrque; cùm ijdem iuuenes adiunctis alijs maiori impetu, tumultu, clamore, quàm pridie fecerant, Collegium aggrediuntur, saxis ingentibus, hastis, contis in portam benè firmam & tunc tignornm obiectu munitam identidem arietant. Cúmque per fenestram portæ vicinam de causa aduentûs rogati nihil pacati responderent, eandem ferram porrò versare permissi sunt, eo consilio, vt strepitu illo ac conuitijs exciti Catholici è somno illatæ nobis iniuriæ testes forent. Denique tamen consultius visum, vti porta illis vltrò panderetur; maximè cùm in hortum nostrum per vicinas hæretici ædes irrupisse eorum partem iam constaret, & pessulo vno ictuum vi disiecto porta ipsa nonnihil concuteretur. Aperto ostio Antesignanus cum Socijs aliquot in Collegium subitò

Digitized by Google

penetrat; è quibus vnus Patri cuidam ibi astanti plagam satis luculentã secundùm caput infligit; in ianitorẽ plures irruentes verberibus inhumaniter oneratunt: vnde ille in ipso aditu tam malè exceptus quęsita occasione periculo se subduxit, ac postmodùm in rerum nostrarũ cõseruatione vtilẽ admodùm Collegio nostro operam posuit. A porta in aream interiorẽ digressis occurrũt Patres duo, quibus quæstiũculas stultitiæ suæ indices proponunt: Vbi lateant ciuitatis cõsules, qui captandis consilijs nos conuenirent? Vbi puluis tormẽtarius armáq; reliqua ad ciuitatis interitũ cõparata? Ad hæc cùm responderet Pater vnus, negarétq; vel apparatũ vllum bellicum, vel Consulum quenquã apud nos esse; quæsiére iterũ, vbi reliqui Nostratiũ? *In tẽplo*, inquit, *Nostri: me sequere & omnes tibi actutũ demonstrabo.* Iêre: & ad primũ Nostrorũ ante SS. Eucharistiam precantiũ conspectũ substitêre nonnihil, quasi sacro quodã stupore defixi; sed ferocia breui resumpta is qui cęteris ducem se præstare videbatur, ad facinus preces interpellans, omnes, qui ibidẽ aderant, ex templo in vicinam areolam protrahit, ac non multò post (cùm ipse & Socij ientaculũ admodũ mane sumpsissent) ex Collegio versus curiam Nostros numero nouẽ via infami (qua capitis reos deduci mos est) cum multis sannis cõuiciisq; traducit. Collachrymabantur Catholici eũ ciues tùm discipuli nõnulli, qui inusitato clamore ac tumultu exciti ad spectaculũ conuenerant; qui & dolorẽ suum voce etiam aliisq; quib⁹ poterant, signis testabantur. In curiam deducti iudi-

Digitized by Google

Iudiciũ aliquod hominũ prudentium, aut saltem speciẽ iudicij aliquam exspectabamus: imò causæ bonitate freti idipsum petebam⁹ sæpiùs, quò crimina nobis obiecta liceret diluere: sed petijmus sæpiùs, impetrauimus nunquã. Iñane dictu est, quàm multa quãq; indigna toto illo die à quinta matutina ad octauã vsq; vesperrinã à sordida illa hominũ fece Patres perpessi sint, adeò vt humaniores ex ipsis hæreticis nonnulli ad amoliendã à nobis molestiã captiuitatis locũ quinquies minimùm toto eo, quod dixi, spacio permutãdum curauerint: quãuis frustrã. Vix. n. aliò traducti eramus, cũ feroculi aliqui concurrunt, támq; diu vociferatione, minis, sarcasmis, vi etiam adhibita molesti sunt, dum aditũ ad nos atq; ad intermissas derisiones cõuitia ac verbera extorquẽt. Sub meridiem tñ nõnihil quietis fuit, cùm metu Reginę Galliarũ Patrem illum Gallum, qui nobiscũ erat suo cũ Socio, ad Decani domũ ex aduersarijs nõnulli deduxerunt, oblata illi, quocunq; libuisset, eundi facultate; in quã dimissionẽ Iacquinotio nonnihil repugnante (ne Socios in tali discrimine turpiter deseruisse videretur) tantò faciliùs cõsensẽre capti, quòd eorũ præsẽtia ac consilijs reliquos ex eodẽ periculo ereptum iri sperarent: prout etiam euenit. Re. n. tota liquidiùs cõperta cũ Decano Cõsul ciuitatis primari⁹, vt Catholici quidã apud plebẽ gratiosi huic se negotio miscerent, laborauit, cõsilióq; cum aduersariorũ Coryphęis habito illud tandẽ circa vesperam impetratum est (repugnantibus licet nonnullis) vt à quinq; deputatis ad Decani ædes deduceremur, ibique detineremur in libera velut custodia, popu-

Digitized by Google

populo quando, & vbicunque libuisset, sistendi. Qua in re magna diuinæ bonitatis ac prouidentiæ in suos ratio eluxit. Si enim nocte illa tota, inter immanes illas belluas persistendum fuisset, nullus fortasse Nostrorum mortẽ (ad quam inferendam funes ab ipsis coëmptos constanter ferebatur) euasisset. Ab ipso autem Decano ita amanter ac benevolè susceptí, pérq; ipsos quinque menses habiti sumus, nullum vt in eo patroni optimi, imò parentis liberalissimi officium potuerimus desiderare. Et hæc cum Patribus ipsis gesta sunt.

XLVII. IN COLLEGIO autem ab ijs, qui ibidem permanserant, aut postea superuenerant, mirum quàm multa impiè nequitérq; perpetrata. Ostia complura diffracta, cubicula spoliata, vestes lineæ laneæq; non paucæ ablatæ, libri benè multi sublecti, lacerati, fœdati, dispersi; statuæ Angelorum marmoreæ duæ fœdè mutilatæ, imago D. Petri hastis, bipennibus, scloporum glandibus appetita, clauísque ei non sine blasphemijs comminuta, vt & D. Paulo suus gladius: ac ne huic tragœdiæ sua deessent ludicra, rem etiam sacram cantando, supplicationem in vestibus mentiendo sacris, ad confessionẽ ritu Catholico peragendam inuitando, derisoriè repræsentarunt; consecratas Agni cœlestis imagines pedibus conculcarunt, in plateas per fenestras eiecerunt, à sola Eucharistia, in ipso pastophorio seu tabernaculo abdita, sese abstinuerũt; quamuis alias hostias nondum à Sacerdote consecratas varijs locis pro scopo affixas frequẽtibus globis ap-

Digitized by Google

bis appetierint. Denique quidquid esculenti ac poculenti toto illo tempore absumi, quidquid induſiorum, linteaminum, aliarum id genus rerum clám efferri potuit, non omiserunt; donec tandem ad meridiem expulsa illa per præcipuos quosdam hæreticorum fece, Collegij claues apud duos Canonicos depositæ sunt; ac duo insuper milites ad domûs custodiam per magistratum Catholicum constituti. Et hic alterius diei exitus fuit.

XLVIII. DIEBVS insequentibus affulgebat spes ineundæ inter rebelles & magistratum concordiæ; & iam de conditionibus nonnullis ferè conuenerat: sed audito nuncio de Commissarijs per Principes Iuliæ huc mittendis, spes illa penitus euanuit; maximè postquam illi ipsi Cõmissarij ad XVII. Calend. Augusti aduenissent. Itaq; tumultuantes illi peiora in dies moliebantur, adeò vt duobus ipsi locis per vim occupatis quauis hebdomada sæpiùs concionarentur: nec Canonicis, sæpiùs licet petentibus, concedere vnquam voluerunt, vt vel quinque mensiũ spacio vnica concio in præcipua vrbis basilica per nostros homines haberetur; quos vrbe exactos omnibus modis exoptabant, & in scripto quodã infami nomen nostrum mendacissimè apud imperitam multitudinem traducebant. Et verò legati Principum Catholicorum, præcipuè Serenissimi Electoris Ernesti & Archiducum Brabãtiæ, libentissimè causam nostram tuendam suscepissent: sed ab ijs multorum mensium decursu illusi nunquam auditi pro dignitate suorum

Prin-

Digitized by Google

Principum fuêre. Restabat solus Christianissimæ Galliarum Reginæ legatus, qui quantum in hac causa effecerit, nostri iudicij non est pronũciare. Is tamen, quia restitutam in hac vrbe Societatem vehementer cupiebat, omnibus modis (maximè sub abitûs sui tempus) laborauit, vt in Collegium nostrum, quacunque fieri posset ratione, restitueremur. Cùm ergo apud plebem egisset, vt Decanus à stipulatione sua de nobis sistendis scripto publico liberaretur, & nos tamen resisteremus, tùm ob timorẽ, ne cæsaream Maiestatẽ offenderemus; tùm etiam, ne quam offensæ occasionem Catholicis præberemus: Legatus hæc non considerans primùm ex aula Decani in aream, deinde ex area in currum vi adhibita nos tam per se quàm per alios adegit, ad extremum post multas cunctationes & moras in Collegij possessionem pridie Nonas Decembres restituit, professus coram omnibus, nos in posterum omnia nostra priuilegia, omnémque libertatẽ habituros, insuper & sub Reginæ suæ ac Principũ Iuliacensium tutela futuros. Ad quam postremam cõditionem (ne nobis apud Catholicos Principes fraudi esset) respondimus sæpius, nobis de ea re statuere integrum nõ esse, nisi superiorem nostrũ in negotio tanti momenti consuluissemus. Affirmauit autem sæpiùs Marchio, se, quæcunque in ea causa attentasset, sincero in Societatem affectu egisse; quem vt clariùs omnibus testatum redderet, nobis in vacuam domum reductis & prandium opiparum parauit, & hîc manens templum nostrum sæpe adijt, & disce-

Digitized by Google

discedens literas nobis suo ac Collegarum nomine sigillis additis tradidit, quibus nos in priori statu certò confirmatos arbitraretur. Et quanquam modus ille restitutionis tam violētus displicere potuerit; tamen si consideretur, quantum boni interea sine vllo cuiusquā præiudicio, aut offensione peractum sit, non satis Dei prouidentia commendari posse videtur; quæ nos tam opportunè (reliquis in peiora quotidie labentibus) in domicilium reduxit.

Quin & Nostris legatorum auctoritate restitutis maior apud hæreticos ipsos terror accessit, & apud quosdam veneratio; adeò vt prædicare possimus. Societatis nomen hac vna breuissimi temporis clade multò plùs, quàm aliquot annorum periodis antea fuisse illustratum. Denique multorum in ordinem nostrū animi hac malorum tolerantia non parùm sunt immutati; vt iam maiorem multorum beneuolentiam beneficentiámque etiam afflictis hisce temporibus experiamur.

COLLEGIVM BAMBERGENSE.

XLIX. BAMBERGÆ lætis omnino initijs domum primùm, post etiam Collegium habere cæpimus, hac occasione. Anno superiore Iulio mense iuerat P. Prouincialis ad salutandum Principem recens consecratū, virum, si quis alius ordinis nostri amantissimū. Eius aduentus bono omine in profestum D. Henrico Augusto loci Tuse-

Tutelari ſacrum inciderat. Poſtridie ſacro ad aram auguſtorum tutelarium exuuijs venerandam facto ad Colloquium admiſſus, poſt varia vltrò citróque agitata concluſum eſt, vt certa nobis ſedes Bambergæ ſtatueretur. Quatuor menſium ſpacium datum ad res diſponēdas Sociósque euocandos, qui ad certum diem (is erat XVII. Calendas Ianuarias) adeſſent. Interea cùm à milite vicini Dynaſtæ nonnihil periculi venientibus timeretur, carpento præfidij honoríſque causâ obuiàm miſſo Socios tres ad ſe in aulam deduci præcipit, ibíque ſumma humanitate ac beneuolentia acceptos biduo detinet. Exinde in ædes à ſe conductas atq; vſibus noſtris paratas deductis non tantùm fauſtiſſima cum prece claues dedit, ſed prandio frugali cum præcipuis Cœnobiarchis adeſſe voluit, ſe primum eius loci Rectorēm ſuaui & amico ioco identidem aſſirmans. His veluti ſtimulis ad Societatis munia excitati Noſtri ita inter ſe conciones partiti ſunt, vt Sacerdotum vnus Dominicis, alter feſtis diebus ad populum verba faceret in præcipua vrbis parœcia: pueros autem rudimentis Chriſtianis vterque in vtraque Parochia erudiret. Extra hæc cœpimus ægris adeundis ſolandíſque operam nauare, Xenodochia & ergaſtula luſtrare, moribundos ac lue etiam infectos diu noctúque ad ſupremam luctam armare, annorum omnium noxas à confitentibus audire, diſſidentes in gratiam reponere, ea denique exercere, quæ in Collegio numeroſo fieri mos eſt; adeò vt vulgus incredulum à tam paucis iſta geri, ad

Digitized by Google

ri, domum nostram (quę à duobus Sacerdotibus & vno Fratre incolebatur) nunc à viginti, aliàs à triginta habitari mussaret.

L. AD MAIORVM fidem spretis hæreseon commentis quinquaginta transierunt. In his adolescens calore febrili amens ac spectris territus ferro in iugulum adacto sine spe vitæ iacebat: hic Dei prouisu Nostro aduenientè sibi redditus hæreseos ac peccatorum virus omne eiecit. Alium annis ac morbis grauem ab omnibus desertum, aditu impetrato Nostri in Xenodochium detulerant, vbi sæpiùs de salute admonitus manebat obstinatior, donec tandem sospes effectus sponte fecit, quod toties rogatus abnuerat. Quidam fidei ordinisque vltra annos viginti desertor audito Ecclesiaste nostro tanquam è lethali veterno excitus peractâ cum multis lacrymis confessione Ecclesiæ atq; Ordini suo est restitutus. Alius Sacerdos viginti sex sacrilegis nuptijs apud hæreticos celebratis in pellicatu vixerat: hic detectis retroactæ vitæ culpis, pellice res sibi suas habere iussa, è cœno emersit, & pietatem constanter colit. Nobilis Lutherani famulus epilepsiâ occupatus fidem Catholicâ à Nostro propositam cõplexus est, Domino non solùm permittente, sed etiam hortante; qui ipse breui eiurata hæresi ad Catholicos accessit. Pacis demùm initæ, mysteriorúmq; cum fructu susceptorum, hæc exempla sunto. Miles lethiferis nocte intempesta vulneribus affectus Sacerdotis nostri monitu Deo reconciliatus iniuriam se remittere palàm depromisit: coniuges, qui in se mutò ex-

Digitized by Google

arserant, gratiam redintegrarũt: alij diremptum iniquo diuortio matrimoniũ reuocarunt: mulier desperabunda ob inopiam à resti, quam parauerat, auersa: alia, quæ febri æstuans vix spiritum retinebat, factâ confessione ita conualuit, vt sacramenti beneficio vitam sibi redditam contestetur. Vir Senatorius propalàm iuramento se obstrinxerat, confessionem apud nos nunquam obiturũ: sed cognitâ ex alijs Nostrorũ in tractandis animis dexteritate semel adijt, quasi periculũ facturus, statimque ita captus est, vt cùm secundò rediret, vxorem secum adduxerit.

LI. Hæc atque his gemina Cacodæmonem in nos non leuiter concitârunt, vt calumnias alibi sparsas de nobis non modò hîc etiam vulgaret, sed nouas etiam cuderet, symbolámq; suam ex mendacij officina liberaliter afferret. Cùm pestis per vrbem serperet, nobilis quidam Caluinianus absente Principe ad consiliũ eius retulit, non solùm Nostros, sed eos etiam, qui Curionũ vices agunt, nostro suasu iussúq; à pestiferis adeundis abstinere. Huic non scripto magis, quàm factis egregiè responsum, cùm ijsdem diebus cõtagiosi plures & in Xenodóchio & alibi etiam à Nostris aditi atque adiuti sunt. Quibus rebus ita Nostris conciliata plebs est, vt quamuis initio operam nostram in Cõfessionum munere multi defugerent, tamen ita immutati sint, vt circa Pascha tis ferias adulti bis mille ducenti culpas suas duobus è Societate Sacerdotibus exposuerint, tam continentẽ laborem stupente atque approbante ciuitate. Quare & à nobilium Canonicorum

rum Collegio, cùm ad eos Reuerēdiſs. abſens per literas internuncias de ſtabili ſede Societ. Bābergenſi decernenda retuliſſet, in Principis ſententiam cōmuni omnium ſuffragio itum, V. Nonas Martij ipſo Beatæ Kunegundis vrbis patronę peruigilio, vt eoſdē hîc Diuos tutelares haberemus, quos ciuitas vniuerſa. Trimeſtri deinde poſt Collegium Erneſtinū (alumnis, quos olim Erneſtus Princeps anteceſſor ex Concilij Trident. norma deſtinarat, in aliam domū migrare iuſſis) in Societatis poteſtatē venit, tradentibus illud P. Prouinciali conceptâ verborū formâ Reuerendis, ac Nobilib⁹ DD. Præpoſito ac Decano primariæ ædis Canonicis; in quod ex cōducta domo immigrauimus pridie B. P. N. Ignatij, diſcipulis (qui externis moderatoribus adhuc vſi fuerant) intra Collegij ſepta tantiſper receptis, donec nouæ à fundamentis Principis ſumptu ædificari cœptæ ſcholæ ad faſtigium aſſurgant.

LII. SVB initium Nouembr. cùm iam ante Sacerdotes ſeptem ac Magiſtri tres conueniſſent, omnes humaniorū literarum, Dialecticæ, moralis Theologiæ, ac controuerſiarū ſcholas aperuimus; præmiſſa à ſtudiorū Præfecto de Societatis in erudiendâ iuuentute inſtituto panegyri, diuiſiſq; in diligentiores aliquot ex Principis liberalitate præmijs. Deniq; toto præſentatæ Virginis die duplex inſtituta Sodalitas Angelorum, Deiparæque; in quam multi dignitate, ſcientia, aliiſque titulis clari recepti ſunt; cùm ipſe Reuerendiſsimus Princeps primus omnium nomen ſuum in Sodaliū albo conſignâſſet. Præfecti munus delatū eſt Reuerēdo Decano, quod ille p ſuo

Digitized by Google

in Deiparam Romæ olim concepto amore non grauatè susceptit; & nunc cõstituto ex Cleri Doctorúmque flore Senatu Parthenio rem Sodalitatis promouere pergit. Omnium penè vox est, vel modico illo tempore, quo in hanc vrbem conceſſimus, magnam bonorum ſegetem eſſe collectam, & malorum frugem oppreſſam: inuidentibus tamen clàm palàm aduerſarijs, nõnullis etiam, quos minimè oportebat Societatem ex occulto allatrantibus: ſed nos tuti ſumus Deo protegente, fauente Principe, quem Societatis hoc loco parentem poſſumus appellare: ita res noſtras curat ſollicitè, ita vrget, ita promouet; nulla impedimentorum, quæ obijciuntur difficultate deterritus; nulla multiplicium ſumptuũ, qui faciẽdi ſunt, magnitudine præpeditus. Hinc & ab Epiſcopatu abſens, quoties ſcripſit Aulæ Præfecto, nos tãquam filios amantiſſimos commendauit; & Noribergæ in conuentu Principũ agens Rectori ad ſe vocato de peccatis confeſſus vnum ex Cæſareis legatis iuxtà cum vxore nobiliſſima ad idem præſtandum ſuo exemplo incitauit; & cùm variorum litteræ contra nos afferrẽtur, nihil ille commotus in eodem Societatis amore inconcuſſus permanſit. Quin & ſupellectili de integro adornandæ (extra ea, quæ Collegio nobis accommodando perſoluta ſunt) facilè impendit ter mille aureos: ad ſacram templi inſtrumentum cultúmq; ſeptingentos: ad bibliothecam veterem cæteroqui non ſpernendam politioris literaturæ libris, quibus nuda erat, inſtruendam quadringentos. Principis exemplum ſecu-

Digitized by Google

secutus eius in sacris Vicarius D. Fridericus Fornerus, magna integritate vir & constanti in nos voluntate, donauit Pastophorium auro atque argento affabrè illustratum, vnâ cum hierotheca argentea augustissimo Christi corpori asseruando. Idem nobis altare magnitudine & artificio visendum fabre fieri curat.

RESIDENTIÆ QVINQVE CVM MISSIONE SANCTENSI.

LIII. PRIMA est Altenensis, in qua sacram mẽsam apud nos adiére plures ducentis. Veritatem relictis erroribus agnouêre septem: ex his præco Lutheranus, qui eo munere in ampla Archiepiscopatûs Bremensis parœcia complures annos perfunctus volutatione Bellarmini, Baronij, nostróque congressu in errore se tandem deprehẽdit, quem & in sacello nostro eiurauit. Fuére etiam, qui Antidotis Ecclesiæ piacularibus adhibitis magna à se vel mala vel pericula arcuerũt. Nauarchus sub hyemem Oceano se crediderat sacro cerei Agni præsidio munitus, quo Sociorum alij & de germanis fratribus duo carebant, suo quidem malo. Nam cum in tertium vsque mensem venti & fluctus perinfesti essent, nauisque paulatim efferuescentibus vndis fatisceret, Nauiculator onerariâ relictâ in scapham insilijt, quam & detracto sibi piaculari amuleto contra fluctus munijt, eóque fratres etiam suos præ alijs velut ad asylum certissimum inuitauit.

Digitized by Google

Sed illis siue metu attonitis, siue paris periculi magnitudine tardantibus locum præripuêre è Socijs alij duo; & fune, quo scapha trahebatur, præciso, ventis, qui rigidissimi erant; procellis, quæ nauiculam vehementer iactitabant, se commiserunt, adeóque portum, cum quinq; à statione milliaribus abessent, viui tandem, alijs calamitoso fato cum oneraria absorptis, tenuerunt. Qui casus multam sanè admirationem & reuerentiam conciliauit eiusmodi rebus sacris, etiam apud aduersarios religionis. Nec nouum esse, quod de S. Vdalrici contra glires virtute commemorant, nouo hîc exemplo demonstratum est. Cùm enim quidam è Collegio Augustano Pater è gleba eius lipsanothecæ, in qua Diuus ille quiescit, pulueres Nostris hîc petentibus procurâsset, eósque ipsi contra animantium illorum pernicios as incursiones cum voto & anathemate diuersis locis suspendissent, omnis illicò infesta pestis abfuit, noxiáque cessauit.

LIV. ALTERA est Erfurtensis. Hîc inter frequentia externorum funera Dei beneficio Nostri superstitauêre, protulêréque extra templi ambitum ad passus aliquot nouam Catechesin, Sanctum, inquam, Seuerum: quam non Catholici modò, sed acatholici multi frequentant. Scholas vnus è Nostris cum Socio Canonico habere alternis horis cœpit: & drama, quod intra parietes priuatos amicis datum, mirificè placuit. Lumen fidei respexêre ex vrbe & agro quinque & viginti: in his vnus tam peruicax, vt annis

Digitized by Google

annis superioribus cùm Kônigsteinensis Comitatus iussu Reuerendissimi Moguntini Catholicam fidem amplecteretur, patriâ atque officio, quod gerebat, cedere, quàm præceptis de religione opinionibus parere maluerit. Cessit hîc autem eo maximè argumento, quòd Lutheranæ cœnæ analecta nullo honore haberi à Ministro, sed pullis gallinisque obijci animaduertisset. Eximia fuit in nos Reuerendiss. D. Cornelij Gobelij Ascalonitani Episcopi, atque Illustriss. Electoris Moguntini in sacris Vicarij beneficentia, quá & viuens conatus nostros promouit, & moriens præter bibliothecam omnem suam pannum aureum pretio centum quadraginta aureorum ad conficiendam Sacerdoti sacrificanti vestem testamento legauit.

LV. TERTIA Residentia Bonnensis est: vbi virginem quandam parentes importunè admodùm ad nuptias sollicitàrant: sed illa sponsum Christum præoptans instante iam nuptiarum die, cùm se sacris confessionis Eucharistiæque Sacramentis ritè communisset, ipsa Beatæ Virginis festa luce matri denunciat, rogaturam se DEVM, vt ante profanos hymenæos ad cœlestem thalamum migrare liceat. Correpta igitur pridie, quàm nuptiale epulum celebraretur, leui quodam morbo intra paucas horas ad Agni nuptias, quas adeò desiderárat, discessit. Religiosa quædam à tristi casu, quem hortatore Cacodæmone ab annis iam compluribus præcipitio sibi præstruxerat, suasu nostro & sinceræ

Digitized by Google

Confessionis beneficio est liberata. Idem remedium valuit & apud aliam, quam grauis hecticúsque morbus ad laqueum adegerat: valuit & apud fabrum quendam ferrarium, qui cùm initá iam quadragesimâ laruatus adhuc bacchari pergeret, ita à laruis ignitis furiisque exagitatus est, eum vt viuere vix finerent. Medicus ea quidem super miseria consultus, imò & magus: sed cùm frustra essent ambo, re tandem ad Serenissimum Coadiutorem delatâ traditus est Nostris, qui confessione expiatum suo in posterum malo cum sapere docuerunt. Vnus quidam à puero discrepantibus ab Ecclesia erroribus imbutus cùm ad supplicium iam ducendus esset, resipuit. Alius eòdem destinatus tantum in D. Virginem spei & fiduciæ collocarat, vt eius se auxilio certò liberatum iri affirmaret. Nec fefellit illum spes, nec ille populum: ita enim Magistratûs Principisque ipsius delinitus est animus, vt citra proscriptionem aliamvé pœnam venia dignum censuerint, in vrbem reduci curarint.

LVI. QVARTA Hagenoensis. *Satis bellè hîc* quidem, vt in areno so hæreticóque solo potest, res Catholica procedit: conciones in principe vrbis parœcia habentur magno fructu; non minori Catecheses: septendecim ad partes Catholicorum se receperunt. Fuit post anni superioris bellum in Alsatia gestum magna in locis syluestribus latrunculorum copia, qui frequenti diuturnóque cruciatuum vsu inter densa nemorum sese mutuò torquentes cõtra vim tormentorum obduruerant. Horum animas morte æterna eripere

Digitized by Google

pere benè consulendo conati sumus. Fuit inter alios pater cum filio, qui multorum facinorum rei cùm ducerentur, Nostros suapte sponte elegerunt ad Solatium; quo munere strenuè perfungẽtibus Nostris circumcursabat assiduè Prædicans (vt postea intellectum est) Lutheranus eo cõsilio, vt quam in hominum animis tractandis rationem inirent Nostri, arbitraretur, perdisceret; quam sanè & à suis valde discrepantem animaduertit, & magnoperè dilaudauit. Nostrũ nomẽ tutatus in alio genere quidam egregiè est. Cùm enim maleuolus quispiam foris imprudenter spargeret, Nostros cum hæreticorum factione armis voluisse decernere, primùm os hominis mendacissimi propalàm coarguit: tum deinde apud loci Magistratum egit, vt in vincula abreptus huius suæ improbitatis atque calumniæ pœnas exolueret.

LVII. QVINTA Wormacienſis. Huius opera inter Catholicos referri voluerũt vndeuiginti, præter eos, qui totam vitam inter Lutheranos aut Caluinistas egerant profana eorundem cœna nunquam contaminati. Puella erat Catholica annorum admodum viginti, quæ voto se virginitatis seruandæ obligarat: ac quò securiùs tãtum thesaurum asseruaret, in Cœnobium se receperat: sed à fratre Caluini erroribus deprauato inde rursus erepta eiusdem sectæ traditur Prædicanti eodem veneno imbuenda. Hic vt officio suo fungatur egregiè, inauditas antehac blasphemias euomit in Beatissimam Deiparam, in reliquos cœlites, Pontificem, Catholicos omnes;

Digitized by Google

tum aggerit Euangelij sui lenocinia, instrumenta musica, fractos numeros, iocos impuros: suadétque puellæ dein, votum damnet, nuptias amplectatur. Et iam non parùm sibi profeciſſe videbatur, niſi altiùs in puellæ animo veritatis pudoriſque ſtimulus hæſiſſet. Miſſa igitur ad vicinam Academiam Doctori alicui Caluiniano expugnanda: vbi ſtrenuè agi cœptum, vt Monacho Apoſtatæ, qui commodùm ſcilicet eò confugerat, matrimonio iungeretur: iámque adeo Sponſionis quærebatur apparatus, & ſolæ ad pompam totam deſiderabantur de legitimis natalibus literæ, quas illa apud priorem Magiſtrum reliquerat. Mittitur allatum non ſine cuſtode & præcepto, ne Wormatiam ingrediatur, ne Papiſtarum quenquam alloquatur. Paruit ea ſuum vſque ad diſceſſum: vbi imagunculas ſuas ab hæreticis exurendas, & roſariola, quibus antea vti conſueuerat, miſerata domum noſtram venit, Patri cuidam reculas ſuas offert; ſimúlque religioni Catholicæ (cuius defenſionem in talium hominum conſortio ſuſtinere ſe poſſe negabat) hac veluti abdicatione valedicit. Hîc enimuerò Noſter hortari, monere, varias ſalutis ineundæ rationes oſtendere, ab eo conſilio penitus auertere. Ad extremum cùm nihil proficere ſeſe animaduerteret, roſaria, imagines, ſimúlque Caluinianum Catechiſmum è manu eripit; ac ſuſpirans: *Age*, inquit, *miſera, quando ita vis; hæc ego tibi in ex-*

in extremum iudicij diem asseruabo : tu pro vltima fidei valedictione abi in templum, atq; extremum de peccatis confitere : te mox subsequar.

Perculsa responso puella paret, confitetur, atque vt eo die ibidem subsistat, persuadetur. Postridie cælesti refecta pane ita mutata est animo, vt relictis apud Patrem nostrum, ob quas venerat, literis, ad suos redux negarit, sibi aut nuptias, aut vllam in fide pristina mutationem arridere. Postulat itaque, ab ijs, vti bonâ illorum venia & facultate abire liceat : sin, alia se ratione vel fugâ ipsâ viam sibi facturam. Quod ipsum sanè octo dierum interuallo præstitit, profugáque in sacrarum Virginum Cœnobium venit, vel ibidem, permansura, si locum impetret; vel aliò, vbi tutò delitescat, sese receptura.

LVIII. SCHOLÆ, quas hîc habemus, creuêre non sine graui tamen inuidia & periculo aliquo nostro. Nam ineunte æstate reperiebantur, qui res à nobis coëmptas per ciuilem Magistratum attinere sunt conati, quasi nos peregrini ad Clerum minimè spectaremus. Quæ stropha cùm minùs succesisset, egerunt apud legatos Principum protestantium, vt vocant, fœderatorum, qui Rotenburgi ad Oderam conuenerant, vt impediremur. Et verò ea ipsa de re ad Reuerendiss. Principem litteræ perlatæ sunt, quibus subscripsêre,

Digitized by Google

psêre Principes Imperij quinque, ciuitates quatuor. Sed diuinâ prouidentiâ ex aduerso Principes ac Patronos Catholicos excitauit, vt libelli alij prioribus oppositi pro Societate perscriberentur.

LIX. EXPEDITIONEM Sanctensem (quæ vna ex hac Prouincia superest) susceperê, imò continuauêre potiùs Sacerdotes duo: quorum altero ad Cõgregationem Prouincialem profecto cùm alter Embricam reuertisset, iniectus, ne penitus solueretur, metus magnâ aduersus Nostros beneuolentiam desideriúmq; demonstrauit. Nam & P. Rectorem illac transeuntem primarij quiq; adierunt, necessaria ad Nostrorum sustentationem pro facultatibus suis afferentes. Et cùm pro eorum voto diutiùs emanere Patres viderentur, ciuium interpellatione allegarunt ad DD. Capitulares Sacerdotem, qui peteret, vt alter saltem Patrum ciuium desiderio ac bono remitteretur; quod à congregatione soluta maturiùs factum. Et verò quò sibi aliisque commodiùs vacarent Nostri, proprias ipsis ædes compararunt, eósque supellectili necessaria instruxerunt, certamine velut inito; cùm alij sellas, mensas, lecticas, mappas; alij aliquot lignorum plaustra vel pecuniam offerrent. D. Præpositus reditum annuum è suis prouentibus attribuit: virgo quædam viginti quinque Philippicos item annuos: sed & sacello nostro nouus splendor additus sacris Diuorum ex B. Victoris Societate reliquijs, quos eleganter piæ virgines exornarunt. Adhæc vestis sacrificanti

Digitized by Google

canti ſerica, puluinaria duo argento ſcitè elaborata, par vrceorum quoque argenteorum cum patella acceſsêre. Ita optima ciuium voluntate excitati Noſtri nulli induſtriæ parsêre: cõcionem vix ceperat gremium Baſilicæ ſat amplum: Catecheſin mira honeſtauit frequẽtia poſt illud maximè tempus, quo nouo quodam piarũ cantilenarum illicio temperari cœpit. Vbi Confeſſionis (quę ferè obſoleuerat) peragendæ ratio explicata eſt, aſſidui toto propemodũ anno fuêre concurſus pœnitentium. Et iam ruſtici ipſi atque opifices manuarij peccata ſua ſigillatim ac numeratò reddunt. SS. Euchariſtiæ participes effecti noſtro in ſacello mille ſexcenti; ipſis Hilariorum diebus hic non viſo adhuc ſpectaculo triduana ſupplicatio peracta felicibus auſpicijs: per quadrageſimam ferijs ſextis ſub veſperum litaniæ cantari cœptæ: inductus mos templa piè viſitandi, de ſeipſo ſupplicium Chriſtiano more ſumendi, cœleſte ferculum cum facibus alióque apparatu ſplẽdidiore in pompam deducendi; ipſi hæretici in quotidianis cõgreſſibus maiori iam moderatione vtuntur, Noſtrorúmque ambiunt amicitiam, quos antea vno ſpiritu diſſlaturi videbantur. Quidam ex eo genere procacior in Sympoſio Catholicum palàm conuitiabatur, nec minùs in Societatem noſtram æquus aut benignus erat: tenere ſe Catholicus non potuit, quin hæreticum pro merito pulſaret. Hîc ille ad Conſulem ſuarum partium querelas defert, magnum aduerſario malum, vt putabat, creatu-

rus:

Digitized by Google

rus : sed Consul prudentior cum rem totam aliunde intellexisset, hominem ab se reiecit seueris verbis increpitum, quòd viros doctos & integræ vitæ ausus esset traducere; quin & à iudice coactus insuper est miser contumeliæ mulctam pendere. Ad fidem interea pauci adhuc redeunt, quòd aduersarij, sæpiùs licet à Nostris lacessiti, certamini committere se non audeant. &c.

††*†*

†

PRO-

Digitized by Google

PROVINCIA POLONIA.

Tredecim Poloniæ Prouinciæ domicilijs continentur Socij trecenti octuaginta octo. Mortui sunt quinque: in eorum locum asciti triginta quinque.

	Vniuersim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholast.*	*Adiutores.*
Cracouiæ in domo Professa	XXVIII.	XIX.			IX.
Cracouiæ in domo Probationis	LXIII.	VI.		XXXIX.	XVIII.
In Collegio Posnaniensi	LX.	XX.	V.	XXIV.	XI.
Calisiensi	LVIII.	XVII.	IV.	XXVIII.	IX.
Lublinensi	XXXIX.	XIII.	IV.	XII.	X.

Digitized by Google

	Vniuersim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholast.*	*Adiutores.*
Iaroslauiensi	XXXIII.	XX.	IV.		IX.
Leopoliensi	XXXVI.	XVII.	III.	VII.	IX.
Luceoriensi	XV.	VII.	IV.		IV.
Camenecensi	XIV.	IX.	I.		IV.
Sendomiriensi	XI.	VII.		I.	III.
Torunensi	IX.	VI.			III.
Gedanensi	VII.	V.			II.
in Residentiâ Przmisliensi.	IV.	III.			I.

Digitized by Google

Ab hæresi & schismate ad Catholicam Ecclesiam adiuncti sexcenti quinquaginta.

De vniuersa vita sese accusantes audiditi septuaginta.

Pijs meditationibus nostris vsi viginti.

Mutuis se odijs impetentes reconciliati triginta duo.

A spurcis carnis illecebris retracti viginti nouem.

Epulæ pauperibus quàm multis procuratæ nouies.

Restitutiones nostris impellentibus factæ aureorum nouies mille sexaginta.

A B. Virgine B B. item Ignatio & Stanislao nostris singulari ope, nec non mirifica sacræ confessionis vi adiuti viginti tres.

Digitized by Google

DOMVS PROFESSA CRACOVIENSIS CVM Tyrocinio ibidem.

I.

INTER FRVCTVS, QVOS hæc domus vtiliter collegit, primi occurrunt, quorum animos Caluini, Arrij, Huſſi errores corruperant: eorum vndequadraginta in noſtras partes ſunt traducti. Arriana mulier, nobili loco nata, & Cacodæmoni ſanguine è dextræ manûs digito expreſſo deuota, cùm circumſtrepentium ſpirituum importunos furores fragoréſque ferre diutiùs non poſſet, ad ſalutare Crucis ſignum primò, pòſt ad ſacram etiam confeſſionem confugit; vbi infeſtam illam tartareorum hoſtium aciem penitus exarmauit. Schiſma Græcum abiurârunt tres: baptiſma ſuſcepere Turcus & Hebræa: vniuerſam vitam apud nos expiârunt ducenti triginta ſex: duæ ad honeſtatem

Digitized by Google

nestatem vindicatæ : triduana quadraginta horarum comprecatio hic anno hoc in templo nostro habita, magno concursu; tàm ea, quæ sub magni ieiunij initia, quàm quæ pro felici Comitiorum Regni successu est decreta. Et cùm Congregatio Prouincialis prima in hanc denique domum esset conuocata, magna omnium, qui Nostros hîc tanto numero nunquam conspexerant, congratulatione est celebrata, largísque magnatum eleemosynis adiuta. Ab exercitijs spiritualibus nostris multi multam sanè frugem abstulêre; Sanctimoniales potissimùm Ordinis S. Claræ, tum vero etiam Monasterij Sandecensis duodecim leucis ab vrbe sejuncti, quò Nostri profecti, tam ipsarum Virginum inuitatu, quàm voluntate illius, penes quem potestas id permittendi. Quâ occasione, Sacerdotibus earundem Virginum præcepta data, quibus scitè conscientias illarum tractarent, inque ipsum virtutis apicem rectiùs deducerent, Similia Virginibus Ordinis Cistercienſis præstita: similia alijs.

II. Iuvenes Duo, qui à Sodalitate Parthenia secesserant, liberioríque viuendi generi animum applicauerant, gregales suos nonminùs improbos secuti, in tumultu contra hæreticos excitato misere occubuêre. Et alter quidem annorum circiter octodecim, qui & Societatem nostram quondam in votis habuerat, glande traiectus sine confessione, aut vllis pœnitudinis significationibus repente exspirauit; alter autem viginti duorum annorum

Digitized by Google

iuuenis, aliquoties saltem intra annum cum Sodalibus confiteri solitus, & ante hunc casum de seria vitæ emendatione sollicitus, id videtur à Deipara Diuisque tutelaribus impetrasse gratiæ, vt vocato ad se Cõgregationis Patre ante actam vitam palàm detestaretur, Sacramentisque omnibus ritè munitus decederet cum spe: illud D. Augustini inter dolores sæpiùs ingeminans; *Hic vre, hîc seca, vt in æternum parcas.* Seruatus in vita casu planè mirabili, nec, quod credunt, fortuito alius quispiam. Adolescens fuit; is dum libris intentus suo in musæo nescio quid elucubrat ad lucernam, globo plumbeo fistulæ petitur per fenestram: sed quia tum fortè demissiùs in librum caput inclinabat ita globus venit, vt vertice incolumi solos capillos stringeret, adureret, & præter fœtorem nihil incommodi relinqueret B. Virginis clienti. Non alio Clypeo tectus alter simili discrimine perfunctus est, globo hostili in vestem illapso: quod vt Marianæ tutelæ adscripsit, ita mores, quos antea habuerat laxiores, emendare, serióque virtutis studio cœpit adstringere. Ad hos pertinet ille quoque adolescens, qui ab hospita, apud quam de voluntate suorum diuersabatur, perditè amatus eò iam deuenerat, vt propinquius periculum videretur, quàm vt eo se posset expedire. Consuêrat ille in honorem Deiparæ officium ipsius à biennio quotidie recitare, & quartum insuper in hebdomada diem præter Sabbatum ieiunio perquàm religiosè consecrare. Huic nocte quadam dormienti sub ipsam auroram species augustissimæ

Deipa-

Digitized by Google

Deiparæ obijcitur, altera manu sertum viride gestantis, altera ipsius quoque manum apprehẽdentis, & ad montem quendam amœnum deducentis non sine amica verborum inuitatione. Secutus adolescens illud capiti suo sertum imponi mox sensit, & à somno adeò mutatum se & à libidinis illecebris abhorrentem, vt cum lacrymis vbertim fluentibus delicta sua recognosceret, Sacerdoti aperiret, veniam à Deo poscereť. Confirmatus inter quietem non dissimili ratione in consilio honestatis alius quidam fuit, qui à viro quodam antea nunquam sibi viso eius operâ vti se velle affirmante in domum adulteræ deductus flagitióque admotus, pallium inter manus impuras reliquit, innocentiam suam ad Patriarchæ Ioseph exemplum secum, fugáque non turpi seruauit. Is quòd eam victoriam Deiparæ patronæ suæ acceptam nõ sine causâ ferret, mox nomen Sodalitati dedit, eámque vitam viuere cœpit, quæ pulcherrimarum virtutum illustrata decore alios quoque ad honestatem inflammaret. Huic eidem aliquot post hanc vitæ mutationem mẽsibus in cubiculo preces Virgini matri fundenti mediâ luce tenebriones stygij sex in conspectum venêre terribiles vultu formáque: quorum conspectis pedibus adeò consternatus est, vt oculos attollere non auderet ampliùs, donec peropportunè meridiano salutandæ Virginis signo audito ipsæ laruæ euanuissent, quod ad sacrum illum campanæ pulsum consistere diutiùs non possent. Pluribus eadem in Virginem hanc pietas auxilio fuit, ipsíque adeò hæreticis.

Digitized by Google

Nam quidam in scholis nostris ad omnem olim honestatem eruditus, cùm intermisso Sacramentorum vsu à consanguineis hæreticis ad exteras nationes fuisset amissus, paulatim improborum consuetudine, vt fit, eò deuenit, vt non solùm Catholicam fidem impiè desereret, Arrianam amplecteretur, sed illa quoque repudiatâ ab Hebræorum Rabinis consilium quæreret: apud quos, vt erat animo inquietus ingenióque varius & inconstans, cùm nullum satis firmis sacræ scripturæ testimonijs niti reperiret, suis se manibus è medio tollere, & decreuit, & verò etiam tentauit; perijsséque haud dubiè, nisi Deiparæ intercessione ab interitu fuisset seruatus; quam in summa illa inconstantia constanter solam interna quadam reuerentia semper fuit prosecutus.

III. SODALIVM in vindicanda præsertim castimoniæ virtute labor fuit illustris; cùm lupas alij pugionibus, virgis, gladijs ab se facessere cogerent. Admissus vnus à suo familiari adolescente hæretico ad bibliothecam nobilem defuncti parentis, celeberrimi in hac prouincia hæretici, cum facultate seligendi ex ea libros quoscunque vellet; ita agere instituit, vt cùm plurimos manu scriptos hæretica libros in flumine vicino demergeret, non pauca volumina typo expressa secum asportaret, & viris religiosis traderet. Restituit, quod creditur, precibus suis valetudini pristinæ Sodalem vnum B. Noster Stanislaus. In quem Beatum singularis quoque cultus Proconsulis huius vrbis apparuit, qui

qui cùm in globum præaltæ turris prætorij ciuitatis varia more maiorum ad memoriam posteritatis congereret, inter reliqua sacra pignora particulam tumbæ, in quâ olim sepultus hic noster Beatus erat, vnà cum ipsius è cœlitum manibus Eucharistiam sumentis imagine inclusit, eique hanc inscriptionem manu propriâ factam adiunxit, quam & sigillo suo munijt, & theecæ stanneæ inclusit.

D. O. M.

CVNCTORVM AVCTORI CHRISTO IESV, eiúsque intemeratæ Matri Mariæ Virgini.

Inuicto Michaeli Archangelorum Principi, & post hunc Archangelo Cracouiæ nostræ Præsidi, cæterísque Beatis spiritibus, incolarum vrbis custodibus: simul quoq; Tutelaribus Sanctis Floriano, Stanislao & Hyacinto cum reliquis, quorum & quarum sacros cineres ciuitas hæc veneratur: cunctísque præterea Diuis Polono sanguine cretis, & præcipuè B. Stanislao Kostkæ de Rostkon ex Societate IESV: quem post tot alios Polonos, præteritis sæculis virtutibus illustres, nostro hoc sæculo post millesimum sexcentesimo primo, primum è Polonis Deus præpotens varijs miraculis in diuersis orbis partibus, sedes verò Apostolica nouis in Vrbe honoribus exornauit.

Digitized by Google

Denique Sanctis omnibus & cœli ciuibus vniuersis S. P. Q. C. locum hunc iustitiæ domicilium pacisque publicæ propugnaculum, cum salute communi, bonisque omnibus, supplex in perpetuum tuendum tradit anno à CHRISTO nato CIↃ. IↃC. XI: XXV. mensis Iunij, Paulo V. Pontifice Maximo; Sigismundo III. Regnum Poloniæ administrante; Petro Tilicki Cracouiensi Episcopo, Nicolao de Zebuzydowicze Cracouiensi Palatino; Abrahamo Ronenberg vrbis huius Proconsule, qui hanc ad DEVM Diuósque supplicationem in perpetuam memoriam suæ erga bonum publicum bonæ voluntatis manu propriá scriptam in globum hunc vnà cum his sacris reliquijs à viris Religiosis habitis imposuit.

Idem Consul cùm in eundem globum præter alia etiam conijceret testamẽtum nouum, quod Erasmus Roterodamus transtulerat, suasu è Nostris illud resumpsit, eiúsq; loco vulgatæ editionis aliud ab Ecclesiâ receptæ imposuit.

IV. CALVMNIÆ, quibus maleuoli iugulum Societatis petunt, ab eáque auertere bonos laborant, duobus causa fuerunt potiùs, vt tirocinium subirent, nostrúmque viuendi morem sequerẽtur. Nec ipsos tirones, dum peregrinarentur, varia absterruerunt incommoda, quò minùs veteranorum studia imitati proximos quosque ad virtutem adhortarentur. In oppido quodam inciderant in eos, qui lusorias chartas cupiditate lucri tractabant; stipem ab ijs mendicant, accipiunt: inde ausi plùs petere & hortari, vt ludum eiusmodi, causam ac fontem inimicitiarum, periurio-

Digitized by Google

iuriorum, cædis denique, atque omnis flagitij materiem deserant: paucisq; verbis tantum impetrant, vt sublatis chartis nunquam se ad id ludendi genus redituros manu stipulata promiserint. Veterani, qui in hac domo sunt præter exercitia multis cum fructu tradita, duos ab hæresi reduxerunt.

COLLEGIVM POSNANIENSE.

V. HIC VIVERE desijt Pater Albertus Theobolcius, vir de Societate per Austriam inprimis, ac deinde per Poloniam optimè meritus. Annos quinquaginta & vnum in Societate magna semper opinione Sanctitatis egit. Viennæ B. Stanislaum Koskam sesqui annum in disciplina habuit; cui adolescenti tantum in extremo præsertim morbo confidebat, vt non mediocrem benè moriendi spem in eo se collocare prædicaret. Ex Austria præclaris inibi documentis virtutum relictis cum Patribus, qui primi prouinciam hanc colendam susceperant, venit: atque, vt erat magno animo, & præclaris munito virtutibus, breui effecit, vt laboris eum sui nõ pœniteret. Nam cùm esset humanioribus literis apprimè excultus, eas annis viginti propè continuis ita docuit, vt vulgò Ciceronis ore loqui à grauibus viris diceretur. Deinde verò quia & Græcas & Hebraicas non minùs calluit, de capitibus fidei controuersis disciplinam aggressus eò maximè tempore est, quo multiceps hæresis ex

Digitized by Google

Germania in Poloniam se penetrauit; hodieque supersunt; qui grata memoria eius labore atque industria lumen veritatis percepisse se gloriantur. Atque Monasteria Religiosorum præcipuè quantum eidem deberent, post obitum eius testata sunt, dũ sacrificia pro illo & preces per diuersa loca indicerent, eúmque publicis exequijs prosequerentur. Quantum autẽ ægrorum ac pauperum in tanti viri obitu fuisse luctũ putamus? quibus alendis sexies mille sexcentos sexaginta aureos mendicando corrogârat, & apud ciues oppignoratis eorum bonis collocarat, vt annui quadringenti Nosocomio in posterum tempus redirent. Cùm Posnania pestilente cœlo multis annis continenter exerceretur, non discessit ille ab vrbe, sed plateas obibat, & peste afflatos tintinnabulo cogebat, ritéq; expiatos Deo enixè commendabat. Narrare solitus ipsemet est familiariter cuidam Patri, cùm ante quadraginta circiter annos ex scriptis casibus Toleti didicisset, nullas preces aut Deo gratiores, aut nobis esse salubriores ijs, quæ fierent pro defunctis, firmiter eam se consuetudinem totâ vitâ retinuisse, & cùm quotidie statas preces funditaret, eas sæpiùs diebus præsertim Veneris & Sabbati à se fuisse auctas. His confectus laboribus & studijs ad otium, ad quod nũquam aspirabat, compulsus est; in cœlum vocatus, quò omni desiderio anhelabat, cùm vixisset in terra annos septuaginta sex: sepultus postridie tantâ populi concurrentis frequentiâ, quantam templi angustiæ non capiebant.

VI. PAR

Digitized by Google

VI. PAR alijs etiam temporibus fuit Posnaniensis populi feruor, & ad pietatem alacritas. Quorundam etiam castigati mores. Ecclesiasticus homo impuris mulierculæ amoribus implicatus inter concionandum comitiali morbo iactari cœperat, ac postmodum etiam membrorum vsum magna ex parte paralysi tactus amiserat. Ergo iudicijs Dei vera detestatione flagitij iram placare parans, magno sensu doloris fecit exomologesin: secundùm quam languor innoxio corpore sensim decessit, sarcitque iam pœnitens, quæ damna praua intulit exemplo. Illustre in femina quoque diuinæ misericordiæ datum documentum est. Venefica hæc fuit, turpi & scelerata vita: quæ diu in Magistratum, in Nostros, in ipsum Deum Optimum Maximum conuitijs & blasphemijs euomendis sæuiebat, nec ab insana illa mente rationibus vllis amoueri poterat, donec ad supplicium ductam illius filia improuisò accessit, & quà comploratione quà materni nominis commemoratione emolliuit, vt Nostris demùm confessa spectatorum preces postulârit, ad palum deligata sacro sancta IESV & MARIÆ nomina piè ingeminans conflagrârit.

VII. ALIQVAM porro ad hoc Collegium materiam suppeditat Virgo diuturniore vita dignissima, Anna Patrusowa, quę Societatem iam inde à prima ætate complexa maximis ornauit beneficijs. Nec molestum erit altiùs rem totam repetere. Honesto loco nata Posnaniæ affluente fortuna, maternáque, vt fit indulgentia

eos

eos condiſcebat à pueritia cultus, quibus ętas illa ad inanem faſtum inſtrui ſolet. Verùm agente ſuas mundo ſtrenuè partes, Deus ſuos quoq; non neglexit. Erat fortè concio frequens, & in eâ feminæ complures miro corporis cultu mundóq; exornatæ: in quarum ſuperfluam curam cùm acriùs Noſter inueheretur, incuſſit pudorem alijs, multis mouit indignationem. At hæc quaſi validiſſimo percuſſa fulmine animo planè concidit: receptóque pòſt paulò ex illa conſternatione ſpiritu, curas & æſtum certo propoſito vitæ mutandæ deniq; ſtitit. Aſpernari deinde, quidquid antea blandiebatur; nec tantùm remouere à ſe non neceſſaria, ſed penitus omnem ornamẽtorum ambitionem deteſtari. Obſtupuit ad hæc mater, & cauſam edocta, graui nimirum mœrore deiecit animum. Grauius autem accepit vulnus, poſtquam intellexit filiæ cõſilium voto eſſe firmatum, ſplendido matrimonio valere iuſſo. Itaque perpetuo ſe illa macerare luctu; filiam, per ſi quid matri deberet charitatis obteſtari, affinium interponere auctoritatem, nihil prorſus intentatum relinquere, quod repugnantem labefactare animum poſſe videretur. Quam tamen hęc machina cùm nihil frangeret, aliam adhibuit; filiã ancillaribus addixit obſequijs, ſplendidum illum veſtitum cum ſordido permutauit; ad infimas operas detruſit; quotidie inter hæc probra, contumeliæ, verbera ingerebantur; victus aridus panis tantùm cibarius, & vilia oluſcula præbebantur. Conficitur interea mœrore ac morbo mater: filia genere, ætate, forma ac diuitijs

uitijs florens ac pollens ad alteram victoriam sẽ parat: meditationes statas quotidie peragit, dicta facta recognoscit; grauiùs in se, quàm antea flagellis & cilicijs animaduertit, & ne quis Dæmoni relinqueretur locus, qui otio multos euertit, opus domi strenuè facit, aliásque suorũ studiorum æmulas puellas nobiles in disciplinam accipit & informat, non lucelli gratiâ, cùm esset à sordibus illis alieniſſima, sed communis amore salutis. Enimuerò quidquid æris ipsa, vnionum, aut pretiosæ vestis habebat domi, in ornatum templi sacrum contulit; nemóq; certè aut vnus aut plures auro argentóque ædem nostram ita locupletârunt, atque hæc vna. Pagum præterea nobis millibus aureorum nouem emit, sique ad vnum omnia caput reuocentur, viginti sex millium summam confeceris. Ista igitur tam beneficia in Societatem Virgo exactâ iam ætate propè sexagenaria in grauem subitò incidit febrim, morbíque vi ita elanguit, vt intra paucos dies confecta præsentibus Nostris placidiſſimè exspirârit. Laudata est à Nostro pro concione, deplorata à ciuitate vniuersa, cùm illæ voces passim volarẽt, matrem omnium religiosorum extinctam esse; non superesse aliam, quæ pari voluntate & liberalitate succederet.

VIII. RESTANT MISSIONES ex Collegio factæ, è quibus eam, quæ vberiores fructus retulit, breuiter attingemus. Est oppidum in finibus Poloniæ ad eam partem, quà Germanis, qui Marchici appellantur, sunt contermini. Poloni situm patrio nomine Blezouiam nuncupant; quò ex Ger-

Digitized by Google

ex Germaniâ hæreſeon contagio etiam penetrauit. Celebre ibi & peruetus viſitur monaſterium, annúſque iam propè quadrageſimus vertebatur, cùm ſincera religione proſcripta erroribus eò patuit via. Hoc igitur anno demum Præſul Cœnobij vir egregiè cordatus patrem è Noſtris poſtulauit, accepit. Iactatum in ſteriles terras diuinum ſemen; Dominicis feſtiſque diebus imò tertio quoque die concio bis habebatur, rudibus rerum diuinarum capita explicabantur, nullo tum ferè fructu. Catholici vix octo (præter illos, qui in familiâ ſunt Cœnobiarchæ) toto erant oppido. Deſperaſſet timidus aliquis & de ſtatione deceſſiſſet: verùm Noſter fortiùs contra eundum ratus, eò tandem magnis laboribus oppidanorum variè verſatos animos pepulit, templum vt adirent: quæ res primò illis ſaluti fuit. Nam admiſſa ſemel in aures Catholicæ Religionis veritate, vniuerſi iuramento ſe obſtrinxerunt, nunquam à perſpecto vero ſe diſceſſuros. Ita quidem comparati frequentes ad aperienda peccata conuenêre, multóque dolore teſtati ſunt, ex animo ſe noſtram fidem ſuſcepiſſe. In vniuerſum recens Catholicis adiuncti circiter quadringenti, & quòd tum hebdomas ſancta inſtaret, plurima fuêre pietatis exercitia. Nam præter Cõmunionescrebras, ieiunia, preces, feria ſexta ſplendida pro facultate ſupplicatio eſt deducta ad templum, quod in oppido eſt perinſigne; vbi ſe complures flagris cecidêre, nouo non ſolùm ſpectaculo, verùm etiam eo loci huc vſq; exoſo.

Ille

Ille, quem modo, dixi, Cœnobij Præsul facti auctor agmen ipse duxit, eximiósque è nobilitate viros in Societatem pulcherrimi facinoris asciuit, lachrymantibus oppidanis, & nihil tale se vnquam spectasse affirmantibus. Datum est merito Præsulis & necessitati oppidanorum, vt non ante Pater discederet, quàm Pentecosten celebrasset; quòd è Cœnobio nulla ciuibus præsidia esse possent; omnibus, qui inibi sunt, Cœnobitis Germanicæ linguæ ignaris. Itaque Parochus huius idiomatis gnarus ægrè repertus est, qui Christianæ rei promouendæ prodesset, & Pater rebus ex sententia perfectis quinto post mense è Prouincia discessit, magno multorum dolore. Ad rem familiarem eleemosynæ nomine adiuncti aurei mille sexcenti. Coëmpta aliqua eius pagi pars, in cuius possessione dudum fueramus; & limites, de quibus non satis constabat adhuc, designati sunt hoc anno.

COLLEGIVM CALISIENSE.

IX. Nvmervs sacram mensam adeuntium tredecim millia exæquauit. Nobiles, & suis Curionibus decimas debitas redderent, & ad templa restauranda liberaliùs conferrent, inducti. Sex & viginti ab hæresi reuocati vnus schismaticus Ecclesiæ adiunctus. Fuit, quem morbus penè vltimus non potuit ad Sacramenta diu neglecta perducere: perduxit vox terrifica clarè periculum imminens comminata.

Adole-

Digitized by Google

Adolescens quindecim circiter annorum obsequijs seruilibus sub noctis crepusculum in cubiculo intentus, Cacodæmonem specie mulieris comptæ intuetur, auditque blandè inuitantem, vt DEO abiurato ipsũ sequatur, fore vt ex seruili sorte in longè feliciorem transeat. Exhorruit adolescens clamoréque subito monstrum fugauit; cùm antea mente quieta esse non posset ipse, quàm nostro Sacerdoti animum ritè expiãdum commisisset. Illud rarum & iucundum fuit nobis eque ac ciuitati spectaculum in militibus, qui sub duobus vexillis in his partib⁹ collecti ad bellum Moscouiticum explicatis signis, seruatis ordinibus, tympanorum sonitu perstrepente ad templum nostrum processerunt; ibique conscientias suas incõmodo quamuis tempore (quippe sub ipsam prandij horam aderant) expurgarunt; septendecim Patribus, cùm plures non adessent, vix omnibus intra horas aliquot satisfaciẽtibus. Inde mox ad sacram Synaxim accedunt, vexillíque preces adhiberi postulant; quibus ex ritu Ecclesiæ à Collegij Rectore peractis, Sacramento militari sese astringunt, quod vexillorum à singulis ante altare contactus designabat; itáque læti omnes ac benè animati discedunt. Habuit templum nostrum multò insignius spectaculum ipso die B. Ignatij memoriæ dicato, quando omnis ordinis homines maximâ præ alijs diebus frequentia ad diuinas epulas accesséré. Adiuuerunt eam celebritatem religiosi varij, præcipuéque Patres ex Ordine Minorum S. Francisci Parthenij vnius leucæ interuallo ad ædem D. Virginis no-

Digitized by Google

nis nobilem supplicationem deduxêre: eorum aliqui sacris exercitijs sunt vsi cum fructu. Nec rarò ad oppida vicina rogati excurrimus, magnóque semper desiderio excepti. Templo haud commune accessit ornamentum, insigni mole ad parietem constitutâ sepulchri marmorei, statuísque præstantibus erectis à venerabili Capitulo Gnesnensi, ad perpetuam, vti merebatur, memoriam Stanislai Karnkowski Archiepiscopi sui, & Collegij nostri conditoris. Addita pyxis argêtea inaurata vermiculati operis: nouæ quoque thecæ sacris reliquijs asseruandis pretij non parui. Res Collegij empto pago aucta.

COLLEGIVM LVBLINENSE.

X. Dvos rei familiaris adiutores morte præreptos hîc amisimus: Stephanum Smolinski, multorum virum annorum, quorum partem non modicam in Societate consumpsit, impiger in Dei obsequio semper, affectâ quamuis valetudine, operarius: & Iacobum Simononick, qui licet minor ætate, magna tamen patientiæ suæ in extremo morbo signa demõstrauit. Cæteri strenuè Societatis muneribus perfuncti, decem à pestiferis opinionibus vindicatos, vnũ à schismate deiectum Christo adiunxêre: quatuordecim à corroboratâ annis libidine molliciéque abstracti seueriorem sanctiorémque vitam instituerũt; par coniugũ in concepto continentiæ voto stabiliuerunt; viginti tribus totius vitæ audita pec-

Digitized by Google

cata dimiserunt. Adolescens, qui turpi voluptate deprauatus sceleratam noctem duxerat, à latronibus deprehensus, spoliatus, vulneribus cõfectus ad extrema venerat; cùm animo per confessionẽ expiato agnoscere atq; inclamare cœpit debitas sceleribus suis pœnas à se dari; itáq; magno cum doloris sensu exspirauit. Proteruissimè quidam ex hæreticorũ fœce homuncio, cuius quo genere mortalium Nostris frequens de fide lis & disputatio est, cum multo nostro, nullo ipsorum commodo resistere Catholicorũ rationibus ausus, interrogatus à Nostro, num verum existimaret illud, quod Ministro blasphemias in Deiparam Virginem quatuor abhinc annis in funebri concione euomenti (discerptus is ab equis fuerat, mansuetis alioquin & cicuribus) accidisset? quod ille non inficiari modò, verùm etiam nouas in innocẽtiam Virginis calumnias addere, & cœlestis iræ minas imprecari sibi cœpit; non sanè nullo effectu: nam postera statim die ad synagogam diuertens, in oculis omnium concidit, animámque infelicem iusto Dei iudicio elisit. Ex ijs, quos ad supplicium comitati sumus, Scotus erat hæreticus, qui sub ipsam mortem Caluinum sibi deferendum putauit, adeóq; Sacerdoti nostro in arena de peccatis cõfessus reculas suas pauperibus distribuit, & cum fletu claráque pœnitudinis significatione è vita discessit. Recessit à scelere adulterinæ monetæ faber quidam; qui & pecuniam omnem adulterinam, quam conflaret, ad Nostrum detulit, & ab eiusmodi artificio destiturum se recepit.

XI. CVM

XI. CVM nostri adolescentes, qui huc, vbi religioſę vitæ rudimenta benè posuerunt, ad discēdas litteras mittuntur, doctrinæ Christianæ capita rudioribus cum fructu tradunt; tum illi, quos Sodalitium B. Virginis ad omnem honestatem educat, non parùm ciuibus prosunt exemplo pietatis. Bacchi dies supplicatione per medium forum ducta, & vespertina diuerberatione in sanctiores immutârunt. Epulum ijdem die cœnæ Dominicæ pauperibus instruxerunt, apposuerunt: à mensâ succincti singuli pedes discumbentium abluerunt.

XII. EXIERE NOSTRI ferijs Natalitijs ad oppidum vicinum Belzice, decem hæresibus nobile; in quo cùm Ecclesiæ vsurpandæ potestas penes Ministrum esset, in aula obire munera sua coacti sunt. Ibi igitur sacra vespertinæque preces cum musico concentu apparatúque splendido per triduum celebrata satis copiosam multitudinem habuêre. Diuinissimo Christi epulo refecti trecenti sexaginta: in concione frequens auditor, etiam hæreticus; Lutherum vnus palàm eiurauit. Estq; is populi in nos affectus, vt quamuis adire Nostros exsoluendi animi gratiâ, indictâ etiam mulctâ, prohibeantur, ipsâq; adeo itinera custodibus muniantur, certatim tamen ad suæ salutis remedia quærenda confluant, conscientiásque expurgent.

XIII. ILLVSTRES ac Magnifici Dñi Tribunalis Iudices frequentissimi in tẽplo nostro adfuêre, cùm alijs tẽporibus, quibus ea iudicia exercebantur, tùm eo præsertim die, quo præpotenti

Digitized by Google

Deo grates de Smolensco capto effusissimâ omnium lætitiâ agebantur: ad quam celebritatem delectum nostrum templum est, in quo & Reuerendiss. Episcopus sacris est operatus. Altari tegendo mappam assignauit femina, quæ B. Stanislai auxilio ossibúsque calculi cruciatus à se depulit: tres aliæ B. Ignatio acceptum referunt, quòd fœtus in lucem ediderint incolumes. Duo denique ciues suam egregiè in nos liberalitatem sunt testati; alter aureis quingentis, mille alter testamento nobis legatis.

COLLEGIVM IAROSLAVIENSE.

XIV. OBIIT P. BALTHASAR Gerscius septuagenarius, cùm annos quadraginta in Societate vixisset, Græcanicarum literarũ & poëticæ notitiâ excellens: excellentior autem rerum aduersarum tolerantiâ & desiderio iuuandorum Magistrorum nostratium in ijs disciplinis, quas ille & præclarè calluit, & libenter petentibus impertiuit. Nouem reliquorum operâ, repudiatâ hæresi fidem Romanam amplexi sunt. Ante ferias Paschatis vtraque Sodalitas Mariana solemne trecẽtis circiter pauperibus epulum præbuit: idipsum fecit iterum in Aduentu Domini, maiorum cœtus, liberali pro quadraginta egenis prãdio. Toto eiusdem Aduentûs tempore primæ Missæ, quantumuis intensum foret frigus, adfuerunt omnes. Quo nomine laudati aliquando in scholis Parthenij à Præfecto, tantam in alijs quo-

quoque excitauerunt primi sacrificij audiendi cupiditatem, vt trecenti nonnunquam, aut quadringenti facilè censerentur, qui rei diuinæ ante diluculum interessent. Cæterùm ea iuuenum istorum in corrogãdis ad alendos pauperes eleemosynis industria est, & cura, vt vniuersæ ciuitati maximo sint suæ in Deum hominésque pietatis exemplo. Quid autem ciues? Turpe profectò existimant in vllo certamine virtutis à iuuentute vinci.

Nuper pro felici rerum Illustrissimæ Ducis Ostrogiæ successu viginti millia passuum ad ædem Deiparæ sacram contenderunt, ibique acriter flagris ante summam templi aram in se ipsos desæuierunt. Quo in Comitatu fuit ipsa Illustriss. Dux, quæ cùm sit filia Fundatricis nostræ, non desinit benè de Collegio mereri. Eiusce beneficentiæ argumentum sint aureorum millia quatuor, quæ diebus Natalitijs ad dotẽ Collegij augendam Xenij vicem nobis donauit. Ad templi quoque ornatum eiusdem liberalitate accessit cathedra pro concionatore præclari operis: tum lãpas insuper argentea quadringentorum circiter aureorum pretio, præter quingentos alios, aliáq; complura, quæ perfecto opere gratâ memoriâ non carebunt. Sed & marmoreum D. Valentino Martyri, cuius sacrum corpus in Ecclesia nostra habetur, apparat Mausolæum; quod voto decreuerat, cùm minor natu filius præsenti mortis periculo Diui precibus esset exemptus. Ac ne vlla ex parte cederet pijssimæ parenti (cuius sumptibus nostrum stat alitúrq; Collegium)

Digitized by Google

erexit ipsa quoque sacris Virginibus Monasterium; quæ Nostrorum opera sæpiùs vti (quantum instituti nostri ratio patitur) consueuerunt. Filij duo ipsius, magnæ in regno exspectationis, qui Collegij partem occupant, à Nostris solo distincti pariete, in pietate & literis excoluntur; singulisque mensibus, præsentibus Nostris & Illustrissimâ parete, examine instituuntur, in quo sui profectûs rationem non sine honesta gloriæ reddunt æmulatione.

XV. MISSIONES aliquot à Patribus, qui tertium hîc probationis peragunt annum, obitæ per varia loca fructuosæ fuerunt. Magnâ vbique lætitiâ Nostri à Curionibus excepti. Ita Ruthenis insciti a suorum Poporum disputatione, demõstrata: aliquibus hæreseon virus exemptũ: epulæ curatæ pauperibus: aurei sexcenti iniquo fœnore parti ad dominum translati: graues inter duas nobilissimas familias simultates compositæ: puella confessione facta per cereum consecratum ab elephantiaco morbo liberata: alij duo epoto vino, quo B. Stanislai Koskæ ablutæ fuerant reliquiæ, à febri liberati; ab oculorum doloribus, quibus octo annis laborabat, eodem remedio curata femina.

COLLEGIVM LEOPOLIENSE, LVCEORIENSE.

XVI. PLVRES viginti Ruthenorum sacrificulos præter non paucos de plebe, ad societatem cum Romana Ecclesia ineundam permouerunt Leo-

Digitized by Google

Leopolienſes: à concubinatu octo: à turpi quæſtu auulsêre quinque: decem in amicitiam priſtinam repoſuêre: pœnitentiæ myſterio cedere coacti ſunt loco Dæmones, terriculamenta nocturna, ipſi morbi. Ædificio templi promouendo vltra duo millia aureorum acceſsêre; ipſi inſtrumento ſacro caſulæ, vt vocant, quinque: operculum Euchariſtiæ publicè exponendæ argenteum: thuribulum eiuſdem materiæ cum nauicula, vrceolis, & calice: ſuggeſtus concionatorius elegans à Germanis, qui in ſacello noſtro ſermones de rebus diuinis audiunt, erectus: translatæ in amplam domũ à nobis emptam ſcholæ ſex; loco ſcholarum priore ad dilatanda Collegij ſpatia aſſumpto. Ita diſcipulorum creuit numerus, vt Sodalitium Deiparæ duas in claſſes fuerit ſeparandum.

XVII. LVCEORIÆ hoc anno primùm facultas oratoria doceri cœpta: à ſchiſmate ſeptem ſupra decem reuocati. Celebris diſceſſio Iudæi ab errore & pertinaciâ fuit auctore quodam Noſtro, qui foris curabat. E Rabinorum genere is fuit magiſtérque perfidiæ tùm ob innatam naturæ bonitatem, tùm ob literarum Hebraicarum cognitionem ſuis non mediocriter charus: Chriſtianis etiam eaſdem ob cauſas non ingratus: qui quò faciliùs ſalutis ſuæ negotio vacaret, cùm iam in Chriſtianorũ partes à Noſtris fuiſſet inclinatus, ppter frementiũ ſchiſmaticorum iram & obtrectantiũ linguas in Reuerendiſ. ędes receptus eſt, cũ aliquot corporis ſui cuſtodib? vbi integro octiduo in his, quæ ad ſacrũ baptiſma

Digitized by Google

spectabant, per nostros institutus est. Quo tempore tantum abest, vt ab aliquo suæ gentis sæterpellari sit passus, vt germanam etiam sororem cum lachrymis & lamentationibus ad se adeuntem arceri permiserit, hoc solo scuto contra obtestantium querelas vsus; *sime Magistrum suum, si parentem appellant* (appellabant autem ob incredibilem in suos beneuolentiam) *conuenienter est, vt & ipsi me sequantur, magistrum discipuli, parentem filij.* Neque ille cum domesticis solùm pugnando animi sui constantiam declarauit, sed etiam cum schismaticis; qui cum quòuis maluissent hominem sentire, quàm cum Ecclesiâ Romanâ: superatis tamen difficultatibus omnibus solenni ceremoniâ ab eo, qui vices Episcopi agit, baptismo admotus est. Ipse Illustris, quamuis hoc anno multis vrgeretur priuatis publicisque difficultatibus, variisque à milite damnis & iniurijs sit affectus, nihilo tamen minùs rem nostram augere pergit, eámque duobus aureorum millibus locupletauit; in publico grauissimorum virorum conseßu palàm testatus, se non in suam modò cathedram, sed Collegium etiam Luceorienſe fore semper beneficum. Vsibus sacris pyxis, calix, candelabra, lampas, omnia ex argento, destinata: quibus & vestis auro contexta pro altari & Sacerdote accessit.

COLLEGIVM CAMENENSE.

XVIII. VNIVERSAM ciuitatem, vt nos amat, com-

Digitized by Google

commouisse videtur vnius è Nostris funus, vtpote primum in hac vrbe, Pauli Foltin, sextum in Societate annum agentis, & Grammaticen in nouo Collegio profitentis. Elatus est ille ab numeroso populo, totóque Clero & Religiosis Ordinibus non inuitatis; funere publico: habita à Nostro concio, exequiarúmque iusta à Prælato persoluta: post quæ multi pro egregia sua in Societatem voluntate & charitate nos consolandi gratia accesserunt. Discipuli centum octoginta scholas nostras adeunt, maiore quidem industriâ quàm numero. Vtilia quædam præcepta ad confessionem rectè instituendam, dolorem de peccatis concipiendum, conscientiam examinandam typis excusa, atque in vulgus sparsa magno multis sunt emolumento. Morbi diuinitus, vt creditur, immissi alios à vitijs, alios à schismate auerterunt.

XIX. PALATINVS Braclauiensis ciuitati & arci Camenecensi Præfectus, egregiúsque hisce in partibus hæreticorum propugnator, deduxerat ante vnum alterumvé annum in sua bona, Cameneco vnius leucæ interuallo dissita, quandam hæreticorum Coloniam: quos, vt scholas ibidé aperirent, propositis amplis stipendijs inescárat. Quatuor millia aureorum annuum vectigal erat, partim in Ministros & Scholarchas alendos vnà cum vxoribus & liberis expendendum; partim in typographiam; ex qua eiusdem Palatini sumptibus prodibant non pauci libelli Polonici, euulgabantúrque ad hæresin fouendam aptissimi. Mortuo hoc anno præsenti,

Digitized by Google

dum in Moschouiâ bellicæ rei dat operã, fratres eiusdẽ benè Catholici in eãdem tum expeditione morati, literas dant ad viduam Catholicam item feminam, aliósq; bonorũ curatores, quibus mãdant, vt è vestigio pulsis hæreticis cum vniuerso Ministrorum iuxtà ac discipulorũ grege, exustisque illorum libris stipendia Catholicis assignentur. Audax ac velut temerariũ visum est tam repentinũ negotiũ; præsertim cùm ei mors mariti eisdẽ literis adiuncta esset; quã denunciare ignoranti tum coniugi non minus durum videbatur, quàm inuidiosum. Nihilominus tamen Nostri, in quos solos declinantibus ceteris id onus incubuit, & mortis nũcium, officij Catholici cõmonefaciunt. Rem subodorati Ministri mandata pũuertũt, noctúq; cõcubiâ per auia vniuersi se subducunt; adeò vt postridie vnicus tm Pædotriba cum coniugis & liberis fuerit repertus, omnibus etiã discipulis fugà dilapsis. Confecta igitur omnia ex animi sententia sunt: æs campanũ ex illorum scholis sublatũ, in quo vestigia erasi sanctissimi nominis Deiparæ adhuc deprehendebãtur. Nec minùs cathedra aliáq; id genus Nostrorum discipulorum vsibus mox sunt accomodata: libri omnes, quotquot hæretici reperiebantur, obsignatâ Typographiâ publicè in nostri area Collegij ab adolescentibus combusti, spectante & approbante factum vniuersa, quæ tum aderat, nobilitate. Paulò pòst ex synagoga iussu Palatinæ omnia Hæreticorum cadauera effossa partim in campos proiecta, partim aliò per cognatos sunt transportata: ita plantatio, quam non plantauit

Pater

Pater cœlestis, eradicata nulla bonæ frugis spe, exaruit. Reperto postmodùm alio nido Ministri vnà cum suis è nobilitate gregalibus Iesuitas harum rerum auctores insimulare cęperunt: fidem potentiorũ implorare, & Regni præsertim status quiritationibus in odiũ facti seditionémq; in comitijs accendere; sed nihil profuit impietas. Nam nepos inprimis demortui, quãuis & ipse hęreseos aurà afflatꝰ, in Ministros acriter inuehi cœpit, temeritatem tribunitiámq; loquentiam illis innatam exprobrando: calumnias in nomen nostrum strictas aperiendo: eáque omnia, quæ accidissent, suorum auctoritate ac mandato perfecta ostendendo: quod & literis opportunè depromptis probauit, & sui patrui mortem in eorundem vesanum furorem detorsit. Ex scripto enim quodam illorum impendenti, mœrore confectum in morbum incidisse, eóque miserè extinctum esse demonstrabat. Stupuère vehementer hac agendi ratione præcones. Vnus præcipui inter eos nominis, re iam deplorata, ab Rectore nostro supplex per litteras petijt, vt sui rationem inter Nobiles, si qua occasio esset, haberet. Sed cùm miser nihil impetrâsset, in Lithuaniam vsque maturare fugam coactus est. Pueri autem pleriq; omnes etiam nobilitate inter nos clari, ab ijs ad nostras non tantùm scholas, sed etiam fidem transierunt.

XX. ACCIDIT hoc in Collegio quiddam & nouũ, & quod diuinæ in nostros homines bonitatis argumentũ sit non vulgare. Egressi fortè è Collegio Patres duo paulò remotiùs animi relaxandi gratiâ, iámq; vno propè à ciuitate milliari aberant,

Digitized by Google

aberant, cùm ecce alter eorum fessus languere incipit; nec ad fluuium, quem itineris sui terminum fixerant, progredi potest. Vicinum igitur Nobilem proximo rure agentē adeunt vterque; is suadet, ne vlteriùs tendant, sed in amœnam potiùs, nec multùm abiunctam siluam se recipiant, in eáque animum oblectent: itáque è suis quendam illis ducem adiungit, iubétque viam monstrare sequentibus. Hic aliquantisper cum illis progressus pedem reuocat. Nostri pergunt, & densioribus corylis siluas consitas ingressi, partim sibi psallere, partim auellanas carpere. Tum ecce tibi præcipites è coryletis prædones: quorum subitarius aduentus simul aduertit Nostrum, fugam maturat: illi fugientem persequūtur, pharetrati fustibúsque nodosis in viatorum cædes armati crudeliter: & assequuntur sanè, rectóque ad summum prædonum ducem abripiūt: in cuius iam manibus alterum etiam Patrem cōstrictum offendunt. Sic vterque silentio imperato in abstrusiores siluas abducti, pecuniā posscuntur primò benéque excutiuntur: qua nulla reperta fila serica è corollis, tabellas sacras cum cruce ærea, pugillares, cultellos, forfices, & id genus alia sibi vindicant; sphæruias tantummodo precatorias, & diuini officij libellos relinquunt: quin pallium quoque & tunicam, quòd attrita, non attingunt. Interim loco aprico æstuantéque sole pransum se recipiunt; in Patres non inhumani omninò, quando alius panem, caseum alius ministrat. Bene saturi inde mouent sub vmbram densæ prælatæq; tilię, qua spe-

culæ

culæ loco vtebantur. Ibi è suo numero speculatorem creant, qui cõscensa arbore obseruet moneátque, quinam comitati incomitativé via publica transirent. Cæteris verò confidentibus Patres sui muneris esse aiunt, sceleribus oneratos subleuare, pœnitentiam denunciare reis, ægros visere & solari, mulctandos pœna publica ad mortem fortiter obeundam animare; dein horarias preces submissè ex libellis recitare incipiunt: quo viso latrunculi assurgere, characteres inspicere, græcine an latini forent, arbitrari; & cur tam minuti, inter se disputare ac mirari. Nostri interea Decalogum velut ex libro lingua eorum vernacula claráque ordiuntur, audéntque rogare, num eum nossent intelligántque: indidem nonnulla exponere. Vbi quintum ac septimum interpretari præceptum, ac nonnihil iam ex eorum neglectu pœnæ illis in altera vita deberi, infernósque terrores minari cœperunt, illicò ipsos silere iubent. *Et licet,* inquiunt, *Popi sitis* (ita suos appellant Sacrdotes) *cum Lechica tamen gente in extremas amandandi effetis oras.* His dictis ad pastum denuò redeunt. Dux, quinam latronum recèns Cameneci qualemvé mortẽ subierint, ex Patribus quærit: cùm multos multiplici suppliciorum genere excruciatos intellexisset, se enimuerò minimè ignorare respondit. Nec mora: furijs scelerum ille agitari, oculos pileo obnubere, vultúq; auerso toruum spectare, in terram denique se proijcere, obdormiscere. Eodem insano somno pars quoq; sopita altera est, pars verò excubias circa Patres egit. Post horam

cùm

Digitized by Google

cùm somnum excussisset caput illud sceleſtũ, Patres rogarunt abire sineret: veritus latro, ne dimissi luce media vicinum Nobilem recens à suis spoliatum exirent, ad solis occasum dimittẽdos Camenecũ pollicetur. Cùm instaret nihilominus Patrũ alter, libertatémq; precib⁹ exposceret, minas audit, & fuste secundùm crus percutitur. Tum si abire velint, duorum datur optio, vt aut ea de re sanctè taceant; aut si malint, ad prædandum se illis adiungant. Primarius ille durior est, prædam exigit, calceos è pedibus detrahere Patrem iubet: detractos ipsemet sibi induit, suos verò clauatos cothurnos eidem contrà donat, nullius prorsus pretij. Alius ab altero quoq; Patre eosdem postulat: offert hic sponte: ille bubulos suos, eósque hiulcos pedibus Patris manu propria applicat. Nec dum cessat: ille enim, quẽ Ducem esse diximus, tibialia è pedibus abrumpit, in partes diuidit, iisq; arcum suum, & alterius item inuoluit & vestit. Hisce spolijs potiti Camenecum versus cum Patribus viam ingrediuntur cautè & varijs per siluas meandris & erroribus vtentes: ad minimum etiam folij strepitum intenti territique retrogrediuntur, subsistunt, considunt; donec iterum ad sibilum Ducis excitati porrò procedere audent. In planitiem fortè cùm ventum esset, illicò omnes quasi dato signo vorare belluarum more incipiebant, vicinisque fontibus sitim restinguere: tum iaculari ad metam certam exercitij causa. Sol interim occubuit, & ex agris coloni domum abiêre: ipsi autem præda necdum contenti priore, indusia Patribus

tribus detrahunt; alterius, quòd è cauterio nonnihil sanguinolentum foret, abiecto. Ad galeros denique cùm manus etiam extendissent, monuêre Patres satis illos habere spoliorum, rationem demùm aliquam habendam æqui, Deum timendum; quibus vnus: *Vt quid,* inquit, *Deum timeam? ego eum in finem vtig. natus sum, vt furer, rapiam, mactem.* Pater contra ad aliud omninò hominem à Deo creatum probat. Ille tacere iterum iterúmque imperat: perculsus tamen ea mentione timoris diuini videbatur miser, & de galero iam minimè sollicitus Patres tacitè in viam ciuitatem versus deducit: ipse verò pauidus tenebrio in tenebras se suas rursum penetrat: itáque Nostri DEI benignitate defensi sub crepusculum noctis domum incolumes redière.

XXI. CONSIMILE diuinæ tutelæ argumentum in vicino eiusdem Collegij loco patuit. Missus anni insequentis initio Pater quidam est cum Socio ad arcem Cochimensem in finibus Valachiæ, duobus Podolicis milliaribus Cameneco sitam: partim ad militem Polonum iuuandum, qui in arce illa omnium Valachicarum munitissima præsidio esse semper solet: partim ad alios itidem militares homines subleuandos, qui tunc cum Principe Valachiæ fugiente Tyrannum quendam Stephanum à Turcarum Imperatore in eius principatū cum non parua Turcarum manu submissum, ad eam arcem confluxerant. Plerique enim illorum maxi-

Digitized by Google

maximo confecti gelu, aliisque morbis afflicti, absque Sacramentis de vita decedant. Substitit ergo in oppido aduersus arcem sito Pater; vbi non paucos ex illis militibus ægrotantes reperit, monuitque, vt in diem sequentem pro cõfessione se pararent. Ita proximus ille dies à sacrificio totus impendendus fuit Patri in eorum animis sanandis, multorum annorum ægritudine, penè desperatis. Sub vesperum Præfectum arcis conuenit: missum se à suis exponit in auxilium animarum Christianarum: simúlque rogat, num tutò in oppido ob metum incurrentium Valachorum (oppidum enim Bracha nullum ferè præsidium habet) ea nocte permanere possit. Præfectus gratissimum testatus est sibi esse Nostrorum aduentum, quorum operam paulò ante proximis genethliacis inter suos fuisset expertus. Itaque sequenti die Patrem in arce facere iubet: cæterùm nihil se videre periculi ostendit, quò minùs securi in ipso oppido consistere posse viderentur; quando vix ipse angustias castelli ferret. Quibus auditis ad hospitium vrbicum se confert Pater; vbi dum cœnulam parat Socius, officium diurnum absoluit ille: & iam quieti se dederat Frater; cùm ecce subitò buccina intonuit, quæ & hunc è quiete, & oppidanos omnes è suis ædibus exciuit: dúmque Nostri sarcinulas colligunt, ardere iam aliquot partibus oppidum conspicitur: fit ingens vndique clamor: Pater vrgere Fratrem, relicta sarcina vitæ vt consulat: & forsan ille periculum, in quo erat, non tantum esse ratus, morabatur diutiùs; exit denique domo

Digitized by Google

domo à Patre compulsus in aream, vbi omni ex parte cinctos se ab hostibus deprehendunt, nullo vsquam relicto elabendi loco, commendant se Deo, & sicubi in niuem, quæ multa tum erat, abstrudere se possint, circumspiciunt: sed, quòd partim à lunâ, plenâ ferè, partim à flammis ardentium casarum proderentur, in arcem confugere meditantur: sed & eò non nisi per oppidum deueniri poterat, vbi hostis iam barbaro Scytharũ more ferro atque igne vastabat omnia, spoliabat, & trucidabat obuios quosque. Animaduersa denique est exigua quædam ad paruam oppidi ianuam semita: illac monet Patet Socium, se vt demittat: ac ipse quidem præit. Frater secutus non diu, quòd viâ perdiderit hostémve fugerit, dum per forum oppidi compendia itineris quærit, in hostium manus incidit, à tribus insequentibus militibus comprehenditur: discingitur, spoliatur, vtráque veste exuitur, pileus è capite detrahitur. Duo quidem, quòd vestem quisq; pro se accepisset, paulò mitiores erant: sed tertius, cui pileus tantummodo cesserat, & se in pecuniâ quærenda, quam nullam repererat, reculisque minutioribus colligendis frustra occupârat, commotior stricto ense caput Fratris petit, quamuis irrito conatu, quòd eum seu casus, seu, quod credibilius, diuina prouidentia auerterit. Restabat misero interula pellicea, femoralia, calcei, quæ omnia actutum deponere hominem ferox ille præcepit: cui Frater, misericordiæ denique aliquem etiam locum dandum: & femoralia quidem sua dicere pannosa esse: subuculam

Digitized by Google

attritam & centonem veriùs, quàm vestem, quâ ne à frigore quidem satis defendi posset. Reconditam habebat opportunè sub illis pellibus lagenulâ Noster cum vino ad sacrificium præparato, quæ ex sinu, dum spoliaretur, cæteris cum rebus non exciderat: hâc exemptam furioso illi in sinũ ingerit: qui magni precij rem sibi obuenisse, rat⁹, ne Socios aduerteret, citiùs ab homine, (rebus quas abstulerat, restitutis) sese expedijt, & ne vim maiorem à quoquàm experiretur, ocyus fugà abire suasit. Sic elapsus Noster è manibus hostium Deo primùm, tum verò Beatis nostræ Societatis præcipuéq; Stanislao Koskæ, cuius reliquias gestabat, cuiq; tunc potissimè se cõmendabat, gratias egit. Ne in alios tamen incurreret, grassatores, ita sibi cauit, vt in stramineum quẽdam cumulum sese abderet: ex quo deinde, cùm flammæ sæuientis accessum timeret, in niues se abiecit, ibíque vnâ ampliùs horâ leui fasce straminis contectus delituit: donec tandem cantum receptui est, latrunculi abière, oppidani ad arcem facto agmine concurrére; quibus & Noster se præbuit comitem. Pater interea per latebras illas & diuerticula cùm sequi Fratrem: non vidisset, nec sine periculo ad conquirendũ eum redire posset; ad oppidanos se conuertit, iisque, in arcem vt confugerent, auctor fuit. Ibi ab omnibus ferè iam deploratus Frater & ipse denique comparet, non sine ingenti Patris aliorúmque & gaudio & stupore: quem auxêre farcinulæ Nostrorum postridie in eâdem domo, ex quâ relictis ijs aufugerant, repertæ; tametsi

mẽtsi ſuppoſita flamma illis quoque ædibus fuerit; clarè vt pateret, Deum Opt. Max. minimarum etiam rerum Noſtrarum curam gerere ſingularem. Verùm nunc, quid in alijs etiam miſſionibus ex hoc Collegio factis ſeu tulerimus ſeu egerimus, diſpiciamus.

XXII. IN eam regni partem, quæ eſt propior Ponto Euxino & Tartaris finitima, ideóque vulgò Vkrania dicta (quaſi limes) ter hoc anno excurſum à Noſtris eſt; Aduentûs, Quadrageſimæ, Pentecoſtes ferijs; ſinguliſque profectionibus datus menſis, & quod aliquãdo excurrebat. Incultus eo loci ager & ſilueſcens impigras ſanè requirebat operas, quòd pagi paſſim & oppida nonnulla aut templis carerent, aut templa Sacerdotibus: quorum in illo tractu ad triginta leucas protenſo vix duos treſvè reperias, neque induſtrios, neq; rerum diuinarum peritos; vnde miſeræ deſertorum hominum confeſſiones pleræq;, ob varios defectus ab omni vita erant recognoſcẽdæ. Pellicatus his locis admodũ frequens, vix vt in vitio ponatur; is aut omnino profligatus à Noſtris eſt, aut in legitimam honeſti matrimonij ſocietatẽ cõmutatus. Enimuerò hîc, qui Catholici audiũt, vt alia diuina ignorãt, ita ſacras matrimonij leges cõtẽnunt: pſertim quia ſibi licere putãt, quod apud Ruthenos ſchiſmaticos aduertũt, matrimonia etiã p manifeſtos raptus cõtrahi, ac dein ad libitũ per diuortia iterũ diſſolui. Hęreticus vnus ex paucis, qui hîc reperiũtur Catholicæ veritatis lucẽ agnouit ac recepit: plures ſchiſmatici, & ex eo genere Poloni, qui cõſuetu-

Digitized by Google

dine conuictúq; deprauati ad schisma Græcum, desciuerant. Quidam est inductus ad octo millium vsuras restituendas. Expeditio in Moldauiam non potuit suscipi ob crebras hoc anno & tumultuarias Turcarum Scytharúmque incursiones, quæ pacatis olim rebus nihilominus erit continuanda: imò etiam de sede Societatis ibidem figenda cogitandum, ad quam sola regionis illius tranquillitas videtur desiderari: nam & incolarum animi in nostrum nomen admodùm propensi, & locus iam reditúsq; certi designati. Nec tamen omninò illis desumus: nam nuper Præfectus Chocimi (quæ arx est Moldauiæ munitissima, duobus Cameneco leucis distans) pro Natalitijs diebus obnixè petijt nostros Patres, qui præsidiarijs militibus totíque viciniæ suam impenderent operam.

XXIII. INTER eos, qui bene nobis liberalitate sua fecerunt, primam meritò gratiam debemus Reuerendiss. Camenecensi, qui ad absoluẽdum fabricæ opus quingentos nobis aureos hoc anno contulit: bibliothecã instruxit, quæ splendore & delectu librorũ nulli in Prouincia librariæ cedit, quamuis numero superetur à plerisq;: æstimatur tribus circiter millibus aureorum. Sacrario accessêre calices argentei quatuor: hierotheca æstimata trecentis: vestes sacræ quatuordecim, precio & opere visendæ. Nobilis quidam moriens Collegio legauit mille aureos: mille ducentos alius in ipso iam vitæ occasu. Luculenta porro cum primis mense Augusto, promouendæ hisce in partibus Societatis & augendæ dotatio-

Digitized by Google

dotationis Collegij huius ab vniuersa Nobilitate data sunt indicia. Nam in conuentu solemni senatorum totiúsque Nobilitatis Podoliæ, qui Regni comitia solet antecedere, post varia & illustria Societatis encomnia à singulis prolata actum est communi omnium sententia de subsidio aliquo Camenecensi Collegio à Nobilitate ferendo. Igitur contributionem decernunt publicam, (qualem non nisi Regi, necessitatibus Regni id aliquando poscentibus, facere consueuerunt) eámque deinde lege sponte latâ fulciũt: & vt inter alia capita in cõsilijs proponenda collocaretur, Statibus in primísq; Sereníssimo Regi commendaretur, suis legatis negotium dederũt; atque vt typis deniq; cum reliquis decretis mandaretur, voluerunt, obtinuerunt. Sed & exactorem assignárunt, qui cum potestate & iure huic causæ præesset.

Reperiebatur in tanto omnium consensu, qui intercederet, vnicus, ísque Hæreticus: contra quem tamen assurrexére complures, qui pro eo soluturos se libenter debitam pensionis partem reciperent; quando non minùs ad promouendã Dei gloriam, quàm Reip. bonum obligarentur. Nihilominus deinde & iste ipse hæreticus, cùm interfuisset Dramati à Nostris discipulis de non negligenda occasione exhibito, in aliorum sententiam libenter iuit. Et quamuis Collegio non nisi aliquot millium ex hac pensione fiat accessio, magni tamen facienda est ea gratia, qua Societatem nostram in suam quasi tutelam curám-

Digitized by Google

que in tam remotis terrarum partibus nobiles viri susceperunt.

COLLEGIVM SENDOMIRIENSE, TORVNENSE, GEDANENSE cum sede Premisliensi.

XXIV. SENDOMIRÆ ita à Nostris administrata res est, vti tres è schismate educerent: nouem ab hæresi reuocarent: vnum nostro more, in secessu religioso exercerent: complures dissolutis grauissimis simultatibus ad concordiam adigerent: in excursionibus eam operam præstarent, quæ & solatio foret salutique afflictis, & honori Nostris. Ad Collegij fabricam magno nobis adiumento fuit liberalitas Illustris ac Magnifici D. Ioannis Gostomski Præfecti Valcensis qui nihil magis in votis habet, quàm vt ea, quæ ab Illustrissimo parente suo Fundatore nostro inchoata sunt, quamprimùm perficiantur.

XXV. TORVNII quamuis à scholis adhuc vacetur, nouem tamen Nostri benè atque vtiliter occupantur. Ternas diebus festis habent cõciones, ad Germanos vnam, duas alias ad Polonos. Ab hæreticis ad nos adiuncti quinque: inter quos duæ feminæ nobiles, vnus etiam Minister verbi missus huc ab Illustrissimo Nuncio Apostolico. Multi in religione Catholica vacillanter confirmati. Octo capitali sententia damnati ad supplicium fortiter & Christianè ferendum animati sunt, non permissu modò senatûs, sed & rogatu: quod vtrumq; nouum fuit hac in ciuitate,

Digitized by Google

ciuitate, cùm antea nobis etiam petentibus hoc licere nollet: vt si quis Nostratium in loco supplicij comparuisset, periculum aliquod non euasisset: iam ipsemet etiã Senatus gratias egit Nostris per famulum pro eà charitate, quà miseros illos sunt prosecuti: quæ tamen minor nequaquam extitit in ægrotantes; è quorum numero præclarum sanè facinus puellam commendat, quæ à tutoribus hæreticis ad Xenodochium item hæreticum delata, cùm grauiter ægrotaret, petijt Sacerdotem, cui conscientiam suam aperiret, Catholicum: qui cùm illi à Præfectis Xenodochij negaretur, eiúsque loco Minister hæreticus vocatus adesset, quanta potuit animi vocisque contentione hominem à se repulit puella, identidémque ingeminauit, verum se cupere non fictum aliquem, aut mentitum Sacerdotem, de cuius manibus verum etiam Corporis Christi, non phantasticum acciperet. Itaque eo à se reiecto Nostrum vocari Sacerdotem curauit: cui, quoniam in Xenodochium non patebat aditus, efferri se in scabello voluit ad proximum stabulum, vbi confessione ritè facta sacram Eucharistiam sumpsit, & extremam vnctionem obtinuit: quibus communita Sacramentis, & gratiarum actione, quòd in Catholicà religione moreretur, Deo factà, beatè finiuit.

XXVI. EXPEDITIONES aliquot hoc ex Collegio factæ cõciliarunt nobis rudium animos; primò quidẽ, antequam humanitatis nostræ experimentũ fecissent, alieniores. Cùm Noster alicubi cum honesta quadam matrona ante confessionẽ

Digitized by Google

examen instituerent peccatorum, dicerétq; peccatum esse id, quod illa bonum factum arbitraretur, exclamat continuò femina: *Bone Deus, quare nobiscum non ita candidè nostri agunt Sacerdotes?* tum multis gratijs actis de peccatis confessa est. Aduocati quoque Nostri ad duo funera magnatum, videlicet Palatini Mariæburgensis, & Præfecti Coualeuiensis in magna nobilissimorum auditorum corona pro mortuis dixêre.

XXVII. IN COMITIIS priuatis duarum Prouinciarum, Cuiauiensis & Dobrinensis, ab vniuersa nobilitate legatis Varsauiam ad Comitia generalia discedentibus negotium datum, vti scholas Collegij Nostri decreto eorundem Comitiorum aperiri curarent; idque nomine eiusdem nobilitatis vrgerent: quod & perfectum est cum gratulatione omnium bonorum: adiuncta pœna Bannitionis, vt vocant, intercedere si vellent Torunenses: priuilegio denique peculiari Regiæ Maiestatis confirmatum est ius nostrum, in quæ bona hîc illud habemus. Eiusdem Serenis. Regia munificentia assignata sunt nobis in annos singulos duodena salis vasa. Nec retrahit Antistita Culmensis liberalem suam manum, quam semper apertam experimur.

XXIIX. GEDANI frequenter foris in opere sunt Nostri, quando intra mœnia Religionis munia publicè obire per hæreticum Magistratũ Societati non licet. Baptizati infantes duodecim: vnus sedecim annorum adolescens: confessio-

Digitized by Google

fessione expiati supra trecentos: absoluti ab hæresi triginta tres. Religiosorum monasteria aliquot cõmentationibus exculta nostris: dictũ ad Sãctimoniales bis: sparsi libelli Catholici p̃cipuè Catechistici, quorũ exiguam cognitionẽ etiam Catholici habuêre: trãsfugæ religionum aliquot ad institutum reuocati. Obijt interea in vrbe haud sanè vulgaris Societ. amicus Dn. Nicolaus Mylonius Parochus; vir & doctrinę p̃stantis, quã Romæ in Collegio germanico hauserat, & antiquæ probitatis. Hic per annos prope viginti, pijs in hæretica ciuitate distentus laboribus, vnico in templo Catholicis cõcesso solitus est identidem Societatis operas in partẽ laboris vocare, quantum quidem ipsi licuit: atque cùm Societati domicilium Gedanenses nulla vellent ratione concedere, ille in partem domùs suæ Patres Nostros accepit, hospitésque benevolè semper habuit, & quà auxilijs quà consilijs adiuuit. Atque vt suum erga Societatẽ amorem cum morte non finiret, sed eum beneficijs posteritati etiam commendaret, bibliothecam sat copiosam vnà cum supellectili omni argentea pro altaris vsu nobis testamento reliquit.

XXIX. DVOBVS NOSTRIS, qui anno superiore Premisliam laboribus suis adiuuandam susceperè, adiuncti duo alij sunt inuitatu Illustrissimi ac Reuerendissimi D. Stanislai Siecinski Episcopi Premislien sis: eorúmque iam opera reuocati ad Ecclesiam hæretici octo: reconciliati schismatici quinque: adeóque non potuit pri-

Digitized by Google

matum è Clero alienatio Noſtris in templo vrbis præcipuo rudem pueritiam docentibus obſtare; quin ijſdem paulò poſt induſtriam Noſtrorum comprobantibus ſecuta etiam ſunt beneficia amicorum. R. D. Hieremias Kraſiski Præpoſitus & Canonicus Premiſlienſis aureos nobis donauit mille ſexcentos: vt taceantur eſculenta, quæ ſubinde nobis miniſtrat: cuius etiam auxilio ſumptibuſq; Magnifici D. Adami Stadniski domus Noſtris comparata eſt, in qua commodiùs muneribus Societatis vacare poſſint, quàm anno præterito in aula.

†

PRO-

Recenſet hæc è noſtris decem ſupra trecentos. E viuis abiuêre ſex: vnus & triginta Societatem noſtram iniuerunt.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Varſauij in domo Profeſsâ	XIII.	VIII.			V.
Vilnæ in Collegio	XXXIV.	XIV.	VI.		XIV.
Vilnæ in domo Probationis	LX.				
Vilnæ ad S. Caſimiri	X.	IV.			VI.
In Collegio Brunsbergæ	XXXI.	XI.	V.	VIII.	VII.

643

Digitized by Google

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
In Colleg. Pultouij	XXXVIII.	XII.	VI.	XIII.	VII.
In Colleg. Nieſuiſij	LXXIII.	XXXII.	IV.	XXVII.	X.
In Colleg. Polocij	XXXII.	IX.	III.	X	X.
In Colleg. Rigæ	XV.	VII.	II.		VI.
In Colleg. Derpatij	VI.	II.	I.		III.
In quinque Miſsionibus.	XIX.	XIV.			V.

Digitized by Google

Erroneis opinionibus, aut perfido diſſidio ab vera Eccleſia auulſi, eidem ſe, Noſtris adhortantibus, ſtiterunt trecenti ſexaginta.

Omnia in vita perpetrata facinora apud Noſtros depoſuerunt ſexcenti octuaginta.

Odijs poſitis priſtinam amicitiam redintegrarunt, præter totam Rempub. triginta.

Impudicis reſtinctis amoribus, pudicè dein viuere docti ſunt quadraginta.

Sica ad aliorum internecionem parata, è manibus extorta tribus.

Magnæ Virginis aliorumvé Sanctorum, atque etiam confeſſionum vim experti ſupra tredecim.

DO-

Digitized by Google

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
In Colleg. Pultouij	XXXVIII.	XII.	VI.	XIII.	VII.
In Colleg. Nieſuiſij	LXXIII.	XXXII.	IV.	XXVII.	X.
In Colleg. Polocij	XXXII.	IX.	III.	X	X.
In Colleg. Rigæ	XV.	VII.	II.		VI.
In Colleg. Derpatij	VI.	II.	I.		III.
In quinque Miſsionibus.	XIX.	XIV.			V.

Digitized by Google

Erroneis opinionibus, aut perfido diffidio ab vera Ecclesia auulsi, eidem se, Nostris adhortantibus, stiterunt trecenti sexaginta.

Omnia in vita perpetrata facinora apud Nostros deposuerunt sexcenti octuaginta.

Odijs positis pristinam amicitiam, redintegrarunt, præter totam Rempub. triginta.

Impudicis restinctis amoribus, pudicè dein viuere docti sunt quadraginta.

Sica ad aliorum internecionem parata, è manibus extorta tribus.

Magnæ Virginis aliorumvé Sanctorum, atque etiam confessionum vim experti supra tredecim.

DO-

Digitized by Google

DOMVS PROFESSA VARSAVIENSIS, ET COLlegium VILNENSE cum domibus S. Casimiri & Probationis ibidem.

I.

PLVS QVAM TRIGINTA ANnis impiger Societatis operarius Gabriel Pultouiensis extremum in domo Professa obijt diem : cui adiunctus non diu pòst P. Ioannes Gossniski octo apud nos annos versatus, vir insignis pietatis & innocentiæ, & diuino inprimis igne flagrans. In fructibus domûs hæc commemorari possunt. E cœno hæretico extracti decem : vitæ totius errata dimissa non paucis : matrimonia aliquot inualida nouo contractu stabilita : quatuor magni momenti inimicitiæ dissolutæ : vir nobilis ex veneficio æger post expiatas animi maculas exhibitósque à Nostris exorcismos meliùs

liùs habuit: matrona, quæ infantulum ægritudine iam pænè oppressum B. Ignatio obtulerat, eum sanum & benè valentem recepit: in Nosocomijs precariò curati sustentatique pauperes: plurimorum deniq; in missionibus exceptę confessiones.

II. Decem & Collegium Vilnense numerat, quibus auctores benè credendi fuére Nostri. Moschus & Ruthenus schismate damnato resipuerunt: generales confessiones exceptæ centũ: ex his informes octoginta correctæ: duodecim ad concordiam reuocati. Magistrorum diligentia discipulorúmq; in studijs progressu factũ est, vti complures hæretici, partim schismatici filios suos in nostram disciplinã tradiderint. Gymnasium profectûs & doctrinæ suæ specimen dedit, cùm sæpe aliàs, tùm maximè in Serenis. è victoria Smolenscensi reditu, cum arcu triumphali & erectis trophæis ipsum salutauit.

III. Septvagenarivs homo temulentiæ & ebrietatis notâ infamis, cùm frequenti filiorum hortatu à crapula abduci nequiret, sed & cõfessionis Sacramẽtum, quod identidem ipsi inculcabant, omninò respueret, delatus est tandem ad Consulẽ. Hic ad terrorem seni incutiendũ apparitoribus mãdat, vti nocte intempesta ebriũ carceri mancipẽt. Exclamat ille admirabundus, fidẽ obtestatur omniũ, se nihil contra Iudicẽ, nihil in decreta ciuitat. peccâsse. Tandẽ tẽpestiuè, vbi crapulã edormiuit, confessariũ, ex Nostris vnũ sibi mittiobsecrat, etcõfessione in carcere pacta liber abire iussus, ad modestiorẽ deinde viuẽdi rationem

nem se accinxit. Persa ex comitibus legati perfici vnum ad Pontificem Paulum V. exemplo socij, qui Romæ lustralis baptismatis aquâ tinctus fuerat, permotus, vbi Vilnam peruenit, nuncium remisit Legato, & quamprimùm eodem Sacramento initiari voluit. Tartara quædam matrona non infimæ sortis certa morborum genera, cùm eius artis gnara esset, in Catholicis nonnullis curârat; quorum frequenti admonitione, vt Christiana sacra susciperet, permota tandem, ad vnum è Nostris confugit; à quo ad honestas dimissa matronas fideique nostræ mysteria edocta, baptismum suscepit, tantâ vitæ mutatione, vt multis admirationi sit eius virtus. Adoptauerat quædam sibi Lutheranę sectæ virginem parentibus orbam, quæ vbi adoleuit, sordes Lutheranas auersata tempus delegit, quo clàm consiliarium salutis suæ operiens manumissionis è dira illa animæ seruitute ab eo cognosceret. Innotescit propositum Virginis Reuerendissimo Vilnensi, defertur res ad consules, citatur hera ad prætorium, iubetur sistere virginem; sistitur & separatur ab altrice corporis, animæ hoste; imbuta demum mysterijs fidei in curiam Serenissimæ datur. Alia in eodem salutis periculo, ab affinibus hæreticâ labe respersis educata, operâ Nostrorum Ecclesię aggregata; & cùm à suis desereretur, ab optimis viris dotata honesto in matrimonio collocata est. Atque vt nostra hæc in arripienda fide auita, ita alia in ea retinenda cõstans fuit. Matrem habebat hæc Lutheranæ sectæ addictissimam; cùm ipsa eius detestata errores Ec-

Digitized by Google

res Ecclesiæ Catholicæ adhæreret. Ancillabatur vtraque nobili cuidam item hæreticæ, vbi varios filia toto septennio de fide interpellata, eosdémque graues admodùm insultus perpessa est; sed nil æquè molestum ei fuit, quàm quòd more nostro Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ, aduersariorum peruicaciâ, præcipuè verò matris pertinaciâ, adire omni ratione prohiberetur. Matre tandem defuncta, relicta tam materna supellectili, quàm mercede, quæ ei pro exacto seruitio debebatur, fuga animæ suæ consuluit. Admirata tantam eius in fide constantiam famula alia, religione tacta, quòd ab Ecclesia olim secessérat, comitem itineris ei se adiunxit, hortatúq; eiusdem & conscientiæ maculas eluit, & sese Ecclesiæ reddidit.

IV. IN DOMO S. CASIMIRI, cui nunc datur initium, crescit & opera & pretium. Sex cum Ecclesia reconciliati: inter sopita multorum odia, in primis memorandum integræ cuiusdam Reip. cum admiratione gaudióque ciuitatis vniuersæ à Nostro confirmatum. Sacellum D. Casimiri, dum templum absoluitur, maiore semper frequentia celebratur: exterorum etiam, qui votorum exoluendorum gratia aduentantes gratæ memoriæ anathemata Diuo suspendunt. Donaria sacello facta ad quatuor aureorum millia æstimantur. Templo quàmuis imperfecto præter vestes, imagines, tapetia bene magni pretij, accesserunt calices duo, Hierotheca, thuribulum, argentea omnia; tum quoque campana à Serenis. Rege ex Smolenscensibus spolijs attributa.

Digitized by Google

Sereniſſima interim Regina, cùm Regem in Moſchouia bellis intẽtum hic operiretur, ſæpiùs ad nos ſacellúmq; inuiſit illuſtrium hominũ comitatu, & muſicâ illis auribus dignâ. Bis eadem ſupplicationẽ totius Cleri ad noſtram ædem deduci voluit: vnam primo Pentecoſtes die pro felici Moſchouitici belli expeditione: alterâ octauo Corporis Chriſti die: cuius tum inſtituendæ ea data fuit occaſio. Inuentus fuerat quiſpiam Caluinianus ſtolo de Pontico nemore, homo quem in ſumma nequitia tum malitiæ ſuæ fama delectaret. Hic clariorem ſe fore ſcelere quàm virtute ratus, ipſo die Saluatoris noſtri corpori ſacro ad altare in foro erectum, notas ac veſtigia ſacrilegæ dexteræ ſuæ relinquere cogitárat, ipſum Antiſtitem S. Euchariſtiam deferentem (eò vſque proceſſerat hominis peregrini in ciuitate Catholicâ ipſiúſque conſpectu ſereniſſimæ effrenata audacia) iniuriâ notabili aliqua affecturus; & perfeciſſet omninò improbiſſimum illud propoſitum ſuum, niſi Magiſtratus auctoritate & diligentiâ mali imminentis periculum auertiſſet. Hæc vt iniuria irreuerentiáque Corpori Dominico illata contrario aliquo inuento dilueretur, voluit Sereniſſima, quanto poſſet fieri maximo apparatu, ſupplicatio alia decerneretur ad noſtram ædem, magno omninò Orthodoxorum ſolatio; ſed non minori hæreticorum, quos mirumquantum hominis illa audacia erexerat, dolore.

V. TIRONVM EXERCITIA in domo Probationis fuerunt. Fuit, qui B. Aloyſij exemplum imitatus,

Digitized by Google

tatus, vt Dei præsentis sæpiùs recordaretur, lapillum consultò in calceis gestaret, quò scrupuli prementis molestiâ identidē submonitus salutarem viuentis & videntis Dei memoriā retineret. Excursum ab aliquibus Sacerdotibus nō mediocri cum fructu; qñ aliqui tam Nobiles, quàm plebeij ad Ecclesiam ex schismate sunt adiuncti; ex hæresi iuuenis etiā vnus claritate generis eximi9: quo ex genere fuit præterea, qui inter Ruthenos Ruthenum, inter Catholicos Catholicum ritum sequeretur: hic & errorem agnouit, & confessus sacræ Anchoræ firmiùs in posterū adhæsit. Erant & Catholici alij, qui Græcis se factis moribúsque accommodarent. Sed hi in nostram quoque viam reuocati. Stipem more nostro corrogaturi Tirones domum fortè ingressi erāt, in quâ cōiuges iurgantes offenderant; suadent pacē, ac persuadent. Factúmq; altero post anno, vt ijdem in domum eādem eandem ob causam deuenirent: ibi ab vtroq; coniuge magna lætitiâ beneuolentiáque excipiuntur, gratias pro præteriti anni admonitione reddentibus, affirmantibúsque, ex illá die, quâ intrauerint, cōcordiam domi suæ habitâsse semper illæsam. Ad exteriora quod attinet, etsi domus hæc nostra per incendium commune grande passa sit detrimentum, eam tamen DEI in se bonitatem experitur, quæ non tantùm, quidquid calamitatis acceptum, exhaurit, sed & olim collata cumulatiùs reponit. Area propinqua ante conflagrationem nobilis domicilij capax amplificandísque horti nostri spacijs peridonea liberalitate cuiusdam

Digitized by Google

Magnifici Domini est donata, cùm ne precio quidem facilè comparanda antehac putaretur. Accessit & altera mœnibus ciuitatis contigua, quæ coëmpta non capacitatem modò domûs, sed etiam amœnitatem plurium amplificabit. Euenit aliquoties, vt cùm laboraretur penuria pecuniæ, partim ad fabricam, ad sustentationem partim Nostrorum necessariæ, miro Dei consilio aliunde submini straretur. Nam aliàs centum, ducentos aliàs aureos inexspectatus nuncius eleemosynam attulit.

COLLEGIVM BRVNSBERGENSE.

VI. BRVNSBERGÆ vnus rerum domesticarum Coadiutor formatus Cœlitum Collegio transcriptus est. Hic erat Gulielmus Oben Geldrius natione, patria Neomagiensis, annos natus circiter octoginta, è quibus septem supra quadraginta religiosè in Societate exegit; vir singulari animi submissione, despicientia sui precandiq; studio ad exemplum apprimè conspicuus; notatus est à Socijs vicenas in die coronas Deo Deique matri obtulisse; quod ipsum vt sæpiùs fieret, in sacello S. Georgij, vbi minor hominum frequentia, plerumque delituit: quòd si vel aëris intemperie, vel corporis inualetudine exire vetaretur, ibidem genibus flexis facie Varmiam contra versa, æquè impensè Deum precabatur, ac si sacris in templo mysterijs interesset. Obiecerat illi Socius (ioco an serio?) rurale Ocium; cui: *ociari*, inquit,

Digitized by Google

inquit, *equidem vobis videor, at cùm in viuis esse desiero, experiemini ni fallor, quanti momenti hoc meum sit negotium*. Innuebat scilicet, se preces quotidianas pro frugum prouentu, pro sospitate pecoris ibi fundere. Enimuerò præsagio non abluit euentus; ipso námque viuo, cùm vicinis circà positis lues in aliquot annos continuata, pecora complura sustulisset, nostra (quæ Dei benignitas) intacta manserunt; Gulielmo humanis exempto paucis mensibus interiectis non pauca ex armentis vna quasi strage amisimus. In congressu familiari comis fuit admodùm & facilis; verbis & moribus ita compositus, vt non mediocris pietatis sensus afflaret astantes; illas præcipuè suo idiomate iterabat voces: DILECTVS IESVS. Imaginẽ S. Annæ cum dulci filia & glorioso nepotulo in publica Collegij fenestra portam versus locatam transiens, capitis poplitisq; flexione, præsertim si à nemine obseruaretur, venerabatur. Eosdem hos Diuos vnà cum B. Iosepho in extremo suo morbo inclamabat. Solemne illi fuit ad quemuis incessum, operis accessum, hominis etiam, præsertim ignoti conspectum signo se S. Crucis prẽmunire, quod vbique vel mali Dæmonis præstigias vel sagarũ veneficarúmque, quibus secundùm humani generis hostem nihil ei fuit inuisius, noxas reformidaret. Eum morem sub exitum vitæ exercuit, maximè, vt cùm affectum brachium ad frontem attollere nequiret, pollice tamen pectus iteratò consignaret, antequam è prędio in Collegium aueheretur, quasi præscius extremum sibi hoc

Digitized by Google

iter futurum familiæ conuocatę vltimum Vale dixit, à singulis offensarum veniam postulauit. Iam domi ita se ad mortis telum quantumuis formidabile excipiendum comparauit, vt & in dictis ipsius appareret & factis, quantum continua corporis edomatione ad vltimū hoc vulnus viriliter excipiendum sese armarit. Illud in primis hîc memoratu dignū, quòd quo die, anno reparatæ salutis CIↃ.IↃC.VII. Sacramento militiæ religiosæ se obstrinxerat, eo ipso nunc ad cœlum auctoratus sit; fuit autem dies hic salutari Christi triumphantis Anastasi vt celeberrimus, ita orbi Christiano longè iucundissimus, vti aliquod hinc capi possit argumentum, certamen Gulielmi cœlesti Regi gratum admodum iucundúmque fuisse.

VII. AD ECCLESIÆ CATHOLICÆ gremium omnino quadraginta hoc anno reducti sunt. In his discipulus noster vndecim circiter annorum puer suam in suscepta religione constantiā supra ætatē strenuè probauit. Cùm enim fratre natu maiore indice contemptæ patriæ religionis apud patrem nobilem Prussum hęretica labe infectum insimulatus fuisset, ab eodem illicò Brunsbergam aduolante seuerè inprimis verbis, tum & verberibus multatus est. Ex quo tantùm abest, vt filius in concepto Religionis ardore aliquid remitteret, vt ex crescente flamma amoris diuini in tenello pectore, Sacramenta etiā ritu obiret Catholico; de quo iteratò monitus parens tum demum furere visus Brunsbergā repetens in Gymnasium improuisus irrūpit, atq; obiter salutato præce-

Digitized by Google

præceptore, de iuniore filio (qui metu confestim se abdiderat) rogat, qui dissimulante Magistro fratris nutu sub scamno delitescens proditus, & dextera paterna nequicquã reluctans in hospitiũ abreptus indignis modis iterũ habetur. Refugerat interim opportunitate vsus ad Collegiũ puer, sed cùm nec patens ostiũ offenderet, nec tintinnabuli ansam pusillus attingeret, vi ex Collegij propylæo retractus in Patris potestatẽ vel tyrannide veriùs reuenit. Collegij Rector vnà cum P. Gymnasiarcho hominẽ adit, testatur puerũ instinctu suo Catholicã complexum veritatẽ; monet interim, ne quid graui? eo nomine in sanguinem propriũ designet. Puer interea internuncio misso P. Rectorẽ iterum de fuga capessenda consulit, disuadet ille, hortatúrq; potiùs, vt armato pectore minas, verbera, & si quid his grauius intẽtet Pater, de præmio securus excipiat, nouis irruentibus à sæuitia machinis nouam virtutẽ opponat, illósque generosos spiritus tam insigniter probatos foueat, & in religione Catholica, extra quã salus non est, perseueret. Pater vero recentis adhuc infãtiæ inopinos ausus maiore conatu, sed irrito diu reprimere tẽtat, & ad naufragiũ, quod euaserat, retrahere frustra nititur; ipsum vinctis manibus eiledo impositũ auehit; simul in itinere quà obiurgando quà verberãdo filij patientiam exercet. Quo factũ, vt cùm demũ fugam è domo paterna meditaretur puer, in vincula iterũ abreptus sit. Deniq; vnà cum fratre ipsum hæretico Regiomontano Gymnasio addixit, vbi scilicet non tam hauriret literas, quàm perfidiæ venenũ

Digitized by Google

Spes est nouellam illam testam adeo feliciter Catholicæ religionis imbutam odore, eundem inter illa putentia contumeliæ vasa conseruaturam.

VIII. VSVRPATIO DIVINORVM mysteriorũ non minùs corporibus quàm animis salutem attulit non rarò. Cuidam ægrotanti & phreneſi laboranti cerea agni cœlestis imago & sacra Diuorum lipsana appensa mentem reddidêre, quoad salutari Corporis Christi viatico refectus decederet. Matrona quædam piè defuncta vicinæ suæ semisopitæ apparuit, gratias eidem agens, quòd sui in precibus fuisset memor, rogans insuper vnum pro se sacrificium offerri curaret: quod cùm per Nostrum fuisset peractum, desijt apparere spiritus.

IX. TRES sacris commentationibus domi nostræ sunt informati. Cœnobiarcha vnus, qui vt ad publicam religiosi instituti professionem faciendam, iuxtà & ad Cœnobiarchicam inaugurationem commodiùs se compararet, huc secessit: & verò munere suo probè iam fungi cœpit, non obscuris argumentis ostendens, se decorem domûs Dei diligere. Quo tempore congregatio Prouincialis hoc in Collegio habebatur, indixit Reuerendiss. Varmiensium Antistes totâ suâ diœcesi solennem supplicationem, & publicam Deo Opt. Max. gratiarum actionem de prospero Regis in capienda arce Smolenscensi successu. Deductam medio foro pompam ornârunt discipuli nostri erectis arcubus triumphalibus, & breuibus acclamationibus; inducti per dispo-

sita

Digitized by Google

sita varijs in locis pegmata pueri, qui angelos repræsentarent. Sigismundus item I. Sigismundi III. auus maternus, magnus olim Varmienfis Præsul, & S. R. E. Cardinalis Stanislaus Hosius, Diuus ad extremum Georgius, cuius patrocinio se præsularis hæc Parochia credidit, omnes Sacræ Regiæ Maiestati victoriam gratulati. Atque hæc ante meridiem. Pomeridianis horis dramaticum Smolenscanæ expugnationis simulachrum plaudenti populo editum. Sacræ supellectili addita vestis pro Sacerdote serica: libri cum fibulis & vmbilicis argenteis duo, aureis centum æstimati: imagines Martyrum nostrorum ducentis item triginta non minus comparatæ: amicorum munificentia in domum reliquam aureis mille probata est.

COLLEGIVM PVLTOVIENSE.

X. Anno superiore Collegio Vilnensi exusto, Philosophiáque huc translata maiore supra ordinarium numero nouem & triginta censi sunt Collegæ. Obiére duo P. Georgius Skarzinski Coadiutor formatus, qui penè ab adolescentiâ in Societate educatus in eâdem consenuit; operarius excellens, tolerantiæ & exempli egregij, maximéque in audiendis confessionibus studio singulari. Is cum ad infirmum à præside missus esset benè sanus, ex improuiso de repentino capitis dolore questus illud exanimi planè similis in sinum assidetis Socij reclinauit, & nullâ inter-

Digitized by Google

posita mora animam Deo reddidit. Hîc stupere infirmus ille, gemere, vicémq; Patris dolore prosequi, quòd nunquā opinato euentu, nullo tētatum morbo suos ante oculos extinctū conspiceret; cęteri eodē casū perturbati domestici accurrerunt quidē ad Patrem, & animo linquēte alienatū à sensibus illū existimantes quidquid ad iuuandū ipsum adhiberi poterat, magna cum charitate & solicitudine pręstiterūt; sed fruſtra mortuo sint fomēta. Ergo simul facturo confessionē infirmo alter Sacerdos est submissus, simul defuncti corpus à primarijs patribus, qui eò venerant, ad Collegiū est deportatum, magno ad hoc spectaculū concursu hominum excito. Sed & in Nostris animorū non exiguus cōcitatus est motus, cùm omnes in æquè bono opere parē sibi ex imo sensu optarent finem. Non multò pòst febri ardenti Patricius Abircrombeus Scotus, recens admodum (quinquennium tantùm in Societate exegerat) magna Religionis integritate ad emeritæ militiæ stipendia properauit: toto enim illo, quo in Societate vixerat, tēpore magna cum virtutis commendatione enituit, semper sibi similis suíq; contemptor egregius, tametsi præcellenti à natura ornatus esset ingenio. Et cùm in Philosophici curriculi studio paucæ ipsi supereſſent hebdomadæ, in ægritudinē incidit, cuius vehementia cōfectus, charus omnibus, probatus maioribus, Societati magno (vt spes erat) suo tēpore futurus pręsidio extremū vitæ diem confecit. Scholæ nongentos amplius numerāt auditores, atq; vt hi in literis, ita in virtutibus non segni æmula-

Digitized by Google

mulatione certant Sodales Parthenici: qui alios suo quoq; exemplo accendunt. Vnde die S. Casimiri supra mille quingenti epulo cœlesti sunt refecti: die porro B. Xauerij anniuersaria eadem mensa habuit conuiuas. Præcipuè tñ festa fuit B. Ignatij dies, cui deditissimi Parthenij multa vota vltrò faciũt, multa cum veneratione prosequũtur. Quidam Ignatij castimoniæq; studio inflãmatus procacẽ à se feminam pugnis abegit. Vsus illis cilicinæ vestis plùs quàm familiaris est, acri & frequenti animaduersione in se vtũtur. Quouis die, qui ad relaxandum à studijs animum illis datur, priusquàm ad campos se recipiant, vel publicas pauperum domos adeunt, non absq; stipis pensione, vel mendicos ex via Christianę doctrinæ præceptis semihoræ spacio informant. Bis solenni epulo excepêre eiusmodi Christi hospites: nec sumptus modò in eam rem contulerunt, verùm & cibis coquendis, mẽsis apparandis, obsequijs deniq; omnibus exhibendis sumã charitate voluptatéq; operã suam impenderunt. Cui liberalitati non dissimilis animorum in eis eluxit demissio: ter siquidem hoc anno pauperum abluerunt pedes, certatim deosculati sunt, feruorevtique commendabili. In supplicationibus principem semper habuêre locum & pietatem Parthenij: quibus tandem effectum exercitijs, vt cùm ad alias religiones non pauci abierint, tùm ad nostrum ordinem decem sint admissi.

XV. ILLVSTRISSIMVS porro Plocensis Episcopus beneuolẽtiæ suæ erga nostrum institutũ magna exhibuit argumẽta. Festo die D. Ignatij concioni

Digitized by Google

cioni vespertinisque precibus interfuit. Aliàs abundè è sua penuaria cella suppeditato victu, vnà nobiscum aliquoties in Collegio cibum sumpsit. Cursûs Philosophici, quem Vilnà exustà Puitouiam translatum supra retulimus, solemnem disputationem sua præsentia cohonestauit. Multorum nobilium accusationibus varijs, qui minùs in nos benè affecti euincere tentabant, ne nostro Ordini nobilium filios adlegere, nevè pagos & alia immobilia bona aggregare fas esset: Illustrissimus idem acriter sesè opposuit, querelas sopiuit, repressit conatus, multáq; in Societatis laudem præclarè locutus, animos sinistrè de nobis sentientium aduersariorum temperauit, atque adeò amicos nobis reddidit. Nuncius Apostolicus Franciscus Simonetta Fulginatensis Episcopus (qui postea Varsauiæ sanctissimè vita functus est) cùm præuerteret itinere Serenissimum & in transitu Pultouiam deflecteret, festiuo à iuuentute nostra dialogismo exceptus est. Tres item alij præcipui nominis viri eruditè salutati.

XII. CÆTERVM domi forísque vsu recepto insudatum strenuè operi est. Femina quædam affixa lecto per nocturnam quietem nescio quem videre visa est in Sacerdotis habitu venientem ad se, & imperantem, vt si pristinæ valetudini restitui cuperet, noxas omnes Dei vices gerenti Sacerdoti integrè exponeret. Idem planè accidit alteri, quem somno pressum interna extimulauit motio, vt virium recuperãdarum gratiâ emundandæ à peccatorum cœno conscientiæ su-

Digitized by Google

tiæ ſumendæque Euchariſtiæ ſeriam animo cogitationem ſuſciperet. Ab hæreſi liberati ſex: Collegio donati aurei centum nouendecim.

COLLEGIVM NIESVISIENSE ET POLOCENSE.

XIV. IGNORANTIÆ rerum diuinarum, quæ hîc in pagis circumiacentibus præquàm alibi vitam ruſticanam comitari ſolet, à Noſtris operis ſedulò obuiam itum: quibus in locis identidem Tertiani Noſtri præclarè ſe geſſerunt. Ducenti amplius piacularibus baptiſmi aquis abluti; iiq; magnam partem deuexa iam ætate homines, vel parentum tutorumvé incuria neglecti, vel Arrianorum perfidia impediti. Ad religionem orthodoxam ex hæreticorum latibulis emerſerunt totius vitæ præmiſſa exomologeſi viginti quinque. Ex ijs filia cuiuſdam viri nobilis clam parente ad noſtra ſacra tranſierat: id vbi ab eo cognitum, minaci primùm vultu territare puellæ animum, tum etiam apertè ad hæreticam prauitatem minis cogere; ſed illa vel prætentu morbi vel præfocationis (quam in vetito carnium eſu prudens ſimulabat) periculo tam importunas quà preces quà minas parentis exculit. Ex ijs, quos Ruthenum ſchiſma ab Romano capite abſciderat, Eccleſiæ de nouo aſſociati octoginta.

XV. QVI in nouis excurſionibus ad Noſtros conſcientias ſuas cõfeſſione expiarunt, ad quinque & amplius millia cenſentur. Ex his plures ſexcentis ſupra mille hoc primùm anno pœnitentiæ

tentiæ medicinam ad salutem vsurpare cœperunt. Causa moræ erat vel rudis & stupida ad diuina mysteria ætas, vel Curionum absentia, vel certè præstigiatoriæ mali Dæmonis artes, quibus nonnullos in deuexam illam & capularem ætatem molli & secura longioris vitæ spe protexerat: horum pluribus in ipso mortis pene confinio salubri isthoc pharmaco subuentum est. Quendam etsi Catholicum vitæ tamen minimè Catholicæ consuetudo iucauta eò vsque deduxerat, vt qui enormiter animum peccatis onerando in se immisericors extiterat, Deum quoque in delictis remittendis in se nequaqnam misericordem futurum impiè opinaretur, pœnitentiam vt rem futilem & inanem exspes omnino auersaretur, hæreticorum insuper deliria nonnulla nimium quantum delirè non tantùm proteruè defensaret. Cùm itaque in tantorum malorum vorticibus aliquādiu naufragus oberrasset, secunda tandem illa post naufragium tabula pœnitentia reperta in tranquillitatis portum enauigauit. Immanior alterius ruina simili medicamento prohibita. Hunc prolixa Dei exspectantis benignitas grauibus deditum flagitijs patientissimè tolerabat, & ad pœnas iram suam iustitiæque flagellum diu iam suspenderat. Sed frustra. Magicum ille incantatorem aut ex infernis spiritibus genium quempiam adsciscere, sibi præoptabat, suæ vel vitæ in posterum transigendæ rectorem, vel facinorum asylum. Verùm Diuinæ tandem miserationis attactu ducem sibi viæ Sacerdotē nostrum & malorum remedium confes-

Digitized by Google

confessionem reperit. Fuit alius, qui à primis adolescētiæ annis militariter potiùs quàm Christianè viuerè assueuerat: hinc (vt licentiosa militantium libertas est) plùs quàm militari ausu per vim alteri vxorem ereptam quinquennio suæ libidinis mancipium fecerat. Ergo è militia reuersum hominem lethale (casu nescio quo) vulnus prostrauit: vulnerarium familiares accersunt: sed & ille quàm maturrimè Sacerdotem nostrum, cui animi curanda offerret vulnera, acciri iubet: illi militiæ suæ vel nequitiæ veriùs rudimenta totiúsque ante actæ vitæ gesta sincera pœnitudine explicat, à confessione armis Christiani militis munitus piè sanctéque militare in posterum apud se constituit. Corporibus etiam hoc pœnitentiæ amuletum ad salutem fuit.

XVI. SOLEMNE erat apud agrestes quosdam sympofia statis temporibus celebrare, sed vana, & superstitionum plenissima. Seruabant in obscuriore cellæ frumentariæ angulo ollam humo plenam tribúsque in triangulo vallatam asserculis. Ad hanc tempore præstituto conuenire, rusticana decantare carmina, hilariùs sese ad potādum inuitare, ollam deniq; ipsam pane & cereuisia impletam tantùm non vt Numen geniculando venerari. Hoc obsequij genere Dugnos (ita ollarū id genus appellant) plurimùm deuinciri posse stolidè putabant, ipsorū tutela sarta tecta fore omnia. De his nefandis paganorū delirijs acriter pro cōcione actum, & graui superstitiosa isthæc rusticitas oratione reprehēsa; adeóq;

Nostro-

Digitized by Google

Nostrorum suasu quatuor supra viginti varijs in locis oilæ huiusmodi euersæ.

PORRÒ illud in abolenda hac superstitione ad memoriam euenit insigne. In rustica casa, quæ prima se huic expiationi obtulit, mulier quædam in Nostrorum conspectu omni repente exuta sensu horrendo ad terram casu affligitur, ore hianti, oculis immobiliter defixis. Subitò preces à Sacerdote nostro & circumstantibus ad Deum fusæ. Interea illa humi reptans dentibus frendere, manibus obturare aures, visum auertere, quaquauersum tremebundum iactare corpus (argumento erat molestissimas illi accidere preces) non longè denique pòst miserabili exitu animam exhalauit infelicem. Fatebantur domestici & vicini Dugnis illis singulariter ipsam fuisse addictam: & quamuis Sacerdotem confessionis gratia adire constituisset, aperire tamen eidem suum hoc vulnus noluisse. Plurimas alibi circa humanda corpora siue gentis rusticanæ & Poporum simplicitas, siue veriùs malorum Geniorum ludificatoriæ artes inuexerant vanissimas cùm obseruationes tùm somniorum expositiones. Sed quidquid hac in re superstitionem, quidquid errorem oleret, abolitum facilè inter rusticanum vulgus admodum tractabile. Erant alicubi feminæ duæ, quæ festorum dierum religionem manuarijs operibus violabant; sed mox diuina illarum temerarios ausus secuta est vltio. Altera enim earum, dum colo affixa petulantiùs nescio quid de festorum dierũ multitudine blateraret, è scabello repentè elisa ore,

Digitized by Google

ore, manibus, pedibúsque fœdum in modum diductis & varicatis non priùs quàm ad ædem S. Michaëlis in Suburbano Nieſuiſienſi agro celebrem votum nũcupâſſet, priſtinæ integritati reſtituta eſt; quamuis nonnulla in ore & manu temerariæ violationis argumenta hodiéque circũferat. Altera etiam, dum die feriato neſcio quid ſarciret, noxiáſque ex areolis in horto herbas euelleret; vbi neruos ſibi in manu ſtupere & contrahi perſentiſcit, D. Virgini ſuplex votum facit, & ſic apud miſericordiæ matrem ſtupore neruorum ſoluta ei ſanitatem acceptam refert. Hæc peregrè.

XVII. DOMI ÆDES pauperum ſtudioſorum, hoc demum anno nobilis cuiuſdam viri liberalitate abſolutæ ſunt. Mariani die Dominicæ cœnæ ſacro octogĩta mendicis conuiuium apparârunt, appoſuerũntque. Sed & ſuſpendioſis opera data. In ijs repertus, qui aliquot abhinc è templi noſtri arâ nocte concubiâ argenteam, inſigníque artificio elaboratam Chriſti pendentis effigiem (donũ id erat Illuſtriſs. Collegij huius auctoris) ſubduxerat; eámque in ſuos vſus ſacrilegè conflârat. Is pœnas tandem accreſcentibus delictis ex lege dedit. Noſtri pro cruce ademptâ eum ad crucem pro ſceleribus æquo animo ferẽdam quàm rectiſſimè præparabant; adeò quidem, vti Socium, qui in eodem ergaſtulo furcæ adiudicandus ſupplicium id violentâ ſibi manu præuenire parabat, à cogitato ſcelere reuocaret.

XVIII. IN Polocenſi iam Collegio duæ So-

Digitized by Google

dalitates Noſtrorum cõſilijs & arbitrio adminiſtratæ, vna ſtudioſorũ Annunciatæ, altera Ciuiũ Aſſumptæ Virgini conſecrata, quantum per militum moleſtiſſimas infeſtationes licuit, ſolitis pietatis officijs nihilominus vacârunt. Debacchantium hîc Kozacorum (genus eſt velitũ vitæ admodũ diſſolutæ) ea fuit inſolentia, vt quidam ex his per ſe ſatis ad audendũ proiectus, tum verò etiam temulentiâ & ſchiſmatico ſpiritu audẽtior factus, ſub ipſis ſacris myſterijs in ædem noſtram ſacram eques irruperit. Attoniti primùm ſtabãt homines, quò ſe verterẽt ignari; tum quà via data in effuſiſſimã fugam proruũt. Neq; tamen vltrà impiobitati hominis progredi datum: pœnas quidẽ tunc auguſtiſſimi illius ſacrificij profanati luit, quantaſcunq; ſeueriores aliquando daturus DEO ſcelerum quò tardiori eò grauiori vindici. Neq; mirum tam proiectã inuentam in ſchiſmaticâ ciuitate audaciam, applaudẽtibus etiam fidei Deíque inimicis. Compertum eſt, in popinâ, vbi velites hi frequentes helluatores aſſederant, ciuium quẽpiam quà precibus quà *promiſſis* audacem extimulâſſe: *Nunc nunc*, inquit, *ſi quando opportuna data occaſio fratrum noſtrorũ* (ſchiſmaticos intelligebat Vilnenſes, quibus templa violenter vſurpata edicto regio erepta fuerant) *vlciſcendi iniuriam*. Et gliſcebat iam fama certã manum audaciâ effrenatam, nequitiâ perditam inſultum meditari in Collegiũ templúmq; noſtrũ: ſed infatuatum nutu diuino conſilium Achitophel, neq; quidquam vltra minas additũ eſt. Occaſio certè exercẽdæ patientiæ non incommoda oblata,

oblata, manipulósq; non paucos ex hac semente cum gaudio aliquando colligēdi spes præcepta. Missus ex domesticis vnus ad Præfectum militū, minas spirantē infestóq; nobis animo, ita blanda oratione animū eius efferatum exarmauit, vt defæcata demū mente & iam totus imutatus sponte ad Collegiū veniēs peramicè cùm eo, qui præest, egerit. Sed & alibi pauperes coloni alteri⁹ ex Nostris ope à militū iniurijs vindicati sunt, cùm ex magnâ parte, quę violenter rapuerant, redderent, spe in alijs (quas vocant stationibus) damni resarciēdi. Atq; hinc animadertere licet, ad animandos domi foriſq; Catholicos Nostris animi fortasse fuisse satis, non itē facultatis; cùm p̄sertim totis hîc vsq; adeo tumultuatū sit agris Marte nusquā non furente. Confessione varijs tēporibus expiati mille ferè & sexcenti: hæresin Nostrorū suasu detestati nouem: schisma quinq;: simultates rixosas vndecim. Nec nulla in militib⁹ ꝑdidit se pietas. Seruat affectū in Deiparā eiúsq; Sodalitiū centurio quidā in ipsis bellorū tumultib⁹, ideóq; tabulas subinde pictas aut alia Christiani ritûs instrumēta Xeniorū loco transmittit: nuper decē aureos adiecit. Quin à Centuriâ vnâ quinquaginta oblati ad subleuādam studiosorū mendicato victitantiū inopiam: alia ab alijs. In illa velitum, de qua supra diximus, inundatione miserabili (tria enim millia eorum numerata, præter eos, qui in vicinijs vagabantur) virginum quarundam in lubrico versantium pudicitiæ cum magno licet labore prouisum. Instituta missio in vrbem Vitepscensem schisma-

Digitized by Google

ticam sub finem quadragesimæ, eo fructu exterorum, eâ Nostrorum industriâ, vt passim Nobilium audirentur voces, stabilem eo loci sedem Nostris optandam. Abituris inde nauigium, quamuis schismaticus loci inquilinus concessit.

COLLEGIVM RIGENSE, DERPATENSE.

XIX. RIGENSE DOMICILIVM vnum è Magistris ad cœlestem lauream capessendam emisit. Erat is Iacobus Mlocki; qui cùm vix octennium in Societate exegisset, ita omnes penè numeros religiosę perfectionis assecutus est, vt temperatis quà externis quà internis animi motibus in illa quidem diuturnioris morbi cõflictatione vllum impatientiæ signum non ostenderit. Cùm integris adhuc esset viribus, familiare & amicum admodum ipsi fuit sacræ lectionis studium; ita ne in infirmitate quidem illud deseruit, infirmorúmque præfectum prælegentem, licet molestissimis puncturis afflictatus, audiebat attẽtissimè. Alijs porrò in virtutibus ita excellebat, vt angelum inter homines agere crederes. Patrui militaris hominis animum efferatum, & tum maximè seueriore Iudicis sentẽtiâ irritatum, ad tranquillitatem reductum, vt confessione sacrâ iam pridem inueterata scelera expiaret, etiam tum dum morbo premeretur, impulit. Precibus sedulus insistebat tùm aliàs, tùm maximè sacro Christi corpore refectus, horam solidam gratiarum actioni impendens. B. Virginem præcipuâ quâ-

quâdam veneratione prosequebatur, officium & Rosarium ei in dies velut ordinarium pensum persoluens. Ipsa sanè benignissima patrona solatio suo ipsum dignata extremum etiam mortis diem ei apertè prædixit. Nam decem circiter diebus ante obitum (erat is Virgini purificatę sacer) cùm Sacerdos quidam è Nostris re diuina peracta è templo rediens ad ægrum reuiseret, sciscitatus hic, num & in templo B. Virgo adfuisset: affirmante Patre subiungit Iacobus: *Reuera & hîc mecum, duabus aliis comitata Virginibus, fulgenti admodum forma & decore fuit, significans me breui hinc ad cœlestium societatem migraturum, modicum interim adhuc ferendum.* Sed & biduo ante obitum nocte intempestâ, cùm excitatum, qui aderat, Fratrem rogaret, candelam accenderet; atque ille in opere iam esset: *Omitte*, ait, *Frater mi*; & subiungit: *Magnos hîc habuimus hospites, exhilarante me præsentiâ suâ Beatissimâ Virgine; & iam mihi abeundum erat, nisi dilatio exigui temporis fuisset concessa; te quidem vt Socium itineris haberem rogaui, sed responsum, laborandum tibi in annum vsq; trigesimum, quo anno circa hasce Beatiss. Virginis festas me sequere.* Frater gaudio simul metúque perculsus dum se proripit, monetur à Iacobo, cautè ageret, quòd currus B. Virginis, quo animas in cœlum auehere soleat, in medio consisteret. Postridie Socius rogat, num nocte dictorum gestorumvé meminisset; cui ille: *Optimè; pacatum quidam animum habui, sed non dormiui, si libet crede, paratus interim sis moneo, in tempus designatum.*

Digitized by Google

PORRÒ in ipso agone circumfusis fratribus & animam Deo cõmendantibus oculos in crucem & digitum in B. Virginẽ simul, quæ eius animam abductura erat, intendens exspirauit. Ita Iacobum obtinuisse credimus, quod alij laboribus multis parandum sibi adhuc existimant.

XX. PRÆCIPITES in hæreseos gurgitem relapsi viginti extra periculum collocati: valetudinarium hæreticorum abiectis Lutheri exuuijs reliquêre centum; duo Caluinianum, totidẽ schismaticum excusêre sibiũ. Pabulo cœlesti refecta quatuor millia sexcenti ampliùs. Æternæ salutis fonte abluti quadringenti sex. In his puella trimula, quam cùm alij certò certiùs sacro rore tinctam affirmarent, pater, vt amicis imponeret, contrà pertinacissimè negaret, Sacerdos noster casu ad eam ex itinere deflectens, matre annuente, ablutionis Sacramento initiauit. Quod pater vbi domũ reuersus subodoratus est, homo peruersis opinionibus corruptus & penè Atheus indignè tulit; non impunè: cultrò. n. paulò pòst à nobili transfixus ad impugnatæ pietatis vindicẽ æquissimũ euocatus est. Vinculo matrimonij sociati centum viginti: integrati fauores illatarum iniuriarum memoriam exclusêre octodecim: E cœno adulterino extracti sedecim: octo è fornicario. Quidam hortatu Sacerdotis nostri vlceroſæ conscientiæ hiulca vulnera sese ipso die anniuersario Dñi reuiuiscentis detecturum promiserat, sed crapulæ demũ immersus moniti simul & promissi immemor alia omnia agit. At enim Nemesis ipsum è vestigio insequitur, pedes illos in-

vitia-

Digitized by Google

vitia pronos, ad pia opera tardos, tãtus illicò apprehendit dolor, vt lecto affixus hęreret immobilis donec tandẽ nouem mensium spacio decurso ab eodẽ Sacerdote, qui illi salutaris promissi auctor fuerat, simul & sacra mysteria perciperet & sanitati restitueretur. Durũ alterius pectus grauiore etiã & periculosiore supplicio emolliuit diuina vis. Fuit is nobilis candidatus de nidoribus Lutheri, non doctus admodũ, sed fidus tñ assecla & pertinax: crebris interim ille tum precibus tum minis diei illius voluentium seculorum extremi, eò ab vno è Nostris deductus fuerat, vt expurgatis confessionis Sacramento animæ maculis cœlestes deinde adire epulas statueret. Et en ipso tempore, quo templũ ingreditur proposito satisfacturus, horrore nescio quo perfusus inde se subitò iterum proripit. Pone & hîc vltio diuina fugientem insectatur; námq; febris in medio adhuc viæ curriculo ita validè eum inuadit, vt toto quinquennio hominẽ non dimitteret. Et primis quidẽ annis adeo nihil malleus febrilis adamantem mitigauit, vt obstinatior primùm quidem morbũ sibi impedimento esse causaretur, deinde apertè vel exomologesin vel Synaxin sacrã non reijceret solùm, sed etiã verbis sacrilegis proscinderet. Sed nimirũ in cœlum dum exspuit, caput ipse suum illuuie sordidandũ propinat. Hic sanè Cerbereum illum rictũ in sancta vix excusserat, cùm tãtam subitò vim sanguinis ex imis visceribus profudit, vt præsentes non minùs stupor, quàm horror inuaderet. Aliàs item cùm post aliquot mensium interuallũ à Sacerdote nostro

Digitized by Google

visitatus, vt vitæ sordes confessione elueret, moneretur, contráque ille nulla se adeo enormia peccata patrâsse, quæ pœnitentiæ Sacramento indigerent, palàm prædicaret, inspectante Nostro tantum iterum sanguinis effecit, quantum quinq; canthari vix caperent; cùm tamen multis hebdomadis vix aliquid cibi delibâsset. Respexit tandem nõnihil licet obstinatum diuina clementia: itaque cùm morti proximo Sacerdos vindictã eam Numinis propter blasphemæ linguæ abominandum crimen immissam exaggeraret vehementiùs, sensim resipiscere ille, pectus tundere, saluti seriò prospicere, crimina exponere; postero die cœleste epulũ accepturus. Sed enim participem voti fieri non licuit; paulò pòst namq; cùm vixdum Sacerdos abijsset, cum sanguinis continuato profluuio vitam simul & animam effudit.

XXI. SACRIS porro Ecclesiæ precibus nonnulli & à veneficorum deliris machinationibus, & à molesta ægritudinis diuexatione vendicati. Eodem precum genere auxilium allatum puellæ præstigijs ita dementatæ, vt sui oblita cibi potúsque nihil appetens dies noctésque per siluas vagabunda erraret. Alia quædam ab vsu diuinationum atque maleficiorum sacrę pœnitẽtiæ adminiculo absterrita est, edoctáque salubriora consilia.

Cæterum diuinatores, quorum opera vsa fuerat, hanc stultam in diuinando tenuêre formam. Cantharum cereuisiã repletum inspectabant, cultrum certa forma iaciebant, eo fine, vt quis-

nam

nam furti reus, quæve spes creditori de recipiendo à debitore debito esset, agnosceretur. Inter cæteros autem, qui desertis hæreticorum castris ad Catholicorum partes transierunt, præcipui fuerunt tres Nobiles, ex quorum reditu non leue Ecclesiæ augmentum in his partibus accessisse videtur. Orthodoxam namque fidem amplexi faustâ vicinorum gratulatione diuina frequentantes, fores simul clientibus suis ad Ecclesiæ arcem, in qua tuti ab incursibus hostium seruarentur, recluserunt. Simili incitamento parens quidam fuit filio; qui filius cùm damnatam à Patre sentiret hæresin, tum ipse virus cum lacte materno haustum eiecit subitò, tum Sacerdoti nostro morem gerens omnibus ditioni suæ subiectis ab Ecclesia olim profugis redeundi facultatem dedit. Sexagenarius quidam per septennium in perceptione sacratissimæ Eucharistiæ aduri quodammodo sentiebat linguam; Sacerdoti cùm occultissimas conscientiæ latebras aperuisset, ea molestia liberatus est. Nobilis prosapiæ quidam patrata cœde fuga saluti suæ consulere meditabatur: qui dum immanitatem sceleris execratus voti religione se obstringit, signo dato publico ab vniuersa ciuitate in vincula quæritur: conspicitur pluribus neque apprehenditur, vel metu consternatis omnibus, vel miseratione tactis. Exemptus itaque periculo ad nostras contendit ædes, pœnitentiæque lacrymis scelera abluens amicis interempti fecit satis.

Cæterum religionis exercitium adhuc omnibus impeditum machinamentis aliquantulum

Digitized by Google

tandem libertatem hoc anno respexit. Catholicus enim ciuis (vnica pene rosa inter hæc vepreta) hoc demum tempore præter morem Sacerdotem nostrum accersiuit, vt domi suæ infantulum sacro baptismatis fonte ablueret; & fremere quidem Lutheri discipuli cœpere, sed contra religionis exercendæ libertatem nil vltrà tentare sunt ausi.

XXII. SVNT & à bello, quòd hîc adhuc durat, & à militibus nonnulli fructus relati. Quingenti milites Hyberni ob fidem Catholicam à patrio solo exulare iussi, cùm tentâssent in Moschouia æstuariam Martis aleam, in Liuonicas demum oras delapsi Rigam laceri & nudi penè deuenerant; vbi cùm maior eorum pars militiæ nomen dedisset, cæteri eorum se mari in Hispânias abituri commisêrût; ex quibus non pauciores centum per interpretem sarcinâ peccatorum depositâ animam cœlesti cibo in sacris ædibus, at corpus humano intra septa Collegij corroborârût. Domesticus alius miles Iudicis iniquitatem causatus talionem reddere cogitabat, iámque in fines ipsius irrumpere parabat, iusto in eam rem conflato exercitu; sed cùm ad interni iudicij forum ventum esset, efferus eius animus ad mutandam sententiam flexus est. Non dissimili exitu in simili pene negotio sica è manibus alteri extorta. Hic enim cùm integro anno perdius ac pernox in ea cogitatione esset, quanam ratione in domum inimici irrueret, ipsúmque è medio tandem tolleret, consilio in melius mutato resipuit.

Iuue-

Iuuenis obstinato ad pietatem animo visione primùm horribili, pueri fumum post se trahētis, deinde fistulæ disruptæ ictu, quam contra spectrum lapidibus aliàs sæpiùs impetitus exonerauerat, cōsternatus, eò celerius de pœnitentiæ sacramēto cogitationem suscepit, quòd aliud maius etiam his periculum ipsum acrius torqueret. Arte enim malefica & carmine ita quispiam vires hominis attriuerat, (in Moschouiâ tunc stipēdia merebat) vt findi toto corpore videretur, proindéque inutilis bello iaceret, sibi ipsi iam onerosus. Interuenit tandem in eâ inualetudine corporis remedium præsentissimum ab animo. Voto.n.nūcupato inuisendæ B. Virginis Czestouiensis, postridie ita viribus firmatus est, equū vt conscendere, gladium vibrare, hastam contra hostiles impetus intorquere potuerit firmissimè.

XXIII. ILLA quoque non leuia ad incrementum Ecclesiæ afflictis in his partibus momenta. Nostris quippe auctoribus synodus Clericorum in Collegij templo per Reuerendissimum Pontificem Vendensem coacta est, præsente Visitatore Apostolico. Hic spectatis cōtrouersijs, odijs, atque offensionibus nō leuibus, duos è Nostris Sacerdotibus sibi vt cōsilij Socios adiunxit. Synodum orationes duæ latino idiomate à Nostris ad Clerum vniuersum habitæ clausērunt. Exercitationibus pijs Canonicorū vnus in Collegio excultus; alter Clericus antequā sacerdotio inauguraretur. Adolescens vetitorū ciborū abstinentiā segniùs colere assuetus, equo stagnū glaciatum trāsiēs rupta glacie & equo mersō, ipse è periculo

diuinâ

diuina adiuuante clementia ereptus strictiore in posterum inedia sese corpúsq; sextis ferijs affligere decreuit. Matrona nobilis, voto Catholica, in graui infirmitate iam deposita desperatáque à medicis, cùm imaginem quampiam à nostro Sacerdote dari sibi postularet, ísque B. Borromæi effigiem offerret, intuẽs ipsam studiosiùs primùm sensim sese reuiuiscere animaduertit, pòst paulò cum incredibili sua suorúmque lætitia sanitatem integram recepit. Altera honesta item femina in morbo somno oppressa videre sibi visa fuerat speciosas admodùm tres matronas, è quarum conspectu admirabili hausta voluptate audit eam inualetudinem extra mortis periculum esse positam. Experrecta cùm morbi vim persentiscceret remisisse, voto illicò se obstringit, primo quoque tempore, quo per vires sacras ædes ingredi liceret, cœlesti sese pane refecturam; quod cum ingenti solatio non multò post executa filiolam ab hæreticorum scholis retraxit.

Curlanda nobilitate generis illustris medico vsa Catholico animum ad fidem Catholicam adiungere cœperat; cùm interim à matre præpedita Sacramentis sese firmare non posset, ope saltem B. Virginis implorata muniuit, voto addito se viribus recuperatis tẽplum Collegij adituram: sed morbo ingraueſcente cùm in extremo iam agone positæ Sacerdoti Catholico nihilo secius accessus ad eam, matre obstante, præclusus esset, in antiqua tamen fide Christo seruatori suo dulcissimo se spiritum traditurum profes-

Digitized by Google

fessa est. Lepidum est hoc. Ex militibus vnus, cùm ob homicidium patratum in vinculis detineretur, mortis sententia contra ipsum pronunciata auitæ religionis Sacerdotem accersiri ad se aliquoties petierat, importunóque tandem petitori sistitur à Lutheri pulpito comptus Minister, qui renuentem suo aggressus communire viatico subitò illud ipsum inter manus perdit, perditum quærit, angulos lustrat, sed nihil inueniens abit, ipso capulo iam proximè inter manus apparitorum relicto.

XXIV. DERPATENSES NOSTRI (vt quidem sunt tempora atq; homines) magnum satis fructum domi foríque collegerunt. De tota vita auditi confitentes duodequinquaginta: sacra frequentarunt amplius mille septingenti: ab hæresi absoluti tredecim; in his vnus, cùm iam antè sumptum scutum fidei impiè abiecisset, fassus est nihil omnino toto eo tempore, quo profugus in fugæ eius infamia perstiterat, ex animi sententia sibi euenisse, neque dubitare se fontem & fomitem omnis suæ infelicitatis præteritæ vni hæresi adscribendam; cùm præsertim ea abiurata, prosperè ea omnia fluant, & eueniant. Schismatici etiam ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam venére quinque. Scholæ hoc primùm anno restitutæ tenui admodùm initio: viginti omnino numerantur pueri, præsidiariorum militum filij: Ciues enim quò minùs suos Nostris instituendos tradant filios, Ministri seuera prohibitione deterrent. Reliquorum vel Esthonum vel Polo-

Digitized by Google

Polonorum in tantis temporum angustijs experimur beneuolentiam opibus maiorem.

SEDES ORSENSIS CVM EXPEDITIONIBVS CROZENSI ET MOSCHOVITICA.

XXV. CATHOLICI ORSÆ sunt non pauci quidem, sed maiorem partem contagio Ruthenorum schismaticorum mirū quàm & fide & moribus degeneres: ij tamen nunc sensim diuina aspirante clementia ad Ecclesiæ potestatem religionémque se recipiunt. Quæruntur passim ostiatim, vicatim; & instituti rebus diuinis mirari plurimùm solent nouitatem rei adhuc non visæ: tum audientes dictorum sunt: quod doceantur, gratias agunt: promittunt, templum sese Catholicum frequentaturos: quippe summa ea visa est animorum inuitatio, vt spes sit non infirma, magnum successu temporis rectè credentium numerum hoc loci futurum. Hæretici hoc anno duo, schismatici quatuor reducti. Pars autem Ecclesiæ sanior, ij nimirum, apud quos viget adhuc nonnihil auitus ille à maioribus acceptus Religionis feruor, multùm sibi gratulantur, Deúmque largitorem bonorum omnium laudare non desinunt, vt qui Nostros in eam partem pro eorum solatio & Catholicæ rei incremento submiserit; frendentibus quamuis hæreticis non priuatim modò, sed & publicè: nimirum dolet infernus hostis, prædam sibi imminui.

Hinc

Digitized by Google

Hinc die assumptæ in cœlum Dei genitrici sacro, cùm hîc conuentus nobiliũ haberentur, per emissarios suos nequicquã maximorum (si superis placet) criminũ Nostros reos fecit: quòd violemus leges, vt in iura Reip. peccem⁹ vsuras prohibendo, pœnitentésq; ab illis abducendo. Sed cum Popis nobis bellum præcipuum, vt quorum errores crassissimi lacrymis potiùs deplorandi, quàm rationibus confutandi videantur. Cũ hæreticis ignem purgantē negant, solo contenti inferno: Diuos cœlo excludunt, cùm tñ in sepulchris defunctorũ liturgias adhibeant, & p ijs, qui apud inferos detinentur, Deo supplicari velint: plerique Tartarum quoq; ipsum terris eximunt, quòd debellatũ victúmq; à Christo dicant, neq; pati quemq; præter Dæmones arbitrentur. Iam verò de formis Sacramentorum interrogati ita turpiter hallucinantur, vt cuiuis facilè tùm admirationem tùm commiserationem moueant: dum.n. vrgentur, quibus tandem verbis vinculis peccatorum pœnitẽs exoluatur, cùm simplicem illi & informem precationem formæ loco pronuncient; tunc pœnitẽtibus peccata remitti affirmant, cùm pœnitẽtiæ operibus à Sacerdote iniũctis institerint. De hoc iterum gradu rationum momentis deturbati, nouo diuerticulo eo tempore sarcinam peccatorum deponi aiunt, quo horror peccatorum confitenti per doctrinam Popi incutitur. Data interim vni eorum à Nostris forma est, quâ Græci conciliati vtantur in absolutione Protopopi, descriptámq; ille suam, quâ hîc schismatici communiter vtuntur, vicissim

cissim Nostris transmisit, rudem admodum, & cui nihil minùs quàm forma ineſſet. Et in hac tamen tanta inſcitia craſsáque barbarie gloriantur miſeri de ampliſſima poteſtate, quam habeãt etiam in mortuos, quos abſoluere queant, ſi olim eis in vita crimina detexerint; præterquam quòd aliarum quarumcunque enodationẽ quæſtionum iure neſcio quo ſibi aſcribant. Illud verò quantum vel enormis ſtuporis, vel emotæ mentis indicium? Conuictus vnus rectè facere Latinos, quòd ſub vnà ſpecie populum cõmunicent, cùm & Græci minimùm infirmis Euchariſtiam ſub vna ſpecie porrigant: aſſenſit ille; ſed: *Nos*, inquit, *ſub vna ſpecie damus corpus B. Virginis, ſub duabus verò Chriſti Domini.* Alij infantibus in agone poſitis apponunt ori ſigillum communionis loco, cuius accipiendæ necdum capaces ſunt.

XXVI. ITAQVE nec cœci iſti deſerti, nec rudes alij aut Xenodochia neglecta à Noſtris. Cùm per plateas ciuitatis publicas SS. Euchariſtiæ Sacramentum ad ægros deferretur, fiebat non rarò, vt honori eius per ſummum ſcelus detraheretur, tùm à Iudæis ſine vlla reuerentiæ ſignificatione tranſeuntibus, aut tergum inter affabulationes obuertentibus, tùm nouiſſimè etiam, ab hæretico per ſummam audaciam effrenatámque licentiam, quà ſaltando quà ridendo, quàm nihili tremendum illud Sacramentum faceret, oſtentante. Vocatus ad Iudicem eiuſdem farinæ hominem, ab eo defenſus primùm & excuſatus eſt; ſcilicet *Canis caninam non eſt*, vt ait ille; & ve-

Digitized by Google

& verò Sacerdos minùs humaniter eo tempore habitus est: sed euicit accusantis facultas & constantia, eóque tandem perducta res, vt & Iudex cesserit, & contemptor ille sacrorum scelus inficiari coactus fuerit. Iámque Iudæi mitiores facti, aut caput aperiunt transeunte Sacerdote, aut eo viso ex loco, per quem transiturus est, ocyus dilabuntur. Inducta pia consuetudo huic loco antehac incognita, die publico omniũ luctu ob atrocissimam Seruatoris nostri necẽ nefasto in proprium corpus funiculis animaduertendi; qua in re tantus multorum, nobiliũ præsertim, feruor eluxit, vt cùm honori sibi ducerent, eo pietatis exercitio exemplo esse reliquis, vnius diei sextæ flagellatione minimè contenti, Sabbatum sequentem continuato operi adiungerent.

XXVII. NOBILIS cuiusdam filiola graui adeo morbo vexabatur, vt deposita iam salus eius videretur. Afflictus itaque parens ad Dei vnius opem confugiens vouet, si vis morbi remittat, filiam die Purificatæ Virgini sacro deductam in templum nostrum cereum consecratũ voti exoluendi causâ oblaturam. Cum voto vires sensim redeunt, restitutáque in statum valetudinis integerrimum die dicto læta cum parente Virgini Matri donarium attulit. Miles quispiam perditis & ad omne facinus emancipatis Socijs adhæserat; sed meliore vsus consilio, vt famæ simul salutíque suæ consuleret, initam eam Societatẽ rescidit, & ad honestiorem vitæ conditionem se transtulit. Insignis vti huius in deserendo per-

Digitized by Google

uersorum cõsortio, ita alterius pueri etiamnum in fide semel susceptа constantia fuit. Est hic hæretico opulento & in primis nobili publicisque honoribus aucto patre natus, vtiq; stirpe sua melior surculus; à quo cùm identidem Pater, vt à fide Catholica recederet, precibus, promissis, minis, ad euincendum fortitudine obfirmatum pectus admotis vrgeret; ita nihil profecit, vt victum sese à puero, pudore simul & indignatione consternatus ingemiscere. Interim cùm illas etiam minas, quibus exhæredem se facturum filium ingeminauerat pater, tanquam de pelui fulgura puer contemneret, malè flagris acceptus velut incus ad iteratos perdurauit malleos, constantia sua patris iniustum dolorem omnino contemnens, vt spes sit, eam nouellam plantulam actis firmioribus radicibus contra omnes tempestatum procellas posthac etiam perduraturam.

XXVIII. EXORTVM IN VICINA ciuitate incendium fuerat periculosum: & fortè fortuna Noster aliquis aderat; qui dum agnum DEI insæuientes flammas inijcit, breui restincto æstu malum vniuersum sublatum est. Serenissimus Rex Poloniæ expugnata Smolensensi arce redux ex bello Moschouitico per Orsam, in templo nostro, licet necdum perfecto, sacrum & concionem audire voluit; vbi & Hymnus TE DEVM LAVDAMVS pro felici Sereniss. ad nos reditu cantatus est. Etsi verò regiones hæ diuturnitate bellorum non mediocriter attritæ sint, eunte redeunteque hac præcipuè ad bellũ Moschoui-

schouiticum exercitu, magna tamen in nos Catholicorum extitit liberalitas; inopiam nostram subleuantium, templique decorem pro viribus adiuuantium. Auctus est ornatus eius veste sacra admodùm pretiosa quadruplici, pro altari antepagmentis tribus, thuribulo argenteo, calice, lampade aliisque quibusdam.

XXIX. IAM A CROZENSIBVS Patribus confessione prima expiati trecenti quinquaginta tres; plures consueta. Diuini duo, cùm futurorum sese præscios iactarent, atque ex alea quadam de ligno fabrefacta prosperos aut aduersos æstuantis fortunæ euentus coniectarent, præstigijs his vt supersederent moniti, errores, quibus multos infatuabant, reuocarunt. Sacerdote autem nostro pro suggestu in hoc vitij genus acriùs inuecto, alter horum in magna populi corona sub concione proclamat publicè, vitia illa, de quibus castigarentur, nulla inter ipsos reperiri amplius. Quatuor grandæui baptismatis fonte tincti sunt. Adducta est ad Nostros puella nouēnis: hanc cùm infantem patrinus lustrali abluendam aqua ad templum deportaret, clausis templi valuis repertis, quid ageret dubius ædem circuit, atque hoc ad baptismum sufficere ratus velut baptizatam filiam matri reddidit. Hic tandem casu Nostris ibi præsentibus religione tactus matri significat, filiam baptismo lustratam non esse; itaque ad nostros adducta, Catechesi informata fonte sacro abluta est. Infantes complures ab hæreticis Ministris tincti sacro deinde Chrismate

Digitized by Google

per Nostros inuncti sunt. Apud hæreticos contracta matrimonia confirmata quinque : clàm inita triginta quinque validiùs nexa. Simpliciores nonnulli cùm à multis iam annis salutari cõfessione animos expiarent, sacram tamen Synaxin adire non audebãt, indignos sese tanto mysterio percipiendo arbitrati : hi à Nostro moniti sunt, sacra vti frequentarẽt : difficiles admodum præstitêre se initio, sed cùm error eorum manifestis cõfutaretur rationibus, necessitate Sacramenti eius cognita facilè demum assenserunt. Neque in Catholicis tantùm emendandis reuocandísque hæreticis opera posita, sed in Paganis etiam, quorum hìc magna adhuc copia, ad veritatis lucem traducendis. Et verò multi idololatricorum portentorum artifices vi veritatis subacti manus vero Deo dederunt. Varios hi Deastros antiquæ vanitatis monstra redolentes colebãt; Zemopati, terrestrem diceres, Plutonem, si te ad antiquos referas; Andeiui Neptunum, Bieaukuri frugum custodem, Pagirni Cererem, Vspeleni lares Vestamvé, aliósque similes. Sunt qui lucos incæduos & nemora Numinis instar venerantur, nefásque ducunt, virgultum vel minimum illic infringere. Quin si quid damni in pecore, frumento, sanitate corporis aliavé quapiam referant, pœnas violati nemoris pendere, sese existimant; eos autem, qui manus incidendę siluæ extenderint, neruorum contractione puniendos certo certius sibi persuadent. Alij interim viri fœminæq; maiorum amicorumvé manibus nefariè parentabant, & quotannis sæpiùs;

præci-

Digitized by Google

præcipuis maximè solemnitatibus Paschatis, Natiuitatis Domini, Sanctorum etiam omnium dapes ipsis instaurabant. Nunc errorem dedocti in alia omnia morem eum conuertunt, Missæ sacrificium offerri curant, eleemosynas pauperibus elargiuntur, alia pietatis opera præstant. Multi coloni planè barbari iugo hæreticorum iniquo pressi nec templa adire, nec de diuinis rebus quidquam audire adhuc poterant; certiores tandem facti, vbi Sacerdotes nostri versarentur, magno numero, itinere incōmodissimo à quinque benè longis milliaribus confessione sacrâ crimina eluturi accurrerunt; supplicitérque, quæ ad salutem animarum necessaria essent, vt edocerentur, petierunt.

XXX. IN MOSCHOVITICA denique expeditione quatuor Nostri, qui partim in castris, partim Smolenski versati sunt, hæc ferè memoratu digna gesserunt. Confessiones audierunt mille sexcentas tredecim: totius vitæ quinquaginta duas: schismaticos quadraginta quatuor, hæreticos vndetriginta in viam veritatis reuocârunt. Plures alij quidquid alienę opinionis, aut parū amicæ volūtatis aduersus sese susceperāt auctoribus Nostris lubentes deposuére. Quidam non postremæ inter suos notæ præstigijs veneficorū ita fascinatus fuerat, vt de gradu quasi mētis deiectus, & conspectum deuitaret hominū, & corpori alimoniam omnem negaret: adeóq; deposita vulgò eius videbatur salus. Persuasus tandē à Nostro simul conscientiæ suæ penitiores detexit latebras, simul sibi postliminio redditus est.

Sed & alij multi è Socijs famulíſque in caſtris degentibus cùm calidiſſimâ febri torrerentur, expiatis per ſalutarem confeſſionem animæ maculis, & ſacratiſſimo Chriſti corpore ſumpto vt plurimùm die tertio vires priſtinas recuperàrũt; neq; ipſi eam ſanitatem alteri, quàm Sacramentorum remedio acceptam retulerunt: quin hæreticus in eodem morbo tùm Eccleſiæ tùm ſanitati per ſalutare hoc antidotum reſtitutus, id ipſum publicè teſtificatus eſt: quo factum, vt ſalutare id remedium plurimi eo appeterẽt auidiùs, quo effectus eius in pluribus alijs cognouerant admirabiliores. Non minor tamen pietatis cura in ijs, qui valetudine firma vtebantur, eluxit. Itaque frequentes diebus maximè Deiparæ Virgini dicatis, arâ ſub tentorio pro loci commoditate erectâ, religioni ſedulò admodum vacabãt; diurnis non rarò precibus inſtitutis. Baptizati infantes quadraginta duo; matrimoniáque vel facta vel emendata decem. Exercuit verò inſigniter & Noſtrorũ & militum patientiam Deus, cùm aliàs, tùm maximè in annonæ commeatúſque penuria, ita vt obuio quouis & vulgò etiam inſueto cibo non ſine horrore audientium famem leuare coacti ſint.

PRO-

Digitized by Google

PROVINCIA ARAGONIA.

Sunt in quatuordecim Aragoniæ domibus Noſtri quatuor ſupra quadringentos. Morte ibidem amiſimus ſex; quatuordecim ad Societatem admiſimus.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Valentiæ in domo Profeſsâ	XL.	XXII.			XIII.
Valentiæ in Collegio	LXIII.	XIII.		XXXIII.	XVII.
In Collegio Gandienſi	XXX.	X.			
Cæſarauguſtano	XL.	XVIII.	IV.		XVIII.
Bilbilitano					

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Precept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Turiaſonenſi	XIII.				
Hoſſenſi	VII.	IV.			III.
Barcinonenſi	XXXVI.	XV.		X.	XI.
Gerundenſi	XXVIII.				
Vrgelenſi	XX.				
Ilerdenſi	XIII.				
Balearenſi	XXXVII.	XVI.		XII.	IX.
In ſede Perpinianenſi	XIII.	VII.			VI.
In domo Probati. Tarraconenſi	XLVI.				

Digitized by Google

Inimicitias grauiores Noſtris agentibus poſuerunt decem.

Impudicos mores exuerunt viginti quinque.

In cædem propriam alienamvé ruentes pedem retraxerunt decem.

B. Ignatij noſtri ope conualuêre morbidi ſeptendecim.

Digitized by Google

VALENTINA PROFESSORVM DOMVS ET Collegium ibidem.

I.

MAGNI IBIVNII tempore treo è domo ad populum fecére verba: ad paganos duo, tertius ad ciues in vrbis templo ex præcipuis vno: festis diebus toto anno antemeridianæ coactæ conciones; pomeridianæ habitæ cohortationes; vulgus rude in foro edoctum: nec sacris initiati nostrorum desiderárunt operam; multò minus ij, qui nostra in æde de genere Nobilium & Opificum Parthenium cœtum conficiunt. Bacchi celebritas quadraginta horarum precibus multùm imminuta: præsertim, quòd alijs in templis etiam exemplo nostro fuerit supplicatum. Nullius frugi homines complures ad frugem pellecti.

Prostabat in foro sub Nostratis hortationem, qui-

quidam : ad quam accedere dum tentat, immobilem se vinctúmque animaduertit: luctatur, frustra est : stupefactus homo portento inopinato arbitratur rem; viréſq; deinde iterum colligit, eásque intendit, dum remorâ amotâ ire licuit. Iuit, támque altè ea concionantis tela in animum admisit, vt saucius mox ad vulnerarium sacrum accurreret, mentis vulnera ostenderet, sanitatem auferret. Abstracti à pellicatu octo admodum : à laqueo exempta vna : vnus ex desperationis barathro, in quo æternum iacere animum obfirmauerat, extractus. Notabile est illud. Sacerdos quidam externus, qui Nostros à confessionibus habebat modò, olim à disciplinis, ea sanctitatis opinione vixit, vt admirandis quibusdam euentis eum Deus videretur decorâsse. Tota certè Valentia Simonem suum (id homini nomen) mirificè coluit, dum amplissimos illi honores ab obitu statim decreuit, ne tanti viri virtus posteritate, posteritas exemplo careret. Factum à Sacerdotibus externis in æde nostra : ab Sociorum vno dictum è suggestu ad concionem, si qua visa est hîc, frequentissimam. Accidit per eos dies res non indigna narratu, quæ ciuium in honorando Simomone consilium comprobauit. Duo eximij formâ & vestium elegantiâ adolescẽtes sub primam lucem fores nostras pulsant : ad ædituum appellant : adeunt : fasciculum funalium è punica cera offerunt. Vnde munus afferrent interrogati à Nostro negant enunciare se posse; itáque ignoti modestè discedunt.

Res

RES maturiùs considerata rescitur à quibusdam; spargitur ab ijs in vulgus, Angelos faces attulisse vrbs tota dictitat; cõcurritur ad nos, supplices exposcuntur cerei cà importunitate, vt, vel opinioni vel pietati multitudinis fuerit cedendum, candelaque diuidendæ.

II. SVSCEPTA A NOSTRIS ad municipia vrbis huius plena vtilitatis itinera: per iciunium vernum frequentes habitæ conciones cum fructu, quem epistola (quæ quidem hîc desideratur) satis declarauit. Domi interim aucta res ab amicis; ad ædificium collata aureorum millia quatuor, sexcenti: sexcenti rursus & quinquaginta templo assignati: trecenti ex eleemosyna conuersi in lipsanothecam; cui B. P. Nostri articulus insertus.

III. IN COLLEGIO res litteraria gnauiter grauiterque pertractata est, vt simul & bonam ciuitatis partem ad spectaculum allexerit, & Societati non vulgarem bonæ institutionis opinionẽ apud omnes ingenerarit. Parthenia Sodalitas Nostri Sacerdotis industriâ augetur *in dies*. Virgo ipsa suis identidem suppetias fert clientibus. Adulta aliquando nocte quidam ex oppido sexto ab vrbe lapide ad Sacerdotem nostrum, quem à confessionibus dudum habuerat, accessit, diuinitus (vt res ipsa deinde & effectus ostendere videbatur) extimulatus: super vniuersæ vitæ noxis confiteri postulat: dissuadet tum quidem Noster, negotiúmque illud in sequentis diei auoram sine periculo reijci dictitat: perseueranti tamen homini, & dilationem nullam admittenti accom-

Digitized by Google

accommodat tandem aures : narrat ille delicta multis cum lacrymis singultibúsque verba identidem tertiantibus, magna veri doloris signa edit. Nec contentus eo, petit actutum sibi dari Synaxin : datur: nec mora: à mente abit, suíque impos factus nihil ab insano diuersum agit; quæ res non minùs perculit Nostrorũ animos, quàm impulit, vt diuini Numinis sapientiam laudarẽt, quà mortaliũ saluti tam miris modis prospiceretur. Ad templi supellectilem mille aurei & quadringenti accessére : vnde ornatus splendidior factus : amplior item bibliotheca ducentorum dono aureorum. Collegium suis non caruit incrementis.

COLLEGIA GANDIENSE, CÆSARAVGVSTANVM, BILBILITANVM, TVRIASONENSE.

IV. CONSVETVS fere Gandiensium fuit hoc anno cursus & labor. Africanæ cuidam mulieri Cacodæmon laqueum struxerat; induisséque, nisi cuiusdam è Nostris operâ ad saniorem mentem reuocata baptismo tingi voluisset. Noua charitate reuinctum par coniugum, quod mutuam cædem meditabatur. Christianæ doctrinæ mysteria foris à quatuor Nostratibus, domi ab vno tradita, magno & concursu, & prouentu.

Plurimùm ad commonendos animos valuêre res Sanctorum virorum toto anno sæpe in Quadragesima narratæ. Sodales quoque Parthenij non

Digitized by Google

non minori diligentia, quam constantia in aliorum commoda insudant: miserorum ægrorúmq; præsertim rationem sibi maximam habendã esse ducunt. Centum & quatuor supra quadraginta è carcere stipe corrogata liberarunt. Scholæ ampliſſimum Cardinalem D. Gasparem à Borgia elegantibus prolusionibus excepêre, cùm nuper Romã contendês pro sua aduersus Societ. humanitate beneuolẽtiáq; huc ex itinere diuertisset. Nouum conuictorij hîc instituti nomen ac forma complures bonorum natalium adolescentes aliunde ad scholas nostras allicit, qui proinde magis magísque quotidie augescunt. V. CÆSARAVGVSTÆ Circumcisi Domini festus dies apparatissimi hoc anno trãsactus; quòd nec diuinorum mysteriorum frequentia, nec Cæsarauguſtani Antistitis præsentia desideraretur. Lupercalis furor & amentia tota iam ferè desæuijt vrbe, mentéque erecta nudi Lupercili honestiori ritu & salubriori animos ad Sacerdotis pedes denudarunt, sceleráq; cum dolore detexerunt. Concionibus & antelucanis exhortationibus, quas habebant Nostri verno præcipuè ieiunio, numerosus semper fuit auditor, auditori copiosus indidẽ fructus. Quadripartita Virginis Deiparę Resp. omnia pietatis officia strenuè facit; & vt aliàs nunc etiam curat de sua in alios aliquid virtute transfundere. Gymnasium nostrum magnos ostendit in flore fructus: habuítque hoc anno ad Lucalia è Nostris vnum, qui in honestissimo spectatissimorum virorum conſessu perorauit. Excursum semel: Odia Vatiniana extin-

Digitized by Google

extincta sæpe: altissimè radicati peccatorum frutices reuulsi. Auctum domi vestiarium sacrum donis non exiguis.

VI. EX BILBILITANO DOMICILIO vnum ad se Deus vocauit, adultæ virtutis magnæque spei adolescentem Antonium Aymeríque. Reuocauit vrbs per quadraginta ieiunij dies Ecclesiasten è Nostris illũ, quem anno proximo superiori audiuit. Adolescens quidam idẽtidem apud nos diuina mysteria obire solitus cõcubia nocte visum sibi ait (somnianti an vigilanti?) visum certè Cacodæmonem vim iugulo inferentem: viam vocis obstructã, linguámq; ligatam vt senserit, animo D. Virginem iuxtà & Hieronymum imploralse: accepisse mox petitum auxilium. Mansit tamen surdaster aliquamdiu adolescens illa ex compressione, donec postea Nostrorum consilio eam quoque molestiam à se penitus amouit. Messem ex scholis nostris, quæ sexcentos facilè numerant auditores, non exiguam fecêre religiosi Ordines: Sodales Parthenij vtriusq; Cõgregationis numero & virtute crescũt. Teritum in oppida nunquam antea Nostrorum calcata pede, insigni fructu: vix enim paganorum quisquam repertus, qui peccatorum Sarcinam non excusserit, & cœlesti se pane satiarit.

VII. NVMERVS SOCIORVM Turiasonensium exiguus licet (tredecim. n. non amplius hîc versati Nostri) minor adhuc factus est vni⁹ decessu: Patris videlicet Didaci Ordonez, quatuor vota Professi, qui singulari pietate & vitæ exẽplo trigesimũ secundum in Societ. annũ, quinquagesi-

mum

mum primum in omni vita expleuit. Decem annis rexit Tirocinium auctoritate magis comitatéque religiosa, quàm imperio: tres item præfuit annos Collegio Valentino; vbi egregiè admodũ prudentiam suam in gubernandò, feruorem in vrgendo, sanctitatem industriámque in agendo probauit; quippe ingenio miti ac suaui vir erat, vultu totiúsque corporis habitu ad modestiam factus suapte naturà; quo fiebat, vt non inquilinos modò, sed exteros etiam in sui admirationẽ amorémque raperet. Institituti præterea nostri fuit semper obseruantissimus, & quod caput est, rerum cœlestium contemplationi apprimè deditus. Quæ Didaci virtutes, vt clariores essent, continuo ferè ægritudinum labore exercebantur: quibus in molestijs tantum abfuit, vt de patientia consueta aliquid vnquam remitteret, vt in illis etiam ærumnis nullum non tempus vel suæ vel aliorum vtilitati impenderet. Concionans autem non tam verba sectabatur, quę elegantissimè faciebat, quàm scelera insectabatur. Tandem vltimum hic heros certamen cum generis humani inimico ingressus coronam victor obtinuit; cùm crebrà priùs peccatorum exomologesi cœlestíque panis sumptione ad pugnam illam sese armâsset.

VIII. RESARTA nonnihil iactura tanti viri adolescẽtis vnius ad Societatẽ transitione, qui quò fortiùs diutiúsque aduersus suorum insidias ac machinas decertauit, eo suæ quondam virtutis spem omnibus iniecit maiorem. Porro communiones hic frequentes fuerunt: cohortationes fructuo-

Digitized by Google

fuctuosæ. Sodalis vnus inter ciues nobilis, inter Parthenios exemplo virtutis clarus, morbo correptus Diuorum omnium nomina, quæ sortitione menstrua in Sodalitate acceperat, iussit emortuo sibi in Sandapila, dum ad sepulchrum deferretur, appendi. Commouit Sodales Italicos hoc est nobili ortos genere defuncti pietas, vt humeros collegæ supponerent, cadauer exanime efferrent. Fuit eorundem Sodalium in alio quoque genere magna virtus, præsertímque supplicando apud Deum; plurimúmque videntur potuisse.

IX. SVSCEPTÆ excursiones duæ à Nostris solenni cum fœnore. Illud peculiare. Itum obuiam, ne duo, quorum vita venalis erat proscriptáque dictitabatur, interficerentur. Expulsa ex Aragonia Mahumetanorum exoleta & putida stirpe, quæ suæ gentis mores dolosè ad nostram ruinam, impiè ad Dei calumniam seruabat, magnum passa est res domestica hoc anno detrimentum: nisi incremento accenseri possit prædium bis mille aureorum pretio magna sperouentûs comparatum.

COLLEGIVM HOSSENSE.

X. QVADRAGESIMÆ conciones Aduentúsque Dominicis tam frequentes tantóque cum fructu habitæ sunt à Nostro, vt ne Hossa quidem vnquam maiorem viderit simili in negotio multitudinis concursum. Exacti ex vrbe Nostrorum

Digitized by Google

consilio & constanti labore histriones, qui non dies modò, sed noctes etiam impuris suis tragœdijs funestauerant.

XI. IAVAMET ALIO aliquoties hinc elata Societatis officia exteris magnæ vtilitati, nobis commendationi fuêre. Quædam femina, cùm in maxima hominum frequentia Nostrum audiret dicentem, & in scelera grauissimis verbis detonantem, diutiùs eius vim orationis sustinere non poterat, adeóque de abitu cogitabat: sed quoniam omnem à circumfusa multitudine viam cerneret intercluſam, hac arte euadere tentauit. Pusionem, quem brachijs sustinebat, mordet, identidem vellicat, pungit, dum ab eo lachrymas eliciat, quarum honesto nomine à turba se expedire, atque inde subducere possit. Qui conatus dum non succedunt, animum ad dicta aduertere incipit mulier: mouetur adeò, vt vitã è vestigio mutarit. Cùm impium peierandi morem multis exprobrasset homo Noster, eorum non pauci colaphis pugnísque in se vindicare non dubitauêre: coniunxit multorum dissidentes animos, plerosque dicendi facultate ad totius vitæ lustrationem adegit: & cùm essent, qui proposita tanto feruore æternarum pœnarũ mulcta non lachrymarum vi duntaxat perfunderẽtur, sed ad desperationem aliquando etiam vergerent, remedio confessionis in eam animi æquabilitatem restituti sunt, vt & supplicia illa perhorrescerent, & cœlestis patriæ gaudia sperarent. Ita pugnandum aliquoties contra illius hostis

hostis insidias fuit, qui videri à nemine potest, vinci non nisi à solis bonis.

XII. QVIDAM IVVENIS malo cuiusdam dolo & illecebris captus deperire virginem cœperat, tanta amoris impotentia insaniáque, vti sciens videns perire decreuerit. In saltus ergo aliquando inuios sese abdit intempesta nocte, ibíque incurarum suarum partem vocat Cacodęmonem, certa ratáque voce pollicitus se pretium, si eius opera cupitis voluptatibus potiretur. Contabuisset vtique in tam impio scelere victima Orco iam destinata hic adolescens; nisi Deus per concionatorem nostrum incendium illud nefandi amoris singulari beneficio restinxisset, ad expianda scelera flagrantem animum induxisset. Denique missiones singulis in oppidis clausit solennitas vicatim indicta; tum frequētissima animorum ad cęlestem mensam refectio: mille trecenti eóque amplius in vnico pago tales numerati cōuiuæ: quod satis indicabat, quantum effici posset ab ijs, qui sua commoda & quietem commodis salutíque animarum posthaberent.

COLLEGIVM BARCINONENSE CVM PROBATIONIS DOMO TARRACONENSI.

XIII. MINOR factus est Collegij numerus vnius Sacerdotis iactura. Is erat Franciscus Manca Sassaritanus, laboriosus sanè Christi miles, & in pertractandis temperandísque hominum animis maximè peritus, quíque recluſæ animo pie-

Digitized by Google

tatis, patientiæ, veræque religionis, quarum se virtutum præbuerat semper obseruantissimum, extremo in agone præsertim dedit documenta ad imitationem admirationémque singularia. In vrbe duobus principibus templis cõcionati è Nostris sunt duo; quibus lachrymæ auditorum, abolita vitia, frequentiorque diuinorum mysteriorum vsque testimonium egregiè administratæ prouinciæ dederunt. Nam si de simultatibus rescissis, de pellicatu sublato, de iniurijs cœdibúsq; impeditis dicere sigillatim institueremus, in quantam narratio excresceret Iliadem? Carceris lustrationem oportuit esse frequentem intãta capite damnatorum multitudine; quorum ferax hæc tellus est. Ex reis vnus ad palinodiam per Nostros adactus, qui duobus ciuibus periculum capitis perfidiosâ insimulatione creauerat. Doctrina Christiana tripartitò tradita: sed & in triremibus cum fructu locata opera. Sodalitates suis quoque non carent incrementis. Ad eas, quas habet cum cæteris communes exercitationes, in suo sacello vacat mente aliquantulùm Deo: quæ consuetudo magno optimorum iuuenum progressu inualescit. Sacerdotum cœtus allatis suæ cum Romanâ coniunctionis tabulis frequentior ampliórque est redditus, Canonicis præsertim aliisque viris primarijs admissis. Idq; vt fieret maiori cum fructu asceticis B. Parentis N. Ignatij cõmentationibus sunt informati. Horum duo breui vitam clauserunt, magnę suæ virtutis post se relicto exemplo. Alter erat pius & ardens obuios quosque ad Dei amorem inflam-

mare

mare adhortando, omnésque ad omnem virtutem accendere morem habebat: suadebat, quãtum vitæ cuiusque ratio pateretur, rerum cœlestium contemplationi & conscientiæ examini aliquid tribuerent quotidie: quæ consilia non tam voce quàm exemplo dabat; quatuor enim solidas horas Deo vacabat, vitámque rigore & asperitate plenam traducebat. Moribundus ad Nostrum conuersus: *Quanto gaudio*, inquit, *perfundor Pater; vix capit latitiam animus.*

XIV. TERTIVM foras eo hominum accursu, vt aliorum etiam Ordinum religiosi viri in partem laboris fuerint aduocandi. Sacrilegus homo, Dæmonis deuotum mancipium, ad impia & ipso nomine formidãda veneficia adorandum Christi corpus à non minùs sacrilego Sacerdote postulârat, ídque impetrârat. Sumptam audaci manu diuinam hostiam sub aceruo lapidum cõdit; vbi tamdiu latuit, donec temerarij hominis impiatus animus in concione Nostri religione tactus lachrymis cœpit manare, & sacrilegium in luce diuinitus oborta cernere. Indoluit itaque vehementer, scelus aperuit, thesaurúmque cœlestem ex illa saxorum congerie venerabundus retulit; quem Sacerdos noster clanculum in altari consumpsit.

XV. MINORESÆ, vbi tam admiranda B. P. N. Ignatius virtutis suæ specimina dedit, semestrem operam nauârunt Sacerdotes duo cum Fratre Socio; qui quidem ad antesignani sui exemplum exerciti fortiter sunt: cùm vicatim rogare stipem ad vitam tolerandam vel cogerentur pro

Digitized by Google

loci tenuitate, vel solâ memoriâ Beatissimi viri (cuius heroicæ paupertatis vestigia beatis impressa pedibus compita adhuc conseruant) paternam virtutem æmulari impellerentur, non sine maximo animorum suorum vel solatio vel gaudio. Augebant hanc alacritatem plenæ manus manipulis, quos ex agro illo colligere licebat. Nullo quippe in genere officia Nostrorum defuerunt. Atque ille etiam multus foret sermo, si quæ præter ordinem naturæ per semestre illud, Deo sic volente, B. Ignatius operari visus est, sigillatim recensérentur. Matrona nobilis fœtum mortuum effuderat: quem obstetrix aliæque; feminæ præsentes veluti deploratum destituebant, matrem vix superstitem fouere accelerabant. Fluxit semihora, cùm quæ obstetricare solebat prolem miserabunda inuisum it, reperit mortuam, qualémque reliquerat, liuidam, subnigram. Indolet anus in commiserationem data, maximè quòd cœlestis lauacri exors decessisset: proijcit se tandem in genua, & præferuido spiritu Ignatium, cuius erat studiosissima, opem rogat. Vix preces exorsa fuerat, cùm conuersa ad prolem viuere deprehendit. Inde mox miraculum ingeminare obstetrix: testari ex vicinia idem mulieres, quæ exanime corpus viderant: ipsáque mater affirmatè dicere, tres ipsas horas antea nullas viuentis prolis motiones sensisse. Ita baptizatus infans dies non paucos inter mortales superstes fuit. Habitum est & illud non minus mirabile: duos puerulos hernioſos, & enterocelis laborantes, adeo vt præ ramicibus & o-

menti

Digitized by Google

menti profluuio vix ingrederentur, illatos in spelæum, quod B. Ignatius lacrymis suis irrigauerat, vnctósque oleo lampadis ibi suspensæ herniam depulisse. Quam etiam medelam experti sunt salutarem duo alij pueri, contra Scrophas vnus, alter ad tumorem totius corporis opprimendum. Puerperam grauis febris obsederat: iacet deperatà iam pene corporis salute: affligitur non minùs maritus, consiliique inops ad B. se Ignatium denique vertit, specum sospitalem adit, & in sacello, quod supra spelæi dorsum erectum, pro coniuge fieri curat. Eâdem horâ mirantibus tribus medicis redijt salus desperatæ feminæ: vulgatáq; res tam mirabilis celebriorem tota vrbe Ignatij diem ac famam reddidit. Cæterùm illo ipso die quadrimula puella è mœnibus vrbis præceps ruit in saxum. Dixisses aut rumpendam medio aëre, aut scopulo scabroso, in quem excipienda ruebat, discerpendâ: quinquaginta enim palmorum circiter altitudo crepidinis erat. Casu visa in ipso casu à pijs quibusdam viris, qui religionis ergo ad Ignatij speluncam ascendebant: hi Beatum inclamant: quorum & voces è cœlo audisse creditur, quando puella velut in culcitra molliter indemnisq; subsedit. Testatur nobilis item matrona, multis annis cum febri quartanà luctatam se, eundem Beatum nostrum, cùm ei vota precésq; faceret, oculis se spectâsse: cui fidem diuturni illius morbi absterso impetrare videtur debere. Trahit plurimam sane hominum turbam huc iste Ignatij in mortales fauor: Gallos præcipuè homines,

Digitized by Google

qui à Montis Serrati celebri toto orbe templo reuertuntur: oleum ex lampade hauriunt, ex ſpeluncâ lapillos pugionibus expungunt, quos præ Indicis habere margaritis ſolent, quòd admiranda apud ſuos effecta illis ſcrupulis attribuerentur. Res familiaris domi facta melior, omnibus bonis Iuriſconſulti cuiuſdam noſtri Ordinis ſtudioſi teſtamento legatis.

XVI. TARRACONE TIROCINIVM agro comparato auctum; domunculâ item animis relaxandis opportunâ. Res libraria pariter & ſacra accreuit non parùm. Meſſis hic, quæ in ſolo fertili ſolennis.

COLLEGIVM GERVNDENSE.

XVII. MVLTA ET MAGNA effecit in vrbe hac facultate dicendi cõcionator noſter. Commouit priuatum hominem adeò ad liberalitatẽ pauperibus exhibendam, vt certamen eſſet, noſtérne plures ad ipſum ſubſidij petendi miſſitari poſſet, an alter adiuuare. Curauit idem Sacerdos, vt in cuſtodijs detenti quotidiana ope ſubleuarentur: vt tres à præcipitio, ad quod ſuorum ſcelerum perperam conſideratâ fœditate properabant, reuocarentur, à totius vitæ noxis expiarentur. Nec doctrina modò in ſuggeſtu bonos homines fecit, ſed religioſa etiam in inceſſu grauitas & modeſtia valuit ad exemplum. Hanc enim cùm profligati pudoris femina quædam in duobus noſtris in publicum prodeuntibus curioſiùs

Digitized by Google

rioſiùs obſeruâſſet, capta virtutis illius decore, mores ſuos ab omni honeſtate remotos deteſtari, vitámque ad pedes Sacerdotis prouoluta retexere cœpit, lachrymíſque perpurgare.

XIIX. LIBERALIORVM dierum celebritatem ſplendidiorem effecit tum primò in noſtris ædibus & viſus & concionari auditus Epiſcopus vrbis; qui, quâ eſt virtute vitæque exemplo, tantam populi præſentiâ ſuâ frequentiam contraxit, quanta nunquam adhuc viſa apud nos; adeo ſermonis grauitate permouit, vt, quo ſenſu audiretur, lacrymæ teſtarentur. Claruit nomen B. P. N. Ignatij conciuítque ad ipſius ſacellum beneficijs ſingularibus non paucos. Deſperata viri primarij ſalus erat: nullus iam vſus vel viriũ vel vocis: animus ſolus ſuum officium faciebat. Adhibita Ignatij ſyngrapha ſubitò illi omnium cum admiratione vires, vocem, ſanitatem reſtituit. Appendit deinde qui curatus erat tholo vitæ anathema receptæ, ſtitítque ſe ſoſpitatori ſuo cum prolixis gratijs. Tumor & inflatio tibiam nobilis matronæ inuaſerat: ſiluit primis diebus pudore retenta; ſed greſſu malum prodẽte de honeſta ſui iuuandi ratione cœpit cogitare. Vocatam igitur ad ſe virginem quandam nouẽdialia vota ad Ignatij aram deferre iubet: præſtat illa vicariam operam, hic è cœlo opem ipſo die nono; adeóque tumor omnis & vlcus euaneſcit, nullo vel cicatricis relicto veſtigio. Lemures infeſtam habebant cuiuſdam domum: facta ſunt Ignatio nouendialia vota, & inquies illa mox ceſſauit.

Digitized by Google

Damnata voti femina obliuiſcitur fidei, intermiſſam ſalutationem non reddit. Ergo lemurum terrores redeunt, donec iterum ſtabilita fides nouâ pietate durauit. Depoſuerunt virginem febri inſanabili ardentem medici; & niſi maior vis quàm humana ſuperueniſſet, valetudinem ſperari non potuiſſe dictitabant. Confugit mater ad Diuorum ſuffragia, gemit, plangit; frùſtra ſemper. Ad Ignatium ſerò, ſed ſeriò dein conuerſa vitam morienti puellæ expoſcit: obtinuit, quamprimum filia reliquias B. Ignatij acceptas debita veneratione cultúq; affecit. Nec Ignatius manus ſolùm tetendit petentibus piorum animis; ſed obtudit etiam eorum impias dexteras, qui virtuti bellum indicere ſunt auſi. Res mira eſt. Religioſus quidam, homo neſcio quo æſtro percitus, non ſibi ſatis eſſe putauit in ſacrum Ignatij caput linguam immodeſtè exerere, niſi ſtylum ſimul in idem ſtringeret. Aggreditur conſilium facinoris contra nomen Ignatij, pennámque cætera puram crimine infeciſſet, ni ſanctiore manu mota mitiorivé ingenio ducta in Beati laudes ire maluiſſet, ſcommatum probrorúmque impiorum vice encomia ſumpſiſſet. Legit ille, quiſquis erat: miratur; verùm non deponit audaciam. Fundere vult iterum, quod biberat calamus maligniore naturâ venenum: ſed eodem euentu. Inſurgit tertiò maiori ſtomacho: euomit fimum Augiâ dignum: calamus refugit ſcelus non minùs quàm antè, & laudes pro vituperio pingit: obſtupeſcere homo ille, & maſcula

ſcula bile ſubſtringi, rumpi dolore, & encomiorum, quæ legebat, impatiens, calamo rurſus armat manum. Sed ne pœna tarda, longa illi fieret illecebra peccandi: ecce tibi calamus per medium aërem ſe aufert, in pauimentum inuolat, manus ipſa in genas irruit, incuſſáque alapá temerarij oris petulantiam abſtergit. Ita bonus vir ad mentem ſaniorem reuerſus ſuum illum errorem corrigere, Ignatiiq; ſui (ita vocitare didicit,) encomia docto calamo perſequi non dubitauit.

XIX. EXITVM AD OPPIDA circumiacentia, quater. Ac ſemel quidē faciendorum ſumptuum timore operis noſtris negatus aditus eſt à paganis: ſed conſilio Noſtrorum expoſito vani illius metûs agreſtem plebeculam ita pœnituit, vt eam imprudentiæ ſuæ notam, quemadmodū ipſi vocabāt, non niſi publico facto ſumptu deleri poſſe arbitrarentur; quo vſi Noſtri, cū vellent, & quoties vellent, ad ipſos regrederentur. Cupida omnino gens verbi diuini. Quædam gallinas Ornithoboſcio feſtinat includere, quia properato opus eſſe putabat, vt concionem audiret: illæ maturatà nimis diligentiâ, clamoribuſq; perturbatæ recuſant imperium, herámq; iratam caletem accendunt magis contumaciâ; donec tandem multo labore in gallinarium coactos alites ſui impotens mulier Cacodæmoni deuouit, itáque ad templum diſceſſit. Audito dein verbo Dei reuerſa domum, videt valuiſſe temerariam ſuam deuotionem, nec plumulam quidem tota domo veſtigiumvé ſuarum gallinarum reperit.

Simili

Simili ferè ratione ſapere docta eſt imprudens parens, quæ filiolam diabolo verbis affectúque addixerat. Domo enim cum pecore egreſſa ad paſtum, Orci incolam habuit obuiam, qui verbis manúque miſellam in opacæ ſiluæ tenebras ſeducebat: ac niſi importuna ſeu potius opportuna gregalis alterius vox reuocâſſet, vix erat, vt tum callidi veteratoris dolos inſidiáſque effugeret. Agnouit ipſa fuga hoſtem: contra quem Sacramento ſe confeſſionis armauit. Dixit non nemo Noſtris, habuiſſe ſe domi ſeruulum gente Gallum, moribus improbum, ludo inprimis deditum: hunc fallente, vt fit, ſorte animum lucro intentum in Diuos Diuorúmq; regem non minus impio quàm ſacrilego ore deſæuire cõſuêſſe: eius blaſphemijs ſphæriſteria, domum, compita non rarò perſonuiſſe: præſertim verò in Chriſti Domini de cruce pendentis imaginem papyraceam, quam in arcula fixam habebat, temerariã aliquando linguam ſtrinxiſſe; commotum inde ſe (narrauit idem) ad cubiculum properàſſe, ingreſſum effrenem verborum licẽtiam verbis caſtigâſſe: tum verò conſpexiſſe fluentem vndiq; cruore venerandam Chriſti iconem, ea copia, vt non ſolùm lymphatici hominis manus impiæ tingerentur, ſed etiam arca ſacro rore erubeſceret: cæterùm ſuaſmet etiam palmas, cùm imaginem viſo portẽto tolleret, ſanguine immaduiſſe. Denique acriùs increpitum nebulonem horroréque perfuſum è cubiculo clanculum ſeſe propripuiſſe, euanuiſſe. Habet & ſequens res ſuam admirationem.

Mace-

Digitized by Google

Macerarat aquis linum quidam, euocatúsque à nescio quo, si saluum illud vellet, eo ipso momento (dies sacer erat) ad locum ire iubetur. Non minùs nuncius hic homini fuit, quàm os habitúsque nunciantis incognitus: quid enim laborioſum erat infrequenti oppido omnes de facie noſſe? Vulneratus tamen animus ſuas res curare cœpit: maturat ad aquas, exempturus ſi quid lini poſſet eximi: credit ſe vndis imprudens; cùm mons vicinus quaſi radicitus euulſus aperto hiatu repente videtur incumbere horrifico inſonans fragore: ſubſiſtit in crepidine homo ambiguúſque animi quid conſilij arripiat, hæret. Deſiderio tandem reculæ ſuæ allectus vlterius pergendum cenſet: ſed mons nouo iterum maioríque multò infremens mugitu non lucem ſolùm oculis, ſed corpori vires etiam atq; animum abſtulit. Refert igitur pedem & religionem ſacrorum dierum negotijs profanis non infringendam ſuo periculo didicit.

TRIA RELIQVA COLLEGIA CVM SEDE PERPINIANENSI.

XX. AD IMMORTALITATEM dimiſit Vrgelenſe Collegium ex inquilinis ſuis Gerardum Toms, rerum familiarium curatorem diligentē, cùm quatuordecim annos apud nos magnum operæ precium feciſſet; quippe vir erat vitæ integritate & pietate præſertim inſtructus, magno virtutum comparato theſauro diues, quem præcipuè

Digitized by Google

cipuè in agro indefessis laboribus effoderat. Ter aliqui Vrgelensium Nostrorum missi foras manipulos suos cum exultatione reportauerunt. Amat B. Ignatium ciuitas ipsa impensè, atque ab eodem mutuùm se amari experitur. Ciuis nobili oriundus prosapia cùm vitam suam à medicis desperatam intelligeret, vouit Minoresam profecturum se, ibiq; speluncam B. Ignatij cum anathemate votiuo ingressurum, si conualesceret: conualuit, fidémque suam hilaris suscepta peregrinatione exoluit. De salutari illo oleo, quod ex lampade ad aram Ignatianam appensa depromitur, & ad omnis generis morbos passim adhibetur, supra nos dixisse sufficiat.

XXI. ILERDA duos habuit à nobis concionatores tempore maioris ieiunij: vnum oppido vicino misit: respondítque vbique fructus, adeo vt diuina mysteria adeuntium multitudo amplius laxiúsque requirerent templum. Doctrina Christiana floret; commendatur à ciuibus: scholæ calent & numero & pietate adolescentium. Datum drama eo fructu, vt octodecim ex flore iuuentutis Ioannis Calybitæ exemplo, cuius mirabilem vitæ rationē in actione obseruârant, religiosam vitam amplexati fuerint. Lustrati de more aliquot pagi solito prouentu. Nec ita Beato parenti nostro se nihil debere fatetur ciuitas. Virgunculam parentum precibus & pietati, depositam iam desperatámque, in pedes ipsámque adeo vitam restituit Ignatius: vt altero pòst die, quàm vota fierent, puella ipsa ad Beati aram

aram accedere, gratésque meritas persoluere, salua posset.

XXII. VNIVS Socij iacturam Balearense fecit Collegium; P. Ioannis Gregues, Coadiutoris spiritualis, cui pleno dierum bonorúmque operum finem annus octogesimus attulit. Musicum feruet opus, edito sæpe doctrinæ profectúsque specimine. Duabus Sodalitatibus (adultiorum altera est eáque illustrior facta Prorege, alumno; altera iuniorum, quæ decem varijs religionibus submisit) addita tertia est Sacerdotum, quæ bonis auspicijs procedit. Tutelarem sibi asciuit beatissimi partûs exspectationem; atq; in eam rem præcipuè incûbit, vt pueritia Christianis moribus exactiùs instituatur; atque ideo elemêtarias scholas adeunt ipsi bini, voce præmiolísque ad Catecheseos amorem studiúmque accendunt. Ea laus horum Sacerdotum propria est, teste vel ipso diuinorum Antistite, vt ad eorum exemplum pulcherrimum reliqui etiam Ecclesiæ ministri se effingant.

XXIII. SÆPE in templo maximo aliisq; parœcijs ad populum dixêre Nostri: sæpe ad religiosas virgines verba fecêre. Decem admodum homines, quibus frontem larga peccandi cõsuetudo detriuerat, in honestatis asylo collocati. Quædam pellicatui obnoxia, cùm fortè diuino verbo interesset, tam altè commonitoris nostri vocem admiserat, vt Christi pendentis simulachrum arreptum lachrymis tam diu irrigaret, suspirijs gemitibúsque ex detestatione scelerum ortis vrgeret, dum animo linquente sui amitte-

Digitized by Google

amitteret potestatem. Atque eadem angelos se vidisse testata est, ea nocte, qua dolor ille saluberrimus produxerit nocturnas lacrymas, vsque dum sol mundo reddidisset lucem: ab eis erectam se iussámq; bono animo esse; penitissimam suorum facinorum cognitionem obiecta animo eorundem deformitate hausisse: agnouisse ex eo tempore magnam Dei in se miserationem: constituisse animo tam benignum clementémque Dominum nunquam non amare in posterum; quod iam noua vitæ inita ratione ita præstat, vt vana narrasse existimari non possit. Curata à Nostris præcipuè paupertina plebs, cui & fustē tandæ vicatim postulata eleemosyna: consultū ijs mulierculis, quæ turpi lucro viuebant: institoribus religio iniecta, ne sanctiores dies negotiando profanarent: argentariam factitantes ad officij iurisque terminos reducti. Ad quæ omnia facilem cùm Nostri habeant tùm ipsum Proregem Societatis amicissimum, tum fidei Quæsitorem, qui nostra opera sæpiusculè vtuntur, nullo ferè negotio hæc idq; genus plura effectui dedère. Sunt, quibus B. Ignatius hic quoq; auxiliarem porrexit dexteram; sanauitque inuocatus vulnera animis per incestum inflicta grauissima. Est, quem B. Virgo inter Turcas sospitem diu seruauit; è triremibus & transtris in libertatem non sine prodigio eduxit. Excursum à Nostris bis; respirante interim Collegio ab onere magni æris alieni; laxior quinque cubiculis habitatio facta; redditáque templi res amplior: bibliotheca aureis nummis centum ditior: hæreditate

ditate item librariâ; quam Dominus Doctor Gregorius Forteza Archidiaconus moriens nobis reliquit mille aureis æstimatam.

XXIV. PERPINIANENSIS SEDES consuetis solennibúsq; laborum suorum prouentibus hoc insuper anno hoc adiecit. Detecta fraus sacrilega, quà homo quidam impudentissimus se Sacerdotem venditabat: liberatus per confessionem ab infesta vmbra adolescens, qui mendaciũ facta in suum caput diaboli imprecatione cõfirmarat. Vocati ad sedandas inimicitias perquam atroces Nostri, inter quas nemo tutus, nisi armatus; nemo iam iure legum aut sanguinis affinitate, & quod grauius, ne sanctissimorum quidem delubrorum parietibus defendebatur: pacata omnia Nostrorum interuentu: vt & oppidum aliud, quod eorundẽ præsentia ab malè feriatorum hominum, & ad quoduis facinus paratorum timore expiauit. Tectis enim pulso sicariorum grassatorúmque grege reliqui facilè ad peccatorum exomologesin instituendam sunt commoti. Suscepta non pauca plena laboris itinera: Monasteria ad vitam instituta perfectioré: ianua item religiosis quibusdam viris Cœnobiorúmque præfectis ad contemplationem aperta. Adiutus nobilis vir ab Ignatio nostris in ædibus, qui ab alienato iam propè animo Anticyram velis remísque properabat.

Digitized by Google

Aluit Bætica hoc anno ad quingentos quadraginta ſex, locis vndeuiginti diſtributos. Triginta ijſdem ſe adiunxerunt: ſeptendecim ad Cœlites, vt ſpes eſt, abierunt.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Hiſpali in Profeſſorum domo	LXVI.	XXX.		XIII.	XXIII.
Hiſpali in Collegio	LXII.	XX.		XXX.	XII.
Hiſp. in Seminario Anglicano	X.	V.			V.
Hiſp. in Probationis domo	XXXIX.	III.		XXV.	XI.
In Colleg. Cordubenſi	L.	XVII.		XVI.	XVII.

Digitized by Google

	Vniuersim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholast.	Adiutores.
In Colleg. Granatensi	LXXX.	XX.		XXVIII.	XXXII.
Montellano	XLIV.	VII.		XXIV.	XIII.
Baëzano	XII.	IV.			VIII.
Malacitano	XXXVI.	X.		XV.	XI.
Gaditano	XIV.	VII.			VII.
Xerezano	XII.	VI.		I.	V.
Marcenensi	XVIII.	IX.			IX.
Triguerensi	XIX.	VII.			XII.
Astigitano	XXII.	IX.		VII.	VI.
Cazorlano	XIV.	V.			IX.

Digitized by Google

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Vbedano	VII.	III.			IV.
Fregenalenſi	XV.	VII.		III.	V.
Guadixenſi	XII.	IV.	I.		VII.
Antiquario	X.	V.			V.

A perfidia falſæ fidei conuertimus octodecim.
Infenſos ſibi mutuò amicos reddidimus octo.
Spurcitiem ademimus perſonis ſex.
Ad reſtitutionem adegimus partorum iniquo queſtu aureorum ter mille octingentorum.
Ad Deiparæ & Ignatij noſtri auxilium implorandum, quod quidem feliciter impetratum, admouimus decem.

Digitized by Google

HISPALENSIS DOMVS, COLLEGIVM, Tyrocinium.

I.

BIERE HISPALI apud Professos Collegæ tres : Petrus Fontanus Sacerdos tria vota professus solemnia, anno ætatis trigesimo quinto, cùm vixisset in Societate nostra vndeuiginti, eo sanctitatis incremento, cuius iam inde à puero dederat exemplum. Nam & à teneris annis sacram Eucharistiam frequêter adijt, & Beatissimam Virginem Mariam singulari pietatis affectu est prosecutus : Societatem porrò nostram adeo constanter ambiuit, vti grauissimis rationum momentis, quæ constantissimum quemq; ad se traherent, persuaderi ipse non potuerit, quin oblatum vltrò nobilissimæ feminæ coniugium recusaret, quæ vna tantùm adolescentis capta virtute sestertiûm vicies dotem afferebat; imo potiùs ex ea re tantum hausit animo dolorem, tótque præ sensu lachrymas effudit,

Digitized by Google

dit, vt & suasori viro religioso ad id à parentibus subornato desistẽdum omnino fuerit ab incepto, & ipsi liber in Societate aditus relinquendus. In ea vixit omnibus charissimus, quippe qui excelleret admirabili comitate, singulari totius corporis modestia, magnâ animi submissione ac mãsuetudine, continuo religiosæ disciplinæ studio, promptissimâ obedientiâ, & quæ has omnes virtutes perficiebat, alacri patientia; quã ille cùm in Collegijs aliquot exercuit insigniter Ministri officium obeundo, tum in audiendis confessionibus; quod munus magno confitentium fructu obiuit, nihilo seciùs, quippe qui morbis obnoxi⁹ serió admodum constantérq; pœnitẽtibus operam dabat. Arsit ad extremos dies acri è viuis exeundi desiderio: id vt obtinere à Deo faciliùs posset, nouendiale B. Mariæ sacrũ fecit. Sed cùm nil se exorâsse sensisset, angíq; ob eam rem nonnihil cœpisset, occultiore Dei, vt creditur, consilio velificationem subitò mutat paratus ad vtramuis inuitaret Deus, partẽ sequi. Ita ingrauescente morbo fractus, Sacramentísque omnibus munitus & voti compos effectus est & cœli.

Secundùm Petrum Ioannes Ferdinandus obijt, quatuor vota professus, anno vitæ suæ sexto & quadragesimo: ex ijs in Societate vnũ & triginta posuerat, maiorémq; partem latinitatẽ, & Rhetoricam tradiderat; donec viribus ad id munus necessarijs exhaustus in Domũ Hispalensem, cõmune Professorum perfugium confugiendum illi fuit: ibi fracta quãuis valetudine Societ. officijs externos, ac si robustis adhuc esset virib⁹, iuuare

Digitized by Google

uare non destitit. Fuit suaui mitiq; natura homo, secessûs silentiiq; appetens, integerrimâ vitâ spectabilis vtpote qui animi submissione parendique studio clareret insigni, rerúmque etiam minimarum vsurpatione abstineret, quò minùs eas attingeret, nisi Præsulû nutum, quos frequẽter ideo adibat, prius intellexisset. Sed virtutem suam nunquam probauit magis, quàm extremi morbi tempore. Nam cùm in vita semper timore mortis plus æquo moueri videretur, morbi tẽpore tam securo animo fuit, vt extremam horam enixè à Deo expeteret. Atq; vt tunc etiam paupertatis, quam semper præcipuè coluerat, rationem haberet, postulauit, vt rebus omnibus, quæ sibi vsui fuissent, cubiculum exhauriretur; móxque commissorum veniâ summissè à Socijs petitâ, Sacramentísque susceptis corporis ergastulo liber in cœlum animus excessit.

Tertius est secutus Henricus Emmanuel probatæ vitæ adolescens: qui cùm studiorum labori succubuisset, nec erigere se alibi valuisset, Hispalim in patrium cœlum missus Societatis anno sexto, ætatis primo & vicesimo Sacramentis expiatus naturæ concessit.

II. RELIQVI, quos in vita seruauit Deus, nomen Societatis egregiè sustinuerunt: memorari hæc ferè possunt in domo. Mulier cùm peccatum quoddam graue multis annis inter confitendum sacrilegè subticuisset, morti iam proxima, conscientiæq; exagitata stimulis, tunc demum, postquã fuerat extremo iam Eucharistiæ viatico refecta, familiari sibi feminæ animi

Digitized by Google

anxietatem causámque patefecit; cui cùm fida Sodalis respondisset, angore opus non esse, ad manum adesse remedium, Sacerdotem se illicò accersitum ire, cui rem totam explanet: abnutare ad hęc ægrota, recusare, penitus nolle: instare illa, vrgere, & copiam Sacerdotis facilem esse dictitare: sed misera altera in contumacia nihilominus persistere, séque morituram sic affirmare, satis se conscientiæ facturam: *Modo peccatum*, inquit, *meum post meam mortem Sacerdoti tu ipsa manifestes*. Hæc effata infelix, Dominico Palmarum die infelicem efflauit animam. Enimverò socia rectà se ad Nostros confert, rem Sacerdoti narrat, ignorantiámque dedocta potestatem accepit peruulgandi hæc ad exemplum, quibus velit.

III. EXHIBVERE PATRES nostri, qui ex tota prouincia comitiorum causà confluxerant, Hispalensibus probatum omnino spectaculũ, dum omnes fidei elementa cantantes in publicum processêre, longo populi agmine sequente, & quinque diuersis locis ad tantam multitudinem dixêre, quantam nec amplissimæ viæ caperent, nec ciuitas omnis admirari sat posset. Quam verò non langueat populi in B. Ignatium affectus, anathemata, quæ ad aram illius quotidie appenduntur, ostendunt. Mercatoris largitas accessit nuper; qui quòd Loiolæ in oppido natus ipse fuerit, pio Diuum patrium colit obsequio. Eius rei ergo candelabra gemina ex argento, calicémque cum patella aureis centum octoginta constantia dono dedit. Beati porro lux anniuersaria

uersaria tam magnificè transacta est, vt, quod ad summam pompam adderetur, non esset. Debemus id potissimùm nobilissimis Dominis Ioanni de Arguiso, Ludouicóque Alcazario, viris cùm prudentissimis ac pijssimis, tùm de Nostris iam inde à maioribus suis quàm optimè meritis. Ad templi vsum confecta aliquot vasa argentea: res sacri vestiarij aucta, obtentúmque post multos demum annos ius aliò deriuandi aquas pluuias, quæ tantum nonnunquam sordium contraxerant, vt sæpe adiri ad ædem nostram posset nusquam.

IV. ALTERIVS hoc anno rei iacta esse videntur fundamenta, quæ omnium iam pridem erat in votis, Collegij nimirum Giennensis, auspiciisq; adeo secundis, vt Deus singulari ope negotium promouisse videatur. Etenim cùm ciuitas Giennẽsis per decurionem ad id legatum, & Illustrissimus Episcopus D. Sanctius de Abilâ, cuius præclara merita Collegium Granatense anno superiore sensit insigniter, ipse suo nomine, P. Prouincialem Baëzæ orassent, atque exorassent, vt ẽ Nostris aliquot in eam vrbem mitterentur, tres eam prouinciam acceperunt. Magna quippe vrbs celebrísque Giennium est; focos ad nouies mille fermè numerat, sita septentrionem versus à Granata passuum quadraginta millibus; quo ea nomine antiquis fuerit non satis constat; alijs Mentesum, alijs Illiturgim, sed non rectè, vt docti censent, affirmantibus. In eam certè Sacerdos vnus cum Fratre è Professorum domo, Sacerdos alter aliunde circiter idus Nouemb. pro-

Digitized by Google

fe ti, tanta omnium gratulatione plausúq; communi sunt excepti, quanta de eorum aduentu fierat exspectatio: illos vt homines cœlo lapsos intueri: ad ciuium mores vitámque in rectum transferendam diuinitus missos credere. Nec vana spes. Nam ad eorum statim aduentum ingentes hominum fieri concursus cœpére, non plebeiorum modò, sed Nobilium, aliorúmque, quibus absoluendis præter diurnas horas singulis diebus octonas, nocturnas etiam ternas vel quaternas addere per quinquaginta ipsos dies necessarium fuit. Instituta statim Annunciatæ Virginis Sodalitas, quæ nobiles iuxtà & Sacerdotes complectitur: quæ vt similium Sodalitatum cetera opera magno animo exercere vltro cœperunt, ita panarijs suffarcinati de nocte, pauperum nomine victum magna voce corrogare solent, tantóque charitatis ardore id & ipsi præstant, & ciues excipiunt, vt singulis noctibus panes quadringentos, argenteósq; ducentos reportárint; qua ope afflictam multorum fortunã subleuárunt. Plura de hac missione anno sequẽti: id solùm nunc præterea addendum censeo, ad tres illos è Nostris duos alios adiunctos eò rem promouisse, tantúmque pecuniæ tam annuæ, quàm extraordinariæ donatum à ciuibus, vt statam ibi sedem figere plures Nostratium perpetuò possint.

V. IAM AVTEM COLLEGII fructus hornotinus simillimus ac penè idem cum superioris anni fructu est. Cùm alia quædam, tùm horologium ferreum, quod maximè scholæ desiderabant,

bant, comparatum: præclarum omnino opus. Vnius solùm è Nostris facta diminutio est, Marcelli de Abilâ; viri literis, ingenio, virtute præstãtis. Natus ille Florentiæ, Cordubæ Societatem consecutus est: cõfecerat iam studiorum spatia, sacris nuper affecto admodum corpore initiatus: Malacam, Granatam probandi cœli causâ; inde rursus Hispalim remissus, morbo nihil remittente, longâ tabe phthisiq; consumptus, Sacramẽtisque refectus, ætatis anno vigesimo sexto diem obiuit. Videbatur in illo DEVS admirabile scholarium Societatis exemplar proponere ad imitandum voluisse; quippe in quem & ingenij acumen incredibile, & religiosæ virtutes omnes concurrisse certatim videbantur. Eminebat in eo indoles naturâ facilis, grata, suauis: erat in omnes officiosissimus, in maiores fidelissimo animo, promptissimo obsequio, pectore candido: in studia literarum cùm acerrimè incumbebat, tùm ab omni ambitione tam alienus, támque recta in DEVM mente erat, vt cùm facillimè omnes antecelleret, nulli se vnquam præferret, nullo vel minimo quidem cenodoxiæ motu solicitari se diceret: nimirum magno ingenio assequebatur clarissimè, & id reipsa ita sentiebat, deberi Deo se, suáque, cui ille accepta omnia referebat.

VI. IN DOMO PROBATIONIS inter feruentia tyronum nostrorum studia migrauit è vita alius, Bernardus Berrius, spectatæ virtutis adolescens, vitæq; instituto adeo contentus, vti toto morbi grauissimi decursu ne tenue quidẽ incon-

stantiæ

ſtantiæ aut triſtitiæ dederit indicium: quin imo lætari ſe magnoperè dicebat, quòd mors licet præmatura perſeuerantiæ periculū, quod ſi peruixiſſet ſubeundum erat, præſtaret. Res familiaris aucta cùm alijs eleemoſynis, tùm aureis in ſingulos annos trecentis; quos cum Garzia Albarius, ſummæ integritatis vir, iam pridem huic domo legâſſet, nunc tandem vitâ functo perfecta donatio eſt.

VII. Hvc & illud aſcribo, quod de Canarienſi quodam Collegium Anglicanum memorat. Is à latronibus ſpoliatus, cùm Hiſpali, quò appulerat, naulum acquirere homo peregrinus, atque inde in Canarias ſoluere non poſſet, expers conſilij propiùs ab interitú corporis & animi abfuit. Quippe cùm mendicare erubeſceret, eò miſeriarum denique deuenit, vti herbis, quas indagine curioſa aſſequebatur, diu victitaret; tandem ſuperatus fame ærumniſque fractus ad deſperationem vergere incipit; quà ſe in profluentem abijciat, inconſultò ſecum ipſe conſultat. Hæc animo voluenti obiecta repente hominis ſpecies eſt, quæ ſequi ſe iuſſum hominem in arboretum induxit; vbi iuſſo rurſus arborem conſcendere, dein ſubiectà reſti: *Iſthoc te fune*, inquit, *ſuſpendito, & tot iam te miſeriis aliquando liberato.* Paruiſſet extemplo miſer, ni ſibi collum iam ferè in laqueum inſerenti vir habitu fulgentiſſimo aſpectúque pulcherrimo ſubueniſſet; qui abrepto è manibus fune, malóque duce, ad quem nihil attineret, diſcedere iuſſo, ad hominem conuerſus: *Noli*, inquit, *peſſima iſtius ſequi conſilia, ſed abi conſci-*

Digitized by Google

conſcientiæ maculas eluę potiùs Sacramentis. Homo ſeu metu pauidus, ſeu vi aliquâ concuſſus in cœnoſam deturbatur alluuiem, quæ ad radicem arboris ſtagnauerat: inde, vbi emergendi fuit facultas, rectâ ſe in ſeminarium Anglicanum cõfert: vbi peccatorum exhauſtâ ſentinâ, corrogatâ etiam ſtipe ſubleuatur, quâ infortunatas inſulas, vnde venerat, fortunatior renauigaret.

COLLEGIVM CORDVBENSE.

VIII. NISI MORS quorundam domicilij huius ſucceſſus turbaſſet, felicem omnino annum habuiſſent Cordubenſes noſtri. Subleuati enim penſionibus Collegij non exiguis quadringentos inſuper aureos ſacræ ſupellectili adiecêre: fuerúntque auctores ijdem, vt cùm minoris momenti reſtitutiones non paucæ, tùm vna præcipuè trium millium aureorum fieret ei, ad quem iure ſpectabant. Scholarum frequentiam auxiſſe videntur loci accommodatio commutatióque; dum latinitatis ſtudioſis tantum de aulis conceſſum, quantum neceſſe erat, translatis in eorum veteres ſedes Dialecticis & Philoſophis. Commentationibus noſtris operam non ſine fructu dedêre aliqui: ex ijs adoleſcens, cuius diſſoluti mores iam pridem ciues omnes offendebant: is ab eo vitæ tempore ita viuit, vt notior iam ſit vitæ probitate, quàm fuerit antea turpitudine. Itum eſt ad celebre oppidum Buxalancem: vbi à duobus è Noſtris tantum eſt induſtriæ collocatum,

Digitized by Google

tum, vt diebus octo duntaxat, hominum quinq; millia trecenta amplius ad sacram mẽsam accesserint: quos diuersorum Ordinum religiosi viri vnà cum Parocho nostrísque communi opera lustrarunt. Lucenam identidem Sacerdos accersitus alius, ab Illustrissimo Duce Cardonensi, opus egregiè fecit. Sed ad messem, quam Deus Opt. apud nos collegit, veniamus: quater quippe euocauit nequaquam imparatos.

IX. FVIT PRIMVS Garzisanctius Lupus claris natalibus mitíque ingenio adolescens, annis octo in Societate versatus, valetudine quidem admodum infirma, sed patientia tanta, vt vel ea re gratus omnibus haberetur. Nam cùm Theologiæ initiatus tabescere cępisset, in morbo prolixo plenóque fastidij libentissimè ac frequentissimè eo potissimùm nomine visebatur ab omnibus, quòd lœto semper & alacri vultu animóque ad Dei nutum conformatissimo cerneretur. Significauit Collegij Rectori, quo tẽpore vngebatur oleo sacro, optare se à Deo tres dies, quo mortem paratior posset excipere: impetrauit postulata: tertia quippe die animo pacato lætóq; defungitur. Alter Alphonsus Barrerius iam octogenario maior, morum simplicitate maximè excelluerat: quinquaginta amplius annis Donatorum, quos vocant, habitu Nostris inseruierat, frugi admodũ homo, & rebus omnibus probat⁹: septendecim ipsos anos in patria inter cognatos honestissimos, Cordubæ tres ampliùs & triginta varijs officijs volebat onerari, nullo vnquam dato vel difficultatis vel repugnantiæ indicio.

Tanta

Digitized by Google

Tanta verò fuit charitate tantáque patientia, in tam multiplici officiorum varietate, in tam assiduo agrestium hominum commercio, vt nec vllus de ipso vnquam, nec de alijs ipse conquestus sit: victus, vestitus, lectique ratione, quàm pessima poterat, vsus est semper: fuit laboris patientissimus, otióque tam infensus, vt cessare ab opere nec vellet, nec posset. In lecto ipso extremè ægrotabat, cùm ad coagmentandas scopas, quas inchoatas reliquerat, surrexit: vbi à subeunte medico pulsúmq; tentante desperatus est. Ea verò illius fuit in Deiparam propensio, vt coronam ipsius sæpiùs diebus singulis percurreret: precésque quàm plurimas alias, siue aliorum verbis conceptas, siue rudi piáque Minerua ab se excogitatas longo quotidie ordine perageret. Acerbos Christi Domini cruciatus intimè miserabatur, atque vt eos meditari rectiùs patíque quodammodo posset, captata prius solitudine, spinea corona redimitus, crucem humeris gestans, genibúsq; innixus, ab imo scalarum domûs ad summum adrepebat. Pascebatur admodũ (nam legere non didicerat) piorum librorum auscultatione, tantámq; ex ea re hauriebat animo dulcedinem, vt iuges inter legendum ex oculis profluerent lachrymæ, nec finita statim lectione defluerent. Miserabatur calamitosos atque mendicos, quos ad posticum domûs quotidie pascebat, & ad eorum ollam condiendam inferciendámque quidquid sine fraude poterat, corradebat. Plura eiusmodi cõmemorarentur, nisi cauta viri modestia

(si ita

(si ita licet dicere) ea inuidisset. Dicam, quæ diligentiam ipsius effugerant. Cùm in via vrbis publica moribundum mendicum aliquando offendisset, subleuatum à terra portauit in domũ piarum feminarum: à quibus cùm impetrâsset, vt hospitio ægrotantem dignarentur, ipse vt eas omni curâ liberaret, infirmum, quoad vixit, cibo ceteráque ope sustentauit: post iam cadauer humari manésque placari sacris fecit. Alterum simili fortuna oppressum humeris gestauit in nosocomium. Resciuit, quo tempore prædij vnius custos erat, iacere ad viam hominẽ ægrotantem extremè: noctis iam prima fax erat, nec deserere officium; nec nostros, quos recentes à Corduba hospites habebat, vlla ratione poterat: summo interim dolore affectus, dum ab hospitalitatis munere quàm citissimè se expedit, iumentum illicò sternit, & nemine, quem sciret, sentiente ad inuestigandum fertur ægrotum; inuentum penè exanimem in iumentum subijcit, & Cordubam, quæ ampliùs tria millia *passuum* distabat, noctu difficili via delatum *in sororis ægroti* domo deponit: ac ne muneri deesset, nevé opus tam præclarum à quoquam sciri posset, è vestigio ad prædium summa festinatione silentióque reuersus est. In eodem prædio erat, cùm intermortuas voces tristésq; quiritantis ad viam gemitus audiuit: accurrit extemplo, inuenit vulneribus confossum hominem, qui extremam pœnè animam agens cõfessionis Sacramentum anxiè petebat. Erat ad passuum quasi duo millia Hieronymitarum Cœnobium: iter cliuosum, & aspe-

Digitized by Google

& aſperum: Alphonſus graui erat corpore, & apparebat ſaucium priùs vitam defecturam, vt fruſtra omnis labor ſuſciperetur: ſed enim his omnibus animoſa charitate poſthabitis, & ſumma iter celeritate grauíque admodum anhelitu confecit, & maiore feſtinatione cum Sacerdote remenſus eſt; tametſi pijs precibus ac lachrymis ſaucij interim vitam prorogare non deſtitit. Abſoluit Sacerdos hominem à peccatis: ſed non ſuâ abſoluit Alphonſus charitatem: itaque Semianimem interiumenti ſarcinas aptè componit, Cordubámque, vt curet, proficiſcitur; & ope interim, conſilio, adhortatione, ſolatióq; non ceſſat iuuare moribundum. Sed cùm interagendum exſpirâſſet, cadauer domum noſtram ſepeliendum ſub nonam diei adportat, defatigatus ipſe ac totus ſudore madens, & fame pœnè confectus: vt cuius cibus ſolùm eſſet miſerorum ſaluti pro virili ſuecurrere. In ſimili genere illud etiam eſt. Cùm aliquando ad molas aquarias faciendæ farinæ veniſſet, ibíque pro certo comperiſſet, molendinarium cum non vxore conſuêſſe, monitis ſalutaribus, efficacíq; ſuaſu perfecit, vt honeſto matrimonio copularentur: ſed quòd femina omnino erat inops, pro inſignis operis corollario ex nummulis corrogatis lectuſum, ceterámque cubiculi ſupellectilem comparauit. In hac ille humilitate vitæ altiſſima ſeruilíque forma tot annos iucundiſſimè iacuerat: ſed debebatur certè tam ſpectatæ ſeruituti liberorũ ingenuitas; itaque ante quinque menſes, quàm moreretur, in Noſtrorum numerum iure meritóque

tóque suo est cooptatus. Qui tertius obijt Franciscus Aldretus studiorum iam confecerat cursum, & in Diaconos fuerat ad lectus, iuuenis placidis moribus, vitâ integrâ, solitudinísque amans. Hic dum tertiam scholarium probationem Montellæ obit, tabe phthisica corripitur: inde Cordubam, quam cœli causâ modestè appetebat, missus breui moritur: numerabat iam ab Societate inita annum duodecimũ. Quarto loco defunctus administer erat familiaris format⁹, Ioannes Gonzalius, fermè octogenarius: triginta quinq; ipsos annos Cordubæ vestiarij munus exercuerat, insigni æquáque in omnes charitate, atque assiduitate; paupertatis egregius curator, contemplandi verò adeo cupidus, vt quidquid temporis sine fraude officij posset, rerum diuinarum contemplationi daret: poterat autem multum, quippe qui securus omnino rumorum assiduíq; silentij exemplar singulare sibi soli Christóque viueret semper, nec alijs quàm officij rebus vnquam occuparetur.

COLLEGIVM GRANATENSE.

X. ID GRANATENSES frequentando publicas custodias hoc anno perfecerunt, vt duorum ergastulorum refertissimorũ vincti omnes, quod nunquam aliàs fecerant, quater expiarentur. Saluatoris Sodalitas publico atq; frequenti elementorũ fidei cantu viros religiosos aliorũ Ordinum eò excitauit, vt ipsi etiam sua canentium agmi-

agmina publicè cogant. Spiritûs S. cœtus cùm diebus añi alijs tùm festis, tùm esurialibus etiam arcuisset à fœdo questu mulieres prostitutas, & ex illo vitæ cœno abductas quinq; matrimonio collocâsset; per ludorum publicorum dies, quibus infinita hominum multitudo confluit; vt lupanar obseraretur, à Prætore Archiepiscopi interuentu obtinuit; cúmque id Prætoris mandatum, quò minùs executioni mandaretur, multa obstarent, ijdem Sodales singularum muliercularum quotidianum quæstum quinis argenteis redemerunt. Alia exemplorum documenta fuêre pluscula. Quidam amicæ morte, cum qua tres ampliùs annos turpiter vixerat, eâ in DEVM ipsum exarsit iracundiâ, vt odio Dei, quomodo ipse dicebat, biennium confiteri recusarit: quo tempore cœca libidine mortuæ sepulchrum frequentabat assiduè, & mortuam simili verborum lenocinio, quo viuam compellebat: Dei bonitas fecit, vt vnius è Nostris audita concione conscientiam impiam expiaret.

XL. IN DIVERSA quoque excursum oppida: vbi Nostri, tametsi valetudinis ac vitæ dispendio, magnâ animorum prædâ sunt potiti. E quibus excursionibus vnam Ludouicus Pontius Collegij Rector cum Ioanne Munnocio suscepit in oppido Higueræ & Sancti Iacobi. Et quamuis Higuerenses initio difficiles sè Nostris exhibuerint, vt vnus ægrè, quem ceterorum inhumanitatis esset puditum, fuerit inuentus, qui domum eos reciperet suam. Sed duritia illa Nostrorum

Digitized by Google

ſtrorum ſtatim cõcionibus emollitâ fructus exti-
titit cumulatiſſimus. Nam paruulis Catechesi
inſtructis, grandi natu omnes vno duntaxat cer-
tis de cauſis excepto cunfeſſi ſunt. Re hîc tam
feliciter geſta tranſiêre ad S. Iacobi oppidanos,
quos ad vnum omnes pœnitentiæ Sacramento
peropportunè luſtrârunt; vnus etiam, qui publi-
ca omnium offenſione oblatam indulgentiam
recuſabat, veniam petere culparum diuinitus eſt
coactus. Domum námque ab aquarijs molis re-
diens, antequam ad crucem peruenifſet, quæ ſa-
tis longo interuallo diſtat ab oppido, videre ſibi
viſus eſt homuncionem deformem, atrum, ſor-
didum, qui deducto de via in anguſtam ſemitam
iumento apprehenſum brachio adeo torſit, vt
biduo illud vſui non eſſet: cúmque porro duce-
retur, ingens ob oculos ſpectrum eſt, taurus ni-
gro colore toruóque aſpectu; quo monſtro ho-
mo perterrefactus Mariæ Virginis opem implo-
rat: quæ adeſſe præſens mox viſa hominem be-
nignè compellans: *Regredere*, inquit, *in viam*:
nolis ducem iſtum, qui Dæmon eſt, ſequi. Paruit
ille tam benigno imperio, viámque ac domum
repetiuit: ſed tanto mentis ſtupore, vt extra ſe
toto pene ſequente die fuerit. Vbi tamen in ſe
redijt, & virus peccatorum euomuit, & rem om-
nem vulgauit, vt alieno malo docti fateri omnes
cogerentur, hominem & neglectæ gratiæ pœnas
dediſſe diuinitus, & pietatis in Beatiſſimam Vir-
ginem fructum non amiſiſſe.

XII. HANC generalem oppidanorum luſtra-
tionem diuino inſtinctu fuiſſe à Noſtris factam
ſubita

subita vis morbi secuta declarauit. Nondum enim discesserant Nostri, cùm grassari indiscretè Epidemia: quæ cùm pœne omnes affecit, tùm tertiam amplius indigenarum partem confecit, Nostrósque inprimis inuasit: qui vt redire Granatam curarique potuerint, alter certè sanari nō potuit Ludouicus Pontius. Nam vigesimo die morbi ad ætatis annum quintum & quadragesimum, Sacramentis prius obitis, de vitæ statione decessit. Vixerat in Societate annos triginta, quatuor Professorū vota duodecim abhinc annis emiserat: vir profectò cùm magnis naturæ atq; ingenij dotibus insignis, tùm omnibus virtutis partibus apprimè instructus, quibus Societatis hominem maiores nostri ornatum esse voluerunt. Etenim vt nihil dicam de hominis natalibus, quos habuit nobilissimos atque illustrissimos, cùm esset excellentissimi Ducis Archiobrigensis filius; id omitti non debet, illum ita se gessisse in vitâ, vt cùm tantæ nobilitati responderet egregiè, nihil minùs ipse quàm generis nobilitatem præ se ferret. Nihil in eo superbiæ nihil supercilij vnquam apparuit, nihil quod aulicam atque inanem vanitatem redoleret: vir placidâ temperatáque naturâ, Socijs omnibus facilis, comes, affabilis: in eos, qui hominum auxilio erant destituti, misericors, benignus, liberalis. Exercuit multo tēpore munus concionandi impigrè sanè & strenuè, tantáque animi submissione, vt enixè ab alijs peteret, si cubi peccâsset, monerent; non quò suas laudes eliceret (quod fit) sed quò se corrigere atque èmendare posset.

Digitized by Google

Atq; vt in eius vitâ omnes virtutes elucerent, tum verò feruens religiosæ vitæ desiderium longè micabat splendidiùs. Egit Rectorem Xerezij, Malacæ, Granatæ, quo tempore si semper aliàs singularia virtutum exempla edidit, paupertatis præsertim, submissionis familiaritatisq; cũ Deo: vtebatur veste admodum vili, attritâ, atque perfusâ adeò, vt domi deteriori nullus alius. Vacabat precibus feruenter & assiduè, nec nisi genibus flexis, eósque ibi pietatis haustus fecerat, qui post inter peragendum sacrificium in abundantes lacrymarum fontes erumperent. Inde illa expeditio in pauperes agrestésque oppidanos lætè susceptа, vbi lethalem morbum contraxit, vt idem vitæ vestigium, eandémque stationem, quam cœperat, morte occuparet. Enimuerò in eo morbo comparatæ ante virtutes etsi de industriâ repressæ se emerserunt, placida cum diuina voluntate concordia patientiáque mirabilis, quâ remedia vel acerrima promptissimè patiebatur: mortem verò ipsam tam alacriter excepit, vt impediri non potuerit, quin manum eius, qui adesse vitæ finem nunciauerat, arctissimè constrictam magnis lætitiæ signis exoscularetur. Deinde cùm lætari se vehementer dixisset ijs, quæ dicta sibi fuissent de itione in Domum Domini, summásque Deo gratias egisset, quòd rei sibi in omni vitâ optatissimæ compotem se fecisset (moriendi nimirum inter Nostros) tanta se adiunxit in præsens animi fiducia & alacritas, vt timendum sibi putaret, ne siquid laboris in vita pro Christo susceptum

Deus

Deus tantæ consolationis mercede compensaret; eò videlicet modestus animus rem trahebat. Aderant de more Nostri, dolebant tanti viri in tam robusta ætate interitum: sed eos ille tam alacri animi sensu verbisque cœlestem iam vitam adeò redolentibus alloquebatur, vt lachrymarum riuulos continere non possent: præsertim cùm dulcissimè valere, iussi veniam commissorum submissione animi summâ postulare audierunt. Defuncti funus cohonestare voluerunt ipsemet inprimis Illustrissimus Archiepiscopus, vniuersa pœnè Cancellaria, Religiosi Ordines omnes, Prætor vrbis totiúsque ciuitatis Nobilitas.

XIII. VERVM nunc ad excursionem redeamus alteram, quæ in Abderitanos populos subsecuta est; vulgò Alpux arræ vocantur, numetantúrque oppidula ampliùs quadraginta, quorum caput est Ver-ia, quæ antiqua Abdera putatur, vrbs inclyta olim ac frequens, quippe quæ sedes Diui Ctesiphontis numeraret focos ad nouem millia, nunc verò trecentos vix habet. Hæc oppida subsidio animorum destituta, cùm & religiosorum familijs prorsus careant, & curiones vix singulos habeant, duo Nostrates peragranda sibi omnino duxerunt, eáque inprimis, vbi nunquam audita Societas. Tanta fuit concurrentis ad sacra tribunalia populi frequentia & certamen, vt quibusdam septem dierum spatio fuerit exspectandum, dum locum aliquem confitendi nanciscerentur. Ex multis narrantur ista singularia.

Digitized by Google

Vir erat cum grandi natu, tum auctoritate magistratúq; præstabilis; cui quòd à temerario adolescente plagâ insigni facies fuisset notata, fascésque regij confracti, tam acre vindictæ desiderium insederat, vt cùm iam tres annos amplius extorris adolescens latitaret, ipse instigante vxore suam adhuc maiestatísque iniuriam apud Iudices vindicaret. Sed cùm Nostrorum preces ac suasiones id primò ab eo dolo bono obtinuisset, vt facultatem faceret inimico comparendi tantisper, dum expiatâ conscientiâ piaculares gratias consequeretur: post tamen adolescente se de Nostrorum sententia ad pedes hominis palàm in templo procumbente, veniámq; submisse postulante, non ille solùm, sed vxor, quæ duriorem se inexorabiliorémque præbuerat, omnem ipsi iniuriam condonauit, magno circumstantibus edito exemplo, qui lachrymas præ gaudio continere non poterant. Quidam cum multos annos publico pessimo exẽplo vixisset, Deíq; ad pœnitentiam vocantis benignitatem manifestissimis sæpe sensisset indicijs, nunc tandem cõfessus est, & ab vno è Nostris absolutus; seriò tamen prius monitus, quàm magnum periculum subiret, si rursus peccandi occasionem repeteret. Vix à sacra mensa discesserat, cùm ad ingenium redijt, animóque concepit flagitium: nec dum in actum eruperat propositum, cùm tremere artus, collidique ita cœperunt, vt præ conuulsionis violentia os in occipitium auerteretur. Enimuerò tunc suo malo sapere homo, Sacerdotis monita Deíque vindictam agnoscere, Nostrum-

strumque ad se vocare. Affuit ille: perturbatum mente adeò reperit, vt desperare velle videretur: consolatur hominem, erigit, exhortatur, Deo reconciliat, peccandiq; occasione penitus remissa, & placatâ irâ Dei reualescere animus illicò cœpit. Cæterum inter tam densa improborum vepreta (quod accidere aliquando solet) rosa latitabat; quæ licet ætate ipsa malóque vicinorum contagio marcescere potuisset, vigebat nihilominus ac virebat. Oblatus homo Nostris, cui vel sexto & centesimo ætatis anno nec oculorũ acies, nec dentium numerus aut firmitudo, nec apta membrorum agilitas vel minimùm quidem fuerat imminuta; vocatur inprimis à Nostris vt expietur: fatetur in pueritiâ ad primum rationis lumen Deo se Virginitatis voto consecrâsse perpetuo, eandémque ad eam diem vsque inter agrorum culturam pecorisque custodiam sine vllis institutionis alicuius rerumvé aliarum adiumentis singulari Dei beneficio conseruâsse illibatam. Audiant hoc æquis auribus atque animis, imitarique conentur ij, qui rebus omnibus affluentes ad eam virtutem facientibus exiguo vix temporis spatio castè traducere vitam possunt.

COLLEGIVM MONTELLANVM.

XIV. MONTELLANI COLLEGII Socij, quòd eò tertiæ Probationis Scholares, & ad finem anni Seminarij Patres commigrârint, peruenêre

Digitized by Google

omnes ad duos & quadraginta. Ita crescente Nostrorum numero creuit & pietas & fructus. Calendis Ianuarijs ampliùs duo millia ad Dominicam mensam accesserunt. Enimuerò pietas excellentissimorum coniugum ac Marchionum Prieguensium eminet, vterque octauo quoque die sumunt Eucharistiam claro exemplo: miseris succurrunt consilio, fauore, sumptu; atque erga B.P. Nostrum Ignatium præcipuè ardentissimam iam pridem illa concepit pietatem: quippe quem propitium ita sensit, vt nihil, quod ipsa prædicat, illum rogarit vnquam, quod non exorarit statim: rem maximi momenti nouendiali pietate ad aram Diui susceptà impetrasse continuò; salutem duarum puellarum grauiter diuersis temporibus ægrotantium ope eiusdem implorata statim obtinuisse, se denique ipsam magno cordis dolore noctu laborantem ad Beatum Ignatij inuocationem effigiémque cordi applicitam requieuisse, somnóque suaui sopitam liberam omni morbo euigilasse. Atque ad Dominorum exemplum non familia solùm, sed populus ipse componitur facilè. Aulicæ feminæ octauo quoque die pleræque apud Nostros confitentur.

XV. ALIVD vrbi statuunt exemplum Sodales: inprimis, qui à Spiritu sancto se nominant, summam egentium rationem cum pari vitæ innocentia coniungunt. Mulier quædam pauperrima ad domûs limina filiolis panis frustum cõsumendum distribuerat: quæ vbi Sodales istos eleemosynam rogantes audiuit, panis partem,

Digitized by Google

partem, quam sibi reseruarat, vltrò in sportulam coniecit: quæ res adeo digna Sodalibus visa est, vt communi pòst consensu eam liberali manu compensarint. Partheniorum non lentius est studium: creuêréque hoc anno in immensum quodammodo, excellentissimorum videlicet Marchionum accessu, qui publicè in templo nostro populi summa cum admiratione approbationéque in eum cœtum adscribi voluerunt. Inde factum, vt aulicorum nobilissimus quisque, è reliquo populo honestissimi, Clericorum magna pars magno ambitu fuerint aggregati. Collata deinde pecunia aulam satis amplam in sacellum adornarunt: cuius dedicationem apparatu magnifico in CHRISTI Natalitijs celebrarunt: tum ne quid deesset, Sodalis vnus annuam pecuniam suppeditauit, ex qua oleum lampadi haberetur. Sodalium porro ex inter alia sunt partes, Bini in orbem singulis septimanis curam Xenodochij suscipiunt, qui è stipe, quam precario colligunt, altero quoque die mendicos reficiunt, aquámque sufficiunt in singulos dies.

AD hæc vt extremo peregrinorum frigori, qui nudo in solo cubabant, subueniretur, magnum storearum numerum coëmerunt: lectósque duos compararunt, quibus ægroti & iacere commodiùs, & Eucharistiam suscipere decentiùs possent. Nam huc vsq; vilissimo grabato humíque strato decumbere solebant. Discedentibus præterea peregrinis honestum commeatũ præbent. Nec vinctorum obliuiscuntur, quos

Digitized by Google

quos priùs à Nostris pro cõcione institutos peccatisque absolutos, & epulo sacro pastos, cibo ipsi identidem humano reficiunt.

XVI. SCHOLASTICORVM sub B. Ignatij nomine Academia cùm in similia Parthenicorum opera adnititur, tùm suam frequenter pietatem in templo nostro declarat: vixque est tam ex his quàm ex ciuibus, qui eiusdem Beati opem exposcat frustra. Quidam acri dolore ilium tortus, qui nullà potuerat medicina leuari, simul cereũ, si consanuisset, vouit Diuo, non modò dolore in præsens, sed morbo etiam hodiéque caret. Alter verò, quem superiore anno repentino vocis defectu huius eiusdem ope sanatum diximus, nunc vt voto se absolueret, gratúsque tanto beneficio esset, flammeum argenteo filo tenui sericóque textum, quod Diui aræ obtenderetur, dedit. Sed Marchionum pius in Beatum affectus maximè excelluit; vt dies obitûs solennius ageretur, tauros Marchio agitari iussit, nobiléque ad templi nostri viam equis discurrere, ipse ante alios visendus. Quod exemplum frater eius Ludouicus secutus diem à festo octauum simili apparatu celebrauit; ipsa verò Marchionissa Beati effigiem ornandam sumptu suo manúque suscepit, magnámque pretij partem Diuo dedicauit.

XVII. MONTELLANI omnes mirum quantam in nobis fiduciam ponant, quantum consilijs Nostrorum tribuant. Vnus, qui ob excussam ignominiosissimè in se palmam flagrantissimo pariter atque obstinatissimo vindictæ ardore furebat, vno è Nostris deprecante atque obse-

crante

crante ita est emollitus, vt apud scribam palàm in medio foro, magna voce fluentibúsq; lachrymis matre reluctante magnísque ploratibus ad vindictam inflammante æterna generis ignominia proposita, omnem iniuriam remiserit. Præter aureos ducentos ad illustrandam templi faciem collatos, alia non pauca sacro vestiario ab amicis accessêre. Experti & aliunde aduentantes hospitalitatem nostram, ij inquam, qui de Clero pia apud nos subinde commentati sunt. In vno ex ijs oppidis, ad quæ Nostri exierunt, insigne Societatis hominibus datum perseuerantiæ documentum est. Nam cùm Noster vnus eò accessisset, accersitus ab reo, qui grassatoris nomine vltimo supplicio damnatus opem sibi Nostrorum adesse vltimam enixè petierat: vt ad locum supplicij ventum est, palam omnibus fatetur reus, se olim in Societate nostra fuisse, & à Castellæ nouæ Patribus iure dimissum, meritóque, ac pro certo se habere supplicium eiusce modi pœnam esse inconstantiæ in fide, quam semel Deo vouerat. Auxit rei admirationem, quòd non ab alijs infelix fuerat comprehensus, quàm à famulis, qui in villa nostra versabantur: qui cùm insequi alios duos facilè possent, totum impetum in perfugam tantùm religionis cõuerterunt, vt inde illi proficiscerctur pœna, à quibus desciscens ipse fuerat profectus.

COLLEGIVM BAEZANVM, MALACITANVM.

XIIX. BREZANA OPIFICVM Sodalitas eum virtu-

Digitized by Google

virtutis odorem de se spargit, vt illius suauitate vicinorum oppidorum complures inquilini attracti ijs sese adiunxerint: quin omnes simul hoc anno ad cætera pietatis opera pretio aureorum triginta supra centum insignem sanè crucem è marmore altam pedes triginta duos ad forum lignarium (quod totius vrbis est princeps) loco illustriore collocarunt, magna bidui continentis celebritate. Quæ res ita Senatui arrisit, vt publico decreto iusserit, ne forum illud in posterum lignarium vt huc vsque, sed crucis vocaretur. Hoc exemplo excitati ciues alij alias in celebrioribus vrbis locis ad quadraginta erexerunt. Inter eas illa eminet, quam sumptu aureorum nonaginta ex marmore ad aream templi nostri scholasticorum Sodalitas erexit. Ex ea re inter alia is fructus est consecutus, vt mos subsidendi in genua ad Salutationis Angelicæ pulsum, qui obsoleuerat, crucis iam conspectu renouetur. Vtrique Sodales cùm instituti munia assiduè frequentant, tum illi quidem bis singulis hebdomadis, ter quadragesimæ diuerberationem obeunt; hi verò quotidie sub vesperum piæ lectioni supplicationique ac contemplationi vacant domi nostræ; natu porro atque auctoritate maiores carcere inclusos corporis animique cibo pascunt aliquoties: in quo magni exempli fuit videre bacca laureatos artiúmque Magistros ipsis ferculis ac lancibus onustos per vias vrbis publicas incedere. Templi sacrariique ornatus creuit aureorum

plus

plus quadringentorum æstimatione, qui ex pecunia erogata prouenerunt.

XIX. MALACÆ tanta apud nos concio fuit subinde, vt templo denique nostro in aliud magis capax cedendum fuerit Ecclesiastæ. Nec reliquorum operariorum labor minus habuit emolumenti. Laboratum in extinguendis flagrantissimis duarum factionum odijs, & subleuandis recentium Christianorum reliquijs, quas nouo edicto Rex Philippus Hispania exterminauit: tum etiam in curandis quà animis quà corporibus militum plurimorum, qui è nauali pugna ad oram Malacitanam cum Turcis ab Excellentissimo domino de Toleto inita saueij tametsi victores euaserunt. Nec cessit hîc Sacerdotis vnius labor, qui Anglus ipse Anglos Scotósque duodecim perfidia hæreseos exutos ad Christi fidem adiunxit. Præcipua illius cura est indagare hæreticorum ægrotos, quos quidem Socij magno studio, ne possint à Nostro inueniri, occultare conantur.

XX. ANNVNCIATÆ VIRGINIS Sodalitas, quæ intermortua iacebat, erigere hoc anno caput visa est: exemplo fortasse Arundensium vicinorum, apud quos è Nostris duo bis eò Malaca profecti inter solitos excursionum fructus Congregationem optimis legibus instituerunt. Sed præcipua missio Metillam Pennonémque transmisit. Arces sunt eæ præsidiéque militum in ora Mauritanica disposita, Hispaniarum Regi subiecta: ibi ad duos menses cum egregiè à Nostris laboratum est in componendis odijs, expian-

Digitized by Google

expiandis ad vnum omnibus purgandísque ab impietate barbarica, quam ex Mahumetanorum ac Iudæorum commercio assiduè contrahunt, animandísque optimè erga Nostros militum animis; tum labor is charior fuit, quòd & in ipsis præsidijs insignem rerum inopiam perpessi sunt; & in traiectu Pennone Metillam tempestate coorta mergendi omnino fuissent, ni remittente, subito vento nauis aquis iam redundans erigere sese, regredique eòdem, vnde soluerat, potuisset; eò Nostris aqua multa madentibus descendendum fuit, ventúsque secundus exspectandus. Quod ad bona Collegij spectat, legati libri optimi, qui aureis æstimentur quinquaginta: exædificatum domi sacellum perquam necessarium, tabuláq; sumptu alieno picta, quæ aureis quinquaginta iudicatur: ad altaris etiam & Sacerdotum ornatum sericæ vestes aliquot attributæ.

COLLEGIVM GADITANVM.

XXI. GADIBVS COADIVTORES duo vita ritè functi fuêre; similes adeo inter se, vt gemini videri possent. Agebant plùs minùs ætatis annum vigesimum quintum, Societatis initæ sextum, vitæ sanctitate acres æmulatores. Prior Matthias Mellatus omnibus virtutibus, quæ religiosum decent, absolutissimus, imperantium dictis audiens fuit, vt cùm iussa nunquam vel nutu detrectaret, tùm mandata omnia celeri alacríque animo exequeretur: ea paupertate, qua vestis lectique

Digitized by Google

que ſtratum ex abiectis aliorum centonibus cō-
ſarcinabat: ea ſubmiſſione animi, qua indigniſ-
ſimum ſe putabat, cui culinæ penuſvé cura (qui-
bus vacauit ferè ſemper) committi poſſet: ſed in
quo virtutis vela explicuiſſe omnia videtur, aſſi-
dua rerum diuinarum contemplatio fuit; vnde
ſingularia lumina cœleſtéque mel frequenter
admodum hauriebat: cui rei vt vacare largiùs
poſſet, quoad per valetudinem licuit, horæ ſpa-
tio vnius aut alterius etiam ante reliquos euigi-
labat: corpus verò tantopere macerabat, vti le-
ctum nullo vnquam tempore linteis ſtrauerit;
iuſsúſque aliquando id facere, lintea adhibuit
quidem, ſed infernè ita complicata, vt cùm de-
functus imperio eſſet, dicis tantùm causâ ſuppo-
ſita eſſe viderentur: ita nullum ex illis vſum per-
cipiebat. His aliiſque virtutibus, animi præ-
ſertim manſuetudine eam iam de ſe ſanctitatis
opinionem in ciuium animis excitârat, vt ad ho-
neſtandū funus totius vrbis nobilitas vltrò con-
fluxerit, contendentibus nobiliſſimis quibuſq;
certatim corpus humeris ad ſepulturam efferre;
ad quam nouo omnes ac pio certamine aliquam
veſtis partem fimbriamvé ſaltem ita ambiebant,
vt niſi obſtitiſſent Noſtri, nudum fortè corpus
reliquiſſent.

Secundo loco deceſſit Franciſcus Gomezius,
qui ad piſtrini focum (piſtoris enim munus ex-
ercuit ferè ſemper) eo meditandi caluit ardore,
vt præter communes horas non ſucciſiua ſolùm
tempora eiuſmodi pietati impenderet, verùm
externis etiam in officijs obeundis Deum vbique

Digitized by Google

præsentem animo intueretur : quare cùm omnium virtutum exemplar breui euasisset, ea tranquillitate animi vitam finiuit, quæ tam negotioso vitæ ocio debebatur.

XXII. SOLENNE suum tenent Sodalitates duæ iam pridem institutæ: & Annunciata quidem, quæ florem totius ciuitatis habet, semel vnoquoque mense magnâ pemmatum onusta copiâ valetudinarios agminatim petit: eosdē concione à Nostris priùs habita omni officio curat; deinde cœna reficit, quam è Sodalibus multi flexis genibus administrant : à cœna domum nostram repedāt omnes, litaniásq; B. Virginis in templo recitant. Sodales verò Spiritûs sancti audita priùs piâ aliquâ historiâ ter singulis quadragesimæ hebdomadis diuerberationem domi nostræ obeunt; reliquo anni tēpore semel id præstant. Instituêre nunc primùm, vt quotannis quintâ maioris hebdomadæ feriâ noctu è templo nostris ædibus vicino solemni pœnitentiū pompa ab omnibus Sodalibus exiretur: magno res ea toti ciuitati exēplo est: processêre omnes tunicis è rudi eraſsóq; lino cōfectis induti, nudis pedibus, sparteis funibus collo renibúsq; cōstricti: ad hæc singuli Christi crucifixi effigiē manu ante se gestantes, triste silentium tacitámque mœstitiam præ se ferebant, fluentibúsque præ pietate lachrymis facilè spectantes afficiebant; ita ad singula vrbis templa procedentes exemplo tam pio plurimos commouerunt, vt Sodalitati se aggregarent.

XXIII. ADVENIS præterea, qui vndequaque terrarum Gades confluunt, egregiè consultum

ab v-

Digitized by Google

ab vno è Noſtris eſt. Ex illis nouem repudiata hæreſi Catholicis dogmatibus inſtituti, tum de cenſorum fidei facultate abſoluti frequenti iam Sacramentorum vſu veterem vitam inſtaurant ac corroborant. Eorum vnus quindecim abhinc annos in Hiſpanias delatus réſque Catholicorum edoctus iam inde hæreſim abiurâſſet ni mulieris hęreticæ amorem diuino antepoſuiſſet: eo æſtu actus Angliam repetijt, vbi viperā illam duxit vxorem: ſed cùm hæreticorum templum quadam die concionis causâ fuiſſet ingreſſus, tot ibi in ſummum Eccleſiæ Pontificem maledicta, tot in confeſſionis, Euchariſtiæq; Sacramēta ſacrilegus deblateràuit Præco, vt ingenti affectus mœſtitiâ tantum vitæ errorem illicò amandare propoſuerit. Reliquit Angliam, reliquit vxorem, tenuit Hiſpaniam & Catholicam religionem amplexus eſt. Alter, qui patriâ profugus primò hæreticam prauitatem; deinde Iudaicam ſuperſtitionem fuerat ſecutus, quòd more gentis circumcidi cogeretur, Catholicam rurſus fidem cogitare cœpit: Deíque beneficium fuit, vt deſperatione ingenti, qua pulſabatur, ſuperata ſcelerúmque tantorum pudore, quo tenebatur, excuſſo, tum Cenſorum fidei in eiuſmodi reis abſoluēdis facilitate allectus è tanto vitæ emergeret ſalo. Homo, qui toto biennio cōfeſſionis expers largas omnibus vitijs dederat habenas, conſcientiæ aculeis actus ad vnum è Noſtris cùm acceſſiſſet, & ille ad excutiendam ſedulò conſcientiam certum tempus præfixiſſet, in eam interim deſperationem à Dæmone agi

Digitized by Google

cœpit, vt quinquies seſe in mare abieciſſet, ni opè toties diuina retentus eſſet, vt & confeſſionem abſolueret, & piam vitæ, quam nunc tenet, rationem inſtitueret. Mirabiles hæ vitæ mutationes: ſed mirabilior fortè illa conſtantia. Venerat duobus abhinc annis ex Anglia puer duodecimum annum agens hæreticis parentibus ortus hæreticus ipſe: ſed biennij ſpatio res fidei tam tenaci animo arripuit, vt nullis machinis, quas frater hæreticus omni tempore adhibebat plurimas, dimoueri à propoſito potuerit: ſæpe luſit fratrem, denique eluſit. Nam cùm per dolum ac fraudem ab illo in nauim eo eſſet conſilio deductus, vt ad primam ſecundi flatùs auram ſublatis repente velis in Angliam abduceretur, vbi Catholicam fidem facilè dediſceret: diuinitus factum eſt, vt nullo aſpirante vento fraus in nihilum recideret, & puer è fratris manibus ſe ſubriperet, & in Catholici domum abderet, donec è portu abiret hæretica nauis.

XIV. MIRVM GADIBVS illud etiam accidit, & ad honorem fortiſſimi Martyris noſtri Garneti illuſtre. Etenim cùm nobilis mercatoris filiolus eò iam febris æſtuaret igne, vt medici remedium deſperaret, idque noſtris pater opem implorans renunciaret; Sacerdos vnus, qui lintei fruſtulum apud ſe habebat, ſanctiſſimo P. Garneti ſanguine conſperſum, id lipſani ſtatim miſit, iuſſitque admoueri ægroto. Mirum viſu! vix pectori ſacer pannus applicitus erat, cùm iam puer ita conualuit, vt ſequenti ſtatim die ſanus & incolumis ingrederetur. Ciues hoc aliiſq; Noſtro-

Digitized by Google

Nostrorum meritis grati aureos vltrò octingentos amplius subleuando Collegio attribuêre, qui partim in victum & amictum, partim in scholarum templíque ornatum sunt expensi.

COLLEGIVM XEREZANVM, CVM OCTO RELIQVIS COLLEGIIS.

XXV. CONTRA PERNICIOSAM REIP. aleatorum turbam Xerenses nostri cum victoriâ hoc anno depugnârunt. Inter cæteros, qui Nostrorum operâ vitam emendârunt, facinorosus vnus fuit, qui carceri etiamnum inclusus, cùm temerè identidem peieraret, & vnoquoq; verbo in Diuos, in Deum ipsum conuitia iactaret, vnius è Nostris admonitu ita ab ea sibi temperauit consuetudine in posterum, vt quamdiu vinctus (fuit autem diu) nunquam iurare auditus fuerit. Vincti porrò ij, qui vltimo supplicio sunt afficiendi, felices se ac beatos putant, si vnus tum è Nostris illis adsit. Quomodo se nostri hîc gerant discipuli, hinc disce: quòd triginta admodùm hoc anno ad varias religionum familias accesserè. Hoc Parthenij nouum faciunt, vt expositis infantibus, qui inopiâ nutricum multi perierant, victum corrogent. Itum à Nostris in antiquam Calpen est, vbi aliquot inimicitias sustulerunt, vnde mala multa in dies emergebant.

XXVI. MARCENÆ ista, quæ referantur, digna euenêre. Instituti pro concionibus singulis mẽsibus vincti diuinísque mysterijs muniti. Sodalitates

Digitized by Google

litates eadem ferè pietatis opera præstant, quæ Gadibus & alibi: crescúntque magnorum virorum accessu : sanctissimæ Trinitatis Sodalitio ipse suum Marchio Zaharensis dare nomen voluit. Dux Archiobrigensis aureos hoc anno nobis viginti supra centum pro sua in nos liberalitate erogauit. Dies B. Ignatio sacer apparatissimè celebratus est; quẽ vt ciues omnes pie colunt, ita sæpe benignum experiuntur. Æger iam desperatus, vbi Sacerdotis nostri hortatu Diui effigiem est amplexus, opémque implorauit, melius statim habuit, breuíq; omnino conualuit. Alter phrenesi furiosus, vbi & Sacerdos idem, & qui aderant, eiusdem monitu per B. Ignatij merita Deum orârunt, vt mentem ægroto, dum confiteretur peccata, restitueret, in sese statim redijt, ritéque peccata expiauit.

XXVII. TRIGVERIS superiore anno inchoata Sodalitas nunc demum sub cõceptæ Virginis nomine efflorescit; numerátq; iam Sodales ampliùs trecentos. Ea re multa animorum facta sunt lucra. Iurandi temerarius vsus ita sublatus, vt probro iam id vitium detur, inter rusticanos maximè, qui vulgò & increpant iurantes & puniunt, dum terram osculari mulctæ nomine præcipiunt. Prima cuiusque mensis Dominica die ita frequens confitentium turba Nostros circũsistit, vti non rarò externorum Sacerdotũ opera nobis sit adhibẽda. Nec Sodales solùm Nostrorum auxilijs consiliisq; libenter vtuntur, sed nituntur Oppidani omnes, tantúmq; in Societatis hominibus præsidij collocant, vt quasuis iniurias à qui-

Digitized by Google

à quibuſcunq; acceptas ad eorum arbitrium interceſſionémq; non difficulter remittant. Templum ara noua ſculpturáque illuſtratum B. P. noſtro dicata, cuius Triguerenſes beneficia ſentire iam quoque cœperunt.

XXVIII. ASTIGITI æmulatio virtutis honeſtiſſima inter Sodales viget. Clerus grauiſſimis in controuerſijs plurimùm noſtro conſilio credit. Spiritûs ſancti cœtus nobiliſſimos quoſq; aulicos exemplo ſuo mouet, vt cophinis etiam ipſi ſuis onuſti precario victum conquirant egẽtibus illis, quibus potiorè ferè pudor eſt, quàm interitus. Id opus, vt ciuibus incitamento eſſet ad virtutem maiori, non exiguam hebdomade ſanctiore veſtimentorum vim è corrogata ſtipe cõparatorum, ad templi noſtri valuas expoſuit, in pauperes diſtribuendam. Ipſo autem redeuntis à morte CHRISTI triumphali die carnis magnam ſatis copiam ibidem eundem in finem ſuſpendit. Quæ res ciuitati admirationi, Sodalibus decori; Noſtris, qui rei ciuibus vtiliſſimæ auctores extitiſsẽt, laudi fuit. Singulis ijdem menſibus ſuſcipiunt Euchariſtiam; eáq; id præſtant conſcientiæ munditiâ, vti duo treſvé Noſtrorum duabus aut tribus horis trecentos (tot enim ſunt) facilè abſoluant.

XXIX. A CAZORLANIS impetratum hoc anno, quod huc vſq; ſæpe tentatũ obtineri non potuit: coacta quippe Sodalitas eſt ſub nomine Spiritûs ſancti, quę & Chriſtianæ vitæ exẽplo, & Sodaliũ numero nulli concedat. Tres mẽſes fermè ſunt, cùm Romanæ aggregata fuit, & iam cliẽtes

Digitized by Google

numerat quadringentos; qui vt aliud præstarent nihil, quàm vt vnoquoque mense confessionis Sacramento expiarentur, fructus is amplissimus censeri posset: sed non id procurant solùm: multi quartodecimo, multi octauo quoque die conscientiam emaculant: multi sextâ quâque feriâ verberibus inflictis sponte se puniunt: supplicationibus, publicis pompis, aliisque id genus dignis Christiano homine operibus magnum sibi fructum colligunt, pulcherrimum vtilissimúmque toti ciuitati exemplum præbent. Cæterum plurimæ à Nostris reconciliationes procuratæ; nec paucæ totius vitæ expiationes factæ, Scholastici, si quando aliàs numero florent: Conuictores præcipuè, quos Nostri iam pridem instituendos suscepêre.

XXX. VERÈ pauci multa faciunt: vix quotidie Sacerdotes tres ad confessionem confluentibus toto antemeridiano tempore pares esse possunt: sed & templa vrbis pro multitudine auditorum angusta videntur: ad quadringentos excreuit Sodalitas plebeiorum: tantáque *nominis* nostri existimatio est apud optimos ciues, vt minùs feliciter obijsse putetur, quem Nostras aliquis vltima non fuisset absolutione impertitus. Contulêre triticum nostro victui necessarium, lineas vestes, tum etiam pecunias, quibus frontalia altari quatuor, toga Sacerdoti vna, lampásque argentea confecta sunt.

XXXI. REVOCATA FREGENALI magno ciuium bono pomeridianarum concionum consuetudo est, quæ Dominicis diebus in templo nostro

nostro haberi solebant, sed Sacerdotum inopiâ fuerant intermissæ. Conceptæ Virginis Sodalitium à nobilitate ipsâ magis semper magísque ambitur & ornatur. Sortiebantur de more Sodales in templo nostro Diuos initio mensis; aderant omnes ea religione, eâ reuerentiâ; quam facilè spectãtibus plurimis inijcerent. Vnus tantùm aderat impudens adolescens, vt profanus è via spectator: is non satis piè de tam pio opere sentiens: *Patres*, ait, *hi* (nostros notabat) *schedulis istis ludificare homines volunt*. Non tulit impune dictum: haud ita multò pòst vulneribus confossus cõfiteri potuerit nec ne Sacerdoti, qui præstò illi fuit, constare non potuit. Multò seciùs accidit Sodalium vni, qui cùm furi repente in præsens mortis periculum incurrisset, vix Sodalitatis patronam purissimè conceptam Virginem inuocauit, cùm defunctũ se protinus omni periculo animaduertit. Factæ sunt Nostrorum operâ pecuniarum restitutiones aliquammultæ: earum vna octingentorum aureorum fuit, qui Domino cuidã totius oppidi facilè principi furto erant subtracti: quorum redhibitione viros duos nobilissimos à nobis antea alienos ita conciliauimus, vt in Sodalitatem adscripti, & domũ nostram subinde nunc inuisant, & Sacramenta sæpiùs obeant. Mense Decembri res accidit, quæ pro miraculo est habita. Accersitus vnus è Nostris fuerat ad expiandam viri honestissimi ancillam moribundam: eam voce defectam nutu expressis vtcunque peccatis absoluerat: superuenerat cum oleo sancto Curio, peregerat præpro-

Digitized by Google

perè vnctionem, quòd periculum esset maximi, ne inter agendum expiraret ægrota: muta mulier & elinguis tota nocte permansit; sed cùm post solis ortum hera ipsa domum nostram veniisset, lipsanáq; B.P. nostri secum ablata collo ægrotantis appendisset, breuissima mora temporis interposita & loqui cæpit femina confiteríque, & dolore omnino cessante integerrimè conualuit.

XXXII. GVADIXII res bene habent. Vtilissimus labor ijs impensus, qui cauis terræ locis pro domibus vtuntur: maior quippe ea ciuium pars est, etsi tenuior. Itum & diuerso tempore in diuersa loca bis, vnde pro exspectatione fructus est amplissimus domum reportatus. Collegio ipsi aurei sexcenti aduenêre feminæ nobilissimę obitu, quos iam pridem in mortem viua donarat. Tum ex collatitia liberalíque multorum pecunia frontale factum, togáque Sacerdoti opere phrygio, auro argentóque lucentia.

XXXIII. ANTIQVARIA antiquum obtinet, dum nec ab egregia sua in nos voluntate adhuc deficiunt ciues, nec omittunt quicquam eorum, quæ superioribus annis laudabilissimè religiosissimęq; ad animorum suorum vtilitatem factitare consueuerunt. Compressa commodùm odia, quæ propter antiquas optimatum factiones periculosiora hîc esse solent. Vir & femina opinione coniuges, re autem vera turpi libidine, multis abhinc annis sociati, multíque filijs susceptis, nunc Nostrorum opera iustum matrimonium inierunt. Excursum aliquoties magno oppi-

Digitized by Google

oppidanorũ tum desiderio tum lucro. Concionũ sæpius habitarũ ille fructus fuit aliquis. Erat vir clericis iuxtà ciuibúsque gratissimus, quippe qui ciuilitate morũ, oris dignitate, corporis habitu, sermonis suauitate cõmendaretur: cæterũ suis adeò asper, durus, intractabilis, vt parentibus ipsis impias sæpe manus inferret; is denique, qui desperata penè conscientia, animíque salute profligatissimè luxui, aleis, reliquísq; vitijs omnibus indulgeret: qui cùm de amici consilio bis concioni interfuisset, repente resipuit, & cõfessione facta vitam Christiano homine naturæque suæ ornamentis dignam instituit. Agebat verò Deo gratias immensas, quòd se è maximis plurimísque vitæ periculis ereptum, & ad id vsque tempus seruatum sentiret. Ad Collegij bona quod spectat, ex pecunia, quam conditores attribuerunt, duobus millibus & ducentis aureis agri optimi multa iugera coëmpta, ædésque diuerso in solo vrbis, quæ tribus millibus ducentis & quinquaginta aureis constiterunt. Sacres aureorum sexaginta vnius pretio auctior censetur.

††*†*

†

PRO-

Digitized by Google

Noſtrorum in Peruuiana Prouincia ſunt trecenti vndequadraginta. Obierunt vndecim: quatuor & viginti Societatem adierunt.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Limæ in Collegio	CXXIV.	XXXIV.		LVI.	XXXVI.
Limæ in domo Probationis	LX.	XIII.		XXV.	XX.
Limæ in Seminario S. Martini	XII.	III.		V.	IV.
Limæ in Sede S Iacobi	IV.	III.			I.
In Colleg. Guamangano	XIII.	VI.	I.		VI.

Digitized by Google

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Precept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
In Colleg. Cuzchenſi	XXII.	XIII.			
Arequipano	XV.	VII.	I.		VII.
Ciuquiabenſi	XIV.	VI.			
Potoſino	XIX.	IX.	I.		IX.
Ciuquiſacano	XVII.	VI.	II.		IX.
Quitenſi					
In ſede tulidenſi	XI.	VIII.			III.
Ad S. Crucem					

Digitized by Google

	Vniuersim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholast.	Adiutores.
In Missione Horurensi	111.	11.			1.
In Missione Cociambanâ.	11.	1.			1.

Confessiones generales vniuersim in Prouinciâ exceptæ ter mille nongentæ.

Pellices impudicis abstractæ octoginta sex.

A Dæmoniacis artibus abducti nouem.

Digitized by Google

COLLEGIVM LIMANVM CVM DOMO PROBATIONIS, Seminario ad S. Martinum, & sede ad S. Iacobum.

I.

EA SVNT PERVVIANORVM ingenia tam Christianæ religionis omnisq; honestę disciplinæ appetentia capaciáque, vti dolore non exiguo męroréque afficiantur Nostri, qui cum illis versantur, quòd Sociorum penuria tanto eorum desiderio satisfieri non possit. Experiuntur quippe & in his populis verum esse illud diuinæ paginæ: Paruulos petere panem, nec esse, qui frangat. Incumbunt quidem strenuè in opus diu noctúque tum alij nostri Ordinis, tum maximè Limani; quorum indefessam operam exẽpla declarabunt, vbi, qui ex hoc Collegio inter homines esse desierint, intellectũ est. In ijs agmen ducit P. Balthasar Pinna, qui quatuor & octoginta annos natus, dum sexagesimũ secun-

Digitized by Google

ſecundum ageret in Societate, quadraginta octo abhinc annis quatuor vota Profeſſis annumeratus eſt. Is vbi primum in Aragoniâ Prouinciâ Societati nomen dedit (in exiguo oppidulo Barcinoni finitimo ortus) eos in ſpiritu progreſſus fecit, vt non multò poſtquam tirocinio egreſſus eſt, ſtudiorũ curriculis emenſis, magníſque virtutibus auctus à P. Iacobo Lainez, qui tũ vniuerſam Societatem gubernabat, eiúſque virtutem probè cognitam habebat, alijs regendis fuerit præfectus. Interfuit ille, vt litteræ ſuperiorum annorum teſtantur, cùm periculoſa grauíſque ſeditio Cæſarauguſtæ aduerſus Societatem, ſuperſtite adhuc B.P.N. Ignatio, coorta eſt; cúmque ille id temporis vices Rectoris ageret, maxima procellæ vis in ipſum incubuit: qui & poſtmodum à ciuibus magna diligentia cõquiſitus tota ciuitate acclamãte in priſtinam ſedem reſtitutus eſt. Interfuit idem generalibus Societatis comitijs, quibus P. Erhardus Mercurianus quartus Societatis Præpoſitus Generalis creatus eſt; in quem ipſum & duorum inclinarunt ſuffragia: vir certè ob pietatem inſignem præſtantiſſimáſque virtutes cum clariſſimis quibuſque Societatis noſtræ capitibus conferendus. Fuit in eo rara cum externis agendi dexteritas & prudentia, rarior domeſticos gubernandi peritia: qua vna de cauſa & Generalis Præpoſitus, & Prouinciarum Præſides eo vel ad Collegiorum prima fundamenta iacienda, vel ad conſtituta regenda frequenter vtebantur. Placentini Collegij in Toletana Prouincia, & prima in Sardinia Inſula

Digitized by Google

Insulâ Societatis domicilij institutioni P. Iacobi Lainez iussu præfuit; atque vtrobique habitis è superiore loco concionibus sibi omnes & Societati deuinxit. Agnouêre denique eandem viri prudentiam Peruuianæ Prouinciæ moderatores (quò quinquagenarius traiecerat) eúmque ad Collegia Quitense & Cilense erigenda, licet deuexa iam admodum ætate remiserunt. Triginta & octo plùs minûs annos in hac Prouinciâ trâsegit, diu Collegij Limani, diu totius Prouinciæ præses. Vitæ porrò sanctimonia, facilitas, & comitas cum religiosâ grauitate coniuncta incredibilem ei amorem & reuerentiam conciliârunt. Inerant autem ei præcipuè virtutes illæ, quæ ad gubernacula sedentibus ornamêto sunt: assidua atque intima cum DEO sermocinatio, quam creberrimus precandi vsus perfecerat, beneuolentia amórque in omnes communis; quo & mutuum amari merebatur, efficacia & solertia in rebus, quas gerebat, quam primus huius Prouinciæ Procurator Romam missus egregiè probauit; dum summum Ecclesiæ Pontificem, Catholicum Regem, & Societatis Generalem P. Eberardum ad suum nutum ita inflexit, nihil vt ab eis peteret, quod non facili operâ impetraret. Ad omnia Societatis cœlesti quodam dono factus videbatur: fuítque concionator non ignobilis: obijt Hispaniæ complures vrbes vberrimo cum fructu. Cùm in has partes traiecturus Astum, Portum Bæticæ nobilissimum (San Lucarr de Barramedâ, dicunt Hispani) peruenisset, dum opportunum operitur nauigationis tempus, sese

Digitized by Google

ad sacri præconis munus cõuertit; quod ea ciuitatis approbatione præstitit, vt Nebulẽsis comitissa, & Machimnensis Dux eius dicendi vi & morum integritate capti delectatíq; eum sibi à confessionibus esse voluerint. Limæ autem cum eodem modo Diuini verbi ageret præconẽ, Prorex D. Franciscus Toletus in medio foro suum solũ collocari iussit, vt ibi quadragesimę tẽpore bis in hebdomada pomeridianis horis verba è suggestu facientem Pinnam audiret: nempe quod illũ audire (ita Prorex P. Iosepho de Acostá Prouinciali affirmauit) in summis Dei beneficijs reponeret. Quod idem Quiti Regij Consiliarij cum Præside præstitêre: factũ quidem ante, & post illud tempus inauditũ his in regionibus. Nec minùs se laborum præbuit egregium sectatorẽ; cùm septem annis in vnâ eadémq; vrbe singulis quibusq; ieiunij maximi diebus (quod in Aragoniá solenne) non mediocri cũ fructu diceret ad populũ, & audientiũ numerus mirum in modũ augeretur in dies, tam cõtinenti labore fract⁹ minimè est: quin imò omnibus se confessionis causà adeuntibus à secundâ pomeridianâ ad noctẽ vsq; operâ indefessam nauabat: quod id tẽpus ad diuinã pensum persoluendum, & ad supernarũ rerum contẽplationi vacandum aliis negotijs subtrahebat: erat quippe sacrarũ cõmentationum maximè studiosus; quibus vt commodiùs vacaret, in tam affecta ætate vigilabat de nocte, & à primâ alteraué post mediam noctem horâ diuinæ huic exercitationi tẽpus impendebat; nec adduci vnquã poterat, vt frigoris vitãdi causâ diutiùs immoraretur in lecto:

Digitized by Google

to: interdiu oberrare ille in hortulo, vt ex intuitu herbulæ aut floſculi alicui⁹ in Dei admirationem amorémq; raperetur, quod noſtris hominibus B. Parens noſter fertur familiariſſimũ cupijſſe: interdũ turturem ad ſe vltrò accedentem liberéq; commorantem attentus intueri, manibus tractare, & ita ad eandem diuinæ ſapientiæ contẽplationem ſolitá mentis dulcedine ſeſe extollere: quæ res cùm vnũ quendá è Noſtris identidẽ aduertiſſet, voluit & ipſe cum turture familiariùs agere; qui tamẽ nec hominẽ ſuſtinuit nec accedentem exſpectauit; vt obſcurũ eſſe minimè poſſet, aues Pinnæ ſanctitatem & innocentiã aliquo modo ſentire cõſuêſſe: qui rumor multorũ ſermone percrebruit. De contẽptu verò, quo ſeipſum proſequebatur; paupertate, quã colebat; ſuauitate morũ, quà præditus erat; tranquillitate animi & conſtantiâ, aliiſq; id genus religioſi viri ornamẽtis, vt ſigillatim nihil dicamus; cùm propter aurium dolorẽ goſſipio odoramẽtis delibuto ex ſententia medici vteretur, idq; à domeſtico quodã notatũ cognouiſſet, ſtatim illud ab ſe remouit: malle vehemẽtiùs ſe laborare dictitãs, quæ occaſionẽ externis dare malè de Societ. hominibus exiſtimandi, eóſque, vt qui delicijs eiuſmodi etiã fruerentur, traducendi. Sed nihil æquè Balthaſarem noſtrũ poſteritati cõmendabilẽ reddit, atq; duorum teſtimonia Patrum, qui eius de tota vita confeſſionẽ exceperunt: qui ambo affirmãt, non modò mortiferam in eo noxam deprehendiſſe nullam, ſed neque maculam quidem, quæ ſingularis alicuius momẽti videretur, aduertiſſe.

Digitized by Google

Tantus ergo talisque vir ardore iecinoris & quotidianis febribus correptus vniuersam ciuitatem in luctum dedit; quippe quæ Pinnam sibi veræ sanctimoniæ exemplar diuinitus datum credebat. Prorex præsertim cum coniuge, qui cum illo familiarissimè agebat; & tum Limanus, tum noui Regni Archiepiscopus, quibus erat charissimus, suum erga illum amorem ægritudinis tempore declarârunt; ille enim qui suo nomine salutaret decumbentem, quotidie missitabat, hi verò humanissimè inuisebant. Demum sacramentorum præsidijs roboratus, & domesticis tantam animi trâquillitatem mirantibus placidissimè efflauit animam, quarto Calendas Augusti post septimam matutini temporis horam. Peruasit illicò vrbem vniuersam mœror, vbi domûs nostræ funebris sonus campanarũ eius obitum eiulgauit. Archiepiscopus Limanus, familiæ Religiosorum, & multi ciuitatis viri Principes nullius postulatu eius funus cohonestârunt. In tanto Patris desiderio solatio Nostris fuit, quod Collegij Rector narrauit, virũ scilicet quẽdam, spectatæ probitatis & pietatis ac miris alijs Dei beneficijs decoratum, sibi affirmâsse, internam se vocem, antequàm Pater decederet, exaudisse: *B. Pater Pinna, cùm obierit, recto tramite Beatorum domicilia conscendet, nec per ignem expiatorium transibit:* quod cùm homo ille euulgare nollet, mirè se inquietum & exagitatum sensisse, quousq; tandem ad bonitatis diuinæ commendationem, & Pinnæ sanctitatis declarationem, quod audierat, aperuerit.

Secun-

Secundo loco parentatum P. Ioanni de Aldana ſpirituali Coadiutori, qui ſupra ſexaginta annos natus, viginti in Societate verſatus cum inſigni demiſſionis exemplo, procurandæ ſalutis alienæ ſtudio ſingulari. Fuit tertius in eodem agmine Franciſcus del Heredià externarum rerum Curator: qui cùm annos vixiſſet ſexaginta octo vniuerſim, in Societate quadraginta duos, laborum ſuorum mercedem accepit. Præceſſerat iam Blaſius de Azonas familiæ addictus, trigeſimo quinto ætatis anno, qui ſexto ante obitū menſe poſt tirocinij biennium expletum Societatis vota nuncupauerat: quod tempus eo ardore animi omniúmque approbatione tranſegit, vt laborum breuitatem ſedulitate compensâſſe videatur. Quintus & vltimus fuit Ioannes de Caſſarubias, quē domeſtici omnes antonomaſticos feruentem ſpiritu nominitabant. Hic priuſquam ad ſanctius viuendi genus noſtrúmque ordinem ſeſe conferret, chartis pictis ludendo bonas horas tranſigere, lucróque inhiare conſueuerat; quem noxium morē audita vnius è Noſtris concione ita aliquamdiu deſeruit, vt in amicorum tamen gratiam non omnino abſtineret: donec tandem perditis aliquot aureis ludum infelicem pertæſus, ſumpto ſecum foliorum luſoriorum faſciculo domum noſtram contendit, hortatúq; P. Ildephonſi Barzanæ Tucumanēſium Apoſtoli, qui tunc Cuzchi morabatur, pijs B. P. N. meditationibus eſt excultus. Aliquanto pòſt tēpore Societatem ingreſſus ita maioribus ſuam præſertim obſequendi virtutem probauit, vti vel in arden-

Digitized by Google

tem fornacem ex imperio iturus crederetur: nec minùs se patientiâ suíq; ipsius despicientiâ mirabilem præbuit: charitate ea aduẽtantes ex Hispaniâ Nostros cõplexus est, vt cùm in caput apertáq; signa gestiẽtis animi æstus redũdaret, externos etiã in admirationẽ sui raperet. Ad quas virtutes egregia aduersus S. Iosephum pietas accessit: de cuius laudibus cùm agebat (agebat autem frequẽter, ingentẽ piorum carminum quasi imbrem emittens) dici vix potest, quanta afficeretur voluptate. Admirationi erat illius in B. Virginem Beatúmq; parentem nostrum Ignatium, religio, in quorum peruigilijs Fratres nostros ad publicam flagellationem cõuocare magna voce gestiebat, identidẽ dictitans, admonénsq; Collegas in tanti Ducis honorẽ non leui brachio tergũ esse percurrendũ. Exacta itaq; ætate vir egregius nihil aliud sibi censuit agendum, quàm ad mortẽ componere, cuius memoria vehemẽter delectatus alios festiuè subinde rogitare consuêrat, velléntne ad cœlum dare literas, quò ipse profectionem adornaret? Demum obstructis vrinæ vijs decumbere coactus, cum maximis doloribus cõflixit; quos tamen pijs sermonibus sacrísque de Iesu Maria sanctóque Iosepho cantilenis repetitis temperauit, & tam hos, quàm mortem ipsam hilari animo deuicit.

II. IAM ad notas eorum curas & vigilias, quibus vitam longiùs prorogare diuina bonitas cõcessit, promoueamus. Fuit in omnem ætatem Ordinémq; magna illorum charitas, fructuosus labor. Sacerdotum cœtus & numero & pietate

anget

Digitized by Google

auget Illustriſ. Archiepiſcopi benignitate, qui ei nō alumnus ſolùm, ſed & defenſor cupit haberi, eúmq; adeo ſua præſentia aliquoties cohoneſtat. De ſcholaſticis verò noſtris Parthenijs antiqua dicā, ſi quà alacritate officio ſuo ſatisfaciant; quà cōſtantia aduerſus Tartarei hoſtis machinamēta cupidiniſq; tela depugnent, cōmemorem: non pauci ex ea familia ad religioſam ſe contulêre. Et quia illis, qui Sodalitio Indorum aggregati ſunt, idem facere Religioniſq; habitū ac vitam ſuſcipere nō licet, Noſocomij ſeruitijs perpetuis, abſque vlla mercedis lucellivé ſpe vltrò ſe mancipant; quod vt liberiùs exequeretur nōnemo, officinā, qua victum cōparabat, ab ſe abalienauit, opellámq; ſuam pauperibus ipſe pauper addixit. Æthiopes magnum rerum ſuarum præſidium in nobis collocatū exiſtimant, confugiúntq; ad nos tanquam filij ad parentes, conſilia accipiunt, &c. exequuntur, eo profectu, vti rarum deprehēdas, qui in tot delinquendi occaſionibus lethali conſcientiā ſuam noxa cōmaculet. Non potuit hæc vitæ integritas parcos permouere, vt de vita decedētes cęlesti viatico proſpicerent: ſacro ſolùm oleo inungere ſolebāt, eo quòd vixiſſent hoc ſeruili eiuſcemodi mancipiorū captui iura Eccleſiaſtica indulgere arbitrarētur: procurauim⁹ igitur velut paruulis noſtris, vt ſacer panis in poſterūfrāgatur.

III. RARI quid habuere inſtitutæ ab quibuſdam exomologeſes, quas omnes diſſimulare conſultū non eſt. Indus aliquando primo mane anhelus ad Collegij poſtes affuit: pauidus etiamnum ſudoréq; madidus recēſuit, quot quámq; deformia

Digitized by Google

monstra Chimæris, tragelaphis & id genus prodigijs gemina, secundùm quietem videre sibi visus fuerit, quàm insolenti fremitu & ferocitate in se impetum facere apparârint, eò quòd à longo tempore animæ maculas non expiâsset; sed eorum vim vnum de Societate repulisse, monstráque in effusam fugam conuertisse.

Porrò ipse ad Sacerdotis pedes prouolutus lachrymis vbertim fluentibus contractas conscientiæ sordes eluit. Præstabile fuit desiderium illius, qui cùm sanctiori hebdomada confessionis ergo in ædem nostram veniſſet, & ob densum circa sacrum tribunal turbæ cuneum à Sacerdote arceretur, diebus Christo reuiuiscenti sacris eòdem regressus exspectauit in adultam vsque noctem, dum & ipsum audire Sacerdoti vacaret: illo autem temporis interuallo, quo occasionem sacræ cõfessionis captabat, tantâ eiusdem siti æstuabat, vt statueret nullum corpori cibum indulgere, donec animo de suo prouidisset. Ter quâuis magni ieiunij septimanâ frequẽtissimus ad sui diuerberationem in templo nostro instituendam fit accursus, numerus quingentos subinde excedit. Accidit, vt ijs sceleſtus se homũcio adiungeret, non tam animo seipsum cædendi, quàm gratificandi familiaribus suis, à quibus iure amicitiæ, quâuis id opus cane peius & angue odisset, est perductus. Cùm itaque cæteris intermistus historiam è Diuorum Annalibus depromptam narranti ante, vt fieri solet, diuerberationem auscultasset, ita immutatus est, vt & seriò dein in tergum suum flagellum vibraret,

ret, & insequenti die scelus, quo per summum nefas de medio aliquem tollere decreuerat acceptis prœmij loco mille aureis, vnà cum ceteris totius vitæ criminibus detegeret, sicam abijceret, nefarium peculium dominis suis redhiberet. Moribundũ adegit vnus è Nostris, vt apud ipsum criminum suorum faceret narrationem, quam à decennio nullam instituerat, & in ipso lethi vestibulo non tantùm procrastinare, verùm & penitus audebat abiurare: expiatus itaque tribus vix transactis horis felicior è vita migrauit.

IV. RECENS NOVÆ GRANATÆ Archiepiscopus luculenter pronuper suum in Societatem amorem est testatus. Licet enim cùm suas adornaret primitias, princeps in vrbe templum iuxtà & triclinium suum eam in rem amicissimè Limanus Archiepiscopus obtulisset, posthabuit tamen ista, cum bona ipsius Illustrissimi venia, ædi dietæque nostræ. Sacram ædem compleuerunt cum Regni Præside Consiliarij Regij, senatus vrbicus, omnisque generis & ordinis ingens multitudo: dietã verò obtinuêre præcipui quique grauissimique variorum Ordinum viri. Secundùm prandium Aaron summus veteris legis Sacerdos in proscenium datus est, actione cùm tempori venustè accommoda, tùm ob vestimẽtorum elegantiam Actorúmque dexteritatem Prouinciæ Præfecto, Archiepiscopis, cæterisque perinde gratissima iucundissimáque. Annuas Bacchanalium preces celebriores reddidit idem Illustrissimus Archiepiscopus: prima enim die solenni cum pompa fecit. Regni Administrator

Digitized by Google

cum primoribus more veteri matutinis pomeridianisque, de diuinis rebus, sermonibus toto triduo habitis interfuit. Templi res non parum aucta: bis mille quingenti aurei dono dati in sacrũ pro SS. Eucharistia venerationi exponenda ferculum, nouum & peramplum sacrarium, sacrúmque templi ornatum sunt expensi.

V. DIVERSIS TEMPORIBVS in diuersa adiacẽtis agri loca Limani Nostri pro more suo excurrerũt. Præteritis ijs, quæ superioribus annis fusè de misero rei Christianę ijs in locis statu, déq; occultatæ diu idololatrię detectione fuêre recẽsita, quæ ad hunc annũ spectant, enumerabo. Latissimus etiamnũ, in quem Societat. opera excurrat, patet cãpus. Primi inter eos, quibus hæc prouincia anno hoc cõmissa est, Chorillo exiêre, oppidum duodecim passuum millibus Huarochirio, cui præcedẽte anno præcipuâ operam impendimus, dissitũ. Multi ibi supererant sacrificuli, pertinaces suorum dogmatũ ppugnatores, qui miseram sępe plebeculã acriter exstimularũt, Christicolis Deum suum, Christum, Mariam colẽdos relinquerẽt, parro ipsi nõ minùs suos Pariakakã & Huacramarcam (non nisi montes & dura saxa sunt) adorare veneraríq; certarent: effecerunt, vt nõnulli Christũ execrati ad saxea illa Numina reuerterentur. His igitur sacrificulis primò bellum intulêre Nostri, è suggestu pro virili contra eos depugnarunt: tum in idola omnémq; paganam stultitiam vehementer inuecti idololatris deliria sua demonstrare, veritatis Christianæ principia tradere cõtendebant. Fructus extitit trecentæ de

vniuer-

viuẽtſa vita confeſſiones. Iidem paulò poſt partito iam cum alijs Noſtris onere expeditionẽ ſuſcepêre ad alia oppida, SS. ꝑcipuè Iacobi, & Laurentij de Quinti, q̃ ſimulachra omnémq; fanorũ ſuorum ſupellectilẽ iam paroeco tradiderant. Ibi poſt crebros de reb⁹ fidei ſermones, quadringẽtos de omnib⁹ vitæ tranſactę criminibus ſe accuſantes audierunt: quo percepto Illuſtriſ. Archiepiſcopus & magna lætitia perfuſus eſt, & maximas per epiſtolam operis noſtris gratias egit.

VI. EXINDE Noſtri ad omnia ſuperſtitionum monumẽta, delubra, ſimulachra, cõditoria, quæ Hilcas vel Huacas indigetant, & eius alia euertẽda penitũſq; euerrenda ſe accinxerunt: tres quatuorvé huic operi dies ſumpſerũt. Primo in tres Tãpillæ, Xamuñnæ, Pariakakæ ſtygias tabernas oppido S. Laurẽtij proximas, & innumeras ibidẽ Hilcas, manus iniecerũt: inde Tampillã (id oppidi ab idolo nomẽ eſt) petiuêre: vbi tria prę alijs inſignia in cõpluuio quodã viſebantur ſimulachra, quibus Mayziũ (quod frumenti genus eſt) coca, plumas, cruorẽ animaliũ, & ex cõtuſo lymphę q̃; cõmixto Mayzio potionem incolæ litabant: illa adeo erant circũuallata atq; munita, vt Noſtri cũ ea diruerent, non conſpicerentur. Itum hinc ad ſuburbanũ collẽ, vbi ad torrentis ripas ſaxa ſeptẽ velut Numina colebantur, quorum primũ Deos cis, transfluuiũ alterum referebat, tertiũ Pachacamæ dicatum erat, Punchao quartum, quintũ Pariakakæ, ſextũ Chaupinamocæ, ignoto Deo vltimum. Erat, qui his inſeruiret, nefariorũ ſacrorũ Antiſtes, ſaxeorũ Numinũ celebritates idolothytá-

thytáque ſuo ritu & more peragendi apprimè peritus; quod ipſe Sacerdotium iure hæreditario iam filiolo ſuo vix octenni tranſcripſerat, eúmq; tam bellè in miniſterio ſuo inſtituerat, vt de omnibus eam ad rem pertinentibus accuratam rationem dare noſſet. De colle igitur ſaxa celebri cum pompa, ſuaui reſonāte ſymphonia, applaudentibus cūctis magna vi in fluuium deturbata: cadauer de funeſtis Hylcis in pyras protracta: in qua re admirandam Indi alacritatem oſtenderunt, qui ne fortè flammæ alimentum deeſſet, nec proprijs tugurijs pepercerunt: trabes, paleas aliáq; de tectis dirutis apportarunt. Secundùm hæc in Xumunæ coloſsum ira verſa. Fuit Xumunna, vt ferunt, vir à militari arte celeberrimus, qui, quoniam huius regionis incolas olim contra potentiores hoſtes milite ſuáque induſtria adiuuerat, pro Deo etiamnum habebatur. Nomini Xumunnæ multi ad robur potentiámque Dei declarandam adijciunt Huaranca, ac ſi diceres, mille hominibus eſſe fortitudine parem. Inter reliquam cadauerum ſtruem, quæ in ignē protrahebātur, repertum fuit ſtrenui cuiuſdam Ducis (Tutayquiri dictum aiunt) octingenteſimo ab hinc anno vita functi cadauer integrum prorſus, ſeruatúmq; à flammis, dum Regni Gubernatori & Antiſtiti Limano ſpectādum afferretur. Caruapampa præ alijs ſtudioſè ab omni eius furfuris ſuperſtitione expiata. Quennuatampi ſtatua inter feſtiuum cornuum, tibiarum, tubarúmque clangorem penitus contrita, eiúſq; loco Chriſti crucifixi effigies religioſè eſt collocata:

Digitized by Google

cata: vbi dein ad Pariakakæ lustrũ in prealto colle situm progressus factus: foramen saxi, in quod libamina Deo suo idololatræ proijcere consuêrant, obstructum: gradus lapidei quibus in collem ascendebatur, sublati: aliáque, quæ vanitatem paganam redolerent, euersa: in eorum vicẽ cruces locis eminentioribus venerationi sunt expositæ. Interea dum hæc peragebantur, non obscurè Cacodæmon, quantum ea sibi dolorem parerent, incondito bellici instar tormenti boatu prodidit; quo audito indigenæ vna confestim voce Namhuanum mortuum conclamarunt: quod ijdem demũ in vrbem regressi, magna pyrarum funaliúmque hinc inde dispositorum copia lucescente, sonãte ære campano, & tibijs tubísque vndiq; concrepantibus identidem communi applausu repetiêre. Quibus ita feliciter gestis Limam Patres redierunt.

VII. ALIAS duo ex ijsdem Archiepiscopi iussu in hunc agrum egressi Karampanam ciuitatem intrarunt. Verum oleum & operam perdiderunt: constabat quidem simulachra ad triginta, Ariolos facilè ad quinquaginta supereſſe; nihilominus oppidani peruicaciter id negare.

Actum cum ipsis pro concione quotidie, Catechesis proposita, primarij viri aditi: verùm omnes vna contumacia non modò non animis, sed ne æquis quidem auribus sani aliquid consilij admittere dignabantur: nullus exomologeseos faciendæ colloquendivé gratia Patres adire, aut benignis oculis aspicere notabatur: eos se gerebant, qui ne hili quidem propriarum animarum

salutem

Digitized by Google

ſalutem facerent: idq; ſeu ob inueteratam animi peruicaciam, ſeu importunum interpellantium timorem. Nondum tamen de ſalute eorum omnino deſperarunt Patres: cœperũt nouo primùm feruore operi ſeſe accingere, veniã ab Archiepiſcopo reſipiſcentibus promiſſam priuatim publicè proponere, plures amicè viſitare, miſeros ſolatio opéque adiuuare, ſuaſmet imo reculas eis communicare. Enimuerò nihil *hæ virtutes duriora adamante pectora emolluêre*. Diſceſsêre itaque Noſtri ſine vllo operæ ſuæ precio, tam ab ipſis quàm S. Franciſci de Chaellâ & S. Ioannis de Luce oppidanis, eiuſdem furfuris homuncionibus. Attamen videbatur Deo, pro diuina in ſuos clemẽtia, tantus labor fructu aliquo compenſandus. Cùm peragratis his oppidis alia quatuor obirent, ſexcentas omninò & inter eas de vniuerſa vita quadringentas exceperunt confeſſiones. Vberiorem adhuc meſſem in S. Petri de Caſta oppido fecêre: eius incolæ Noſtros iam diu exſpectatos magna lætitia excepére, ad vnum omnes confeſſi: oppidúmq; ſuũ, confractis Paucarairi & Sicciuiccæ idolis, Sanctæq; crucis trophæis eorum loco defixis, ab idololatrica ſuperſtitione expiarunt. Ad S. Matthæi denique minori quodam larario diſiecto aliiſq; idololatrici cultûs veſtigijs obliteratis domum Noſtri repedarunt. Paucis poſt diebus Chorillo iterum egreſſi mille octingentos à noxarum omni ætate commiſſarum nexibus exoluerunt. Hunc Sociorum laborem Illuſtriſs. Archiepiſcopus eximiè ſibi placere datis ad P. Prouincialẽ literis oſtendit,

Digitized by Google

ſtendit, ſéque eorundem induſtriam multis apud Regni Præſidem laudaſſe teſtatus eſt.

VIII. TIRONES in Domo Probationis Limanæ gnauiter pro more ſuo in omne virtutum genus incumbunt: in Xenodochijs inſeruiunt ægris cum maximo eorum commodo, iuxta & bono vniuerſæ ciuitati exemplo. Externi complures ad præſcriptum à B. Ignatio modum pijs commentationibus exculti: plurimi omnis ætatis errata recognouêre. Ædificium ſurgit feliciter. Sacra ſupellex duarum Sacerdotalium veſtium aureo filo intextarum, quæ ſexcentis ferè pondo æſtimantur, octodecim item iconum à Dominis Petro Ordonio & Granatenſi Antiſtite donatarum acceſſione creuit.

IX. SEMINARII AD S. MARTINVM nomen, tùm è Noſtris ij, qui illic degunt, tùm eiuſdem Seminarij Alumni è prima nobilitate adoleſcentes, numero centum ſexaginta, egregiè pergunt promouere; ita vt cùm duo Præſules hac iter facerent, eóſque inuiſerent, rationem vitæ vehementer mirarentur, atque digniſſimam Illuſtrium virorum filijs deprædicarent. Quæ Seminarij laus non minùs claret ex eo, quod vulgò Religioſis familijs maximè dicatum audiat: quandoquidem exemplis complurium patet, & eos diſciplinæ Religioſæ eximiè eſſe capaces, & omnium lubentiſſimè ab cœtuum religioſorũ Præſulibus inter ſuos recipi. Hoc anno ſedecim ad varias religiones abiuêre. In ſcholis non minùs induſtriam ſuam probant. Sodales Virginis Lauretanæ & Angeli tutelaris haud vulga-

Digitized by Google

vulgare quod ad numerum quoad pietatem sumunt incrementum.

X. IN SEDE S. IACOBI extra vrbem Bacchanalium tempore ad coërcendam hominum insolentiam, iustámque diuini Numinis iram mitigandam, Nostri lineis induti humerósque crucibus onusti supplicationem secundùm concionem vespertinam instituerũt: quæ eadem supplicandi ratio quot insequentis ieiunij Dominicis diebus sub vesperum fuit restaurata. Mirè amant Peruuiani indigenæ Socios, ad quos velut ad àsylum aduersa fortuna pressi cõfugiunt, sentiúntque tantam eorum beneuolentiam, vt veros eos Patres appellare non rarò audiantur, & ducenti ipsis hoc anno fuerint adiuncti, magno ad veterem animarum curam cumulo. Ex ijs pecuniosus quidam, cùm, quàm grata sit superis stips egenis erogata, intellexisset, mox omnes facultates suas pauperibus elargiri in animum induxit. Cùm Sacerdos, qui Curionem agit, in sceleratos acriter è suggestu inueheretur, media concione vnus ex auditoribus, se illum ipsum esse, quem concionator tantopere increparet, exclamat; prouolutus in genua palam omnibus veniam mali exempli precésque impertiantur, supplex efflagitat. Indi maiori in dies odio compotationes auersantur: nuptias & eius generis sympoſia intra temperãtiæ terminos peragunt; quidam die nuptiali Chicam (potionis genus est) ne libare quidem voluit, sed vase confracto effudit, indignam quouis palato iudicans, quæ tot tantorúmque flagitiorum soleret esse scaturigo.

Memo-

Digitized by Google

Memorabilem aliqui solâ fugâ de Venere victoriam retulerunt: præter duos Indos ab Hispanâ vnum, alterum ab Indâ ad Venereas illecebras sollicitatos fugáque victores, æterna laude digna est quædam, quæ ipsummet, velut exemplar, Castum Ioſephum imitata, amissâ inter impuras manus pallâ aufugit, cùm ab nobili Hispano sæpiùs ad spurcitias prouocata, priuato tandem loco violentis manibus teneretur: accurrit inde ad Sacerdotem nostrum, qui, si vellet, ab hómine pallam repeteret: sin, se non pallâ tantùm, sed & omnibus vestimentis pari in causâ perditis carere paratissimam.

COLLEGIA GVAMANGANVM, CVZCHENSE.

XI. Mense Ivlio Gvamangam appulit Reuerendiss. D. Ferdinandus Mendoza Cuzchénsis Episcopus; qui licet ob domûs nostræ angustias cum suis ad Collegium non diuerteret, sed domum ex aduerso conduxerit, ipse tamen noctu aliquando, interdiu continenter apud nos morabatur, mensæ nostræ frugalitate contentus: literarijs exercitationibus exceptus honorificè. Suam porrò ipse erga Societatem beneuolentiam honorifico donario declarauit: tertio concione dixit ea ciuium approbatione, vt S. Chrysostomi ore dixisse asseuerarent. Æquè benignus in Sodales extitit Parthenios, inuisit, piâ adhortatione ad maiorem animorum cultum incitauit; celebrirati, quâ die Virginis Natali, vn-

de nomen traxit Sodalitas, aliquis inter eos Præfectus legebatur, interfuit: primum ciuium conuentum præsentiâ suâ dignatus, cùm de nomine cętûs sui consultarent, nomenclationē à Christo transfigurato approbauit. Cæterùm Sodales officio suo strenuè fungūtur. Nostri non domi solùm, verùm & in suburbanis locis sæpiùs cōsueto cū fęnore laborârūt. Hoc peculiare. Duodecim quidam annos Diuam matrē singulari in honore & cultu habuerat, singulisq; noctibus sacellū illius quoddam intrare, & ad lucernam inibi precari consueuerat. Quod hominis pium obsequiū sine eximio eius fructu misericordiæ mater abire nō passa, sese ipsi venusto placidóq; vultu visendam exhibuit, blandéq; allocuta ad vitā feliciorem inuitauit. Bona Collegij promota non parum: in nouam domum, firmum ædificium pérque commodum, transmigrauimus.

XII. AMISIT Collegium Cuzchense mediocri haudquaquā iactura indefessum operariū P. Gregorium Cisnerum, Vallisoletanū, Coadiutorem spiritualē; de quo mētio in cōpluribus annuis facta. Magnū in eo erat sui ipsius despiciēdi studiū, nec vlla apparebant ambitionis indicia: quin mirabili sępe artificio leporib⁹ suis, quibus modestè vtebatur, pluria ad paruā de se opinionē ingenerandā conducētia admiscebat. Peculiarē animos Peruuianorū lucrifaciendi æstum & eosdem tractandi peritiā habebat: leniſſimè humaniſſiméq; tractabat, quò rusticâ timiditate excusâ ipsi adhærerēt familiariùs conscientiásq; concrederent liberiùs: viginti octo annis, quos ijs impēdit, exomologeses excipiebat assiduè dicebat è suggestu frequen-

Digitized by Google

frequenter, ſagacitate vtebatur mirâ in erigẽdis erectiſq; conſeruandis Sodalitijs, quorũ trecenta admodũ ſub nomine Iesv conſtituiſſe cõſtat: negotiola abiectiſſima expediebat lubẽter. Neq; verò ſolis Cuzchenſibus, licet quidquid ferè hi pietatis habent, ipſi debeant, verùm & remotioribus locis feruorẽ ſuum, omnia Societatis munera ſtrenuè obeũdo, impertiuit; donec ſexageſimo quinto demũ ætatis año, tertio verò & triceſimo Societat. initæ, magnis laterũ doloribus tredecim ipſos dies afflictatus, ritè piatus deceſſit. Luctus pertinuit ad plurimos. Quamprimùm enim incolæ Obitũ ipſius ex funebri campani æris pulſu intellexêre, turmatim ad templũ accurrere, cõplorare, manus pedéſq; demortui oſculari, reliquiarũ aliud certatim ſibi vindicare, vt ſubmotâ magno labore turbâ terræ cadauer ægrè poſſet mãdari. Bis eo die Cuzchenſes ꝑ ipſo rem diuinã decantárunt: ſequentibus diebus ſingulæ ſuo ordine paroeciæ, non vrbanæ modò, verùm & ſexaginta ampliùs externæ iuſta eidẽ ꝑſoluere.

XIII. Cæteri Noſtri, qui ſuperſtites ſunt Cuzchi, indigenarum ſalutẽ Sodaliúmq; pietatẽ pro viribus ꝑmouent. Non mediocris impẽſa cura, vt decedẽtibus Indis SS. Euchariſtia præbeatur, & ipſi apti ad tam ſalutarem cibum capeſſendum reddãtur. Eandem curã Epiſcopus adhibuit, qui Curionibus negotiũ dedit, ne quẽ ſine hoc ſacro viatico decedere paterentur. Clericorũ cętus eiuſdẽ Epiſcopi operâ in meliorem longè ſtatum reuocatus. Nec minùs rẽ literariã mouet. Theologicę ſcholæ, cui ꝰ Doctori alter hoc año Collega dat ꝰ, exercitationibus literarijs ſubinde intereſt: diſputat.

Digitized by Google

Cubiculum in Collegio soli sibi destinatum habet, quò non interdiu solùm, sed noctu, si velit, etiam nobiscum possit morari. Itum sæpe à Cuzchensibus Nostris in vicinum agrum, reditúmque semper solito cum fœnore. Nec minores fructus legit P. Ludouicus Salazarius, dum Limâ cum Episcopo nostro Cuzchum proficisceretur. Annui Collegij reditus adiectis quibusdã tabernis, quæ in foro sunt erectæ, bis mille pondo (id monetæ genus est pretio octo denariorum) in singulos annos creuêre.

RELIQVA HVIVS PROVINCIÆ DOMICILIA.

XIV. DIEM extremum Arequipæ clausit Ioannes Garcia, formatus rei familiaris administer: memorabili vir sui ipsius despicientia, magnâ in domestico opere industria: cuius mors in molestę chiragræ & aliorum morborum diuturnitate clarum patientiæ magnanimitatísque nobis ostendit exemplum. Domi, foris Nostri sedulò curauêre: domi seditionem aliquam compressêre: foris quingentos ampliùs à contractis conscientiæ sordibus expurgarunt: tres ad frugem singulari opera reuocarunt. Rei familiari multa accessêre: vinea, ager, mille & quingenta pondo: terræmotuum causa ædificium laxatum & firmatum.

XV. IVLIDENSIVM NOSTRORVM numerus Fratre vno imminutus, Iacobo Gonzalio, ætatis octogesimo anno, quadragesimo quarto aditæ Socie-

Digitized by Google

Societatis: qui cùm aliarum virtutum non pauca reliquit exempla, tùm eam aduersum maiores obseruantiam, vt, cùm illorum cubicula transiret, caput detegeret, ea solùm, vt dictitabat, de causa, quòd in ijs Dei vicarios degere recordaretur. Quatuor ex illis, quibus Deus porro viuere dedit, Sacerdotes singuli parœcijs præsunt. Multi eorum opera, qui cœlesti epulo, aut ne ventri suo quid detraherent, peruersè abstinebant; aut subrustica arcebantur reuerentia; omnium à primis vnguiculis noxarum exomologesi ad sacrum se conuiuium comparauêre: nonnulli ijsdem fraudē suam, quà confessiones nondum lustrali aqua expiati, cætera Christianis cōformes frequentabant; pœnitudine ducti detexerunt. Inter Iulidenses frequentior sacrorum fidei mysteriorum, SS. præcipuè Eucharistiæ, vsus introductus. Sodalitia Iesu pueri, S. Eucharistiæ, & B. Virginis pergunt egenis benefacere: conuiuio bis quotannis excipiunt, vectigalia ipsorum vice pendunt, stipem largiūtur crebrò, quingentos alunt prædijs eam in rem conquisitis: centum quinquaginta, qui egestatem prodere pudore deterrentur, non exigua cura consulunt. In campum non rarò prodière nostri. Duo cùm Ciucuitensem Prouinciam lustrarent, quinque offenderunt magicarum artium Magistros, qui diuinādo imperitæ plebeculæ malitiosè imponebant: duos, quibus Cacodæmon Caziqui forma ex fœdere pro libitu aderat, & Tyli (maris terræque Dominum sonat) sibi nomen vendicabat, plurimi vel ex ipsis Hispanis consu-

Digitized by Google

lere consuèrant: inter eosdem mulier ea se gerebat temeritate, vt cùm Noster &, Ciucuitésis Vicarius aduenirent in vincula eam abducturi, ipsa intrepidè magica instrumenta produceret, quòd eos consultum accedere arbitraretur. Cæteris supplicio affectis ipsa tenetur in vinculis etiamnum: quo factum, vt non parum iam erroris sui plebem pudeat. Nostri, qui Tunguyum & Cepitam iuerunt, multos natu grandes, qui Christianos se fuerant mentiti, detecta fraude vndis piacularibus asperserunt. Pecuarios alij quingentos, ab offensis vniuersæ vitæ non paucos vindicârunt. Duo Gubernatoris ad Potosinos comites præter consueta, octoginta sex pellicatus in vera & constantia matrimonia traduxêre. In valle Moquehuanâ non minori cum fructu alius vnus laborauit.

XVI. CVIQVIABI præcipuè floret Sodaliũ pietas: Xenodochia inuisunt, ægris inseruiunt, esculenta ijsdem dispertiuntur: festiuitates ipsorum Cathedralis Ecclesiæ Canonici omnísque Clerus ac Prętor cum vniuersis Primoribus splẽdidè solent celebrare. Peruuiana puella præclarè suam aduersus Hispanum iuuenem pudicitiam propugnauit, qui sæpiùs eam adortus repulsam cùm semper tulisset, domum ducere cõstituit; sed inuictam puellæ cõstantiam neq; tum neq; aliàs, varijs licet machinamentis vsus, expugnare potuit: interpretes demum adhibuit nobilissimas matronas; quarũ vna aliquando, eam esse Numinis voluntatẽ, impudenter blaterabat, pio viro cœlitem id declarâsse: his enim eum verbis

verbis affatum: *Vade sis ad Indam, gratam Deo futuram nuncia, si nubat: sin minus, breui & corporis & animi integritatem amissuram, inq; graues ærumnas incursuram.* Facilè Virago fraudulentam seu feminæ astutiam, seu stigij veteratoris artem deprehendit: respondit se in sententia sua perstare, Deo confisam florem Virginitatis illibatum, dum viuat, conseruaturam. Compensasse nonnihil Virginis virtutem Deus videtur, dum breui importunum procum, simul & molestiam ipsius sustulit. Alios Castimoniæ suæ hostes magnanimiter ęquè repulit, fugauit. Sceleratus homuncio prętereà quod proprij parētis sanguine impias manus cōtaminasset, improbæ mulierculæ ad insaniam vsq; erat addictus: increpitus sæpe à Nostro fucū malitiæ prætexebat: diuina ira ei intentabatur, vsque dum reipsa illam fuit expertus: sudo enim & sereno cœlo, cùm ad villam ascitis itineris socijs concederet, fulmine ictus occubuit; illæsis, qui latera stipabant, comitibus. Vunga quidam cùm in extremis positus nullum, cui arcana pectoris sui detegeret, præsto esse Sacerdotem videret, ad vxorem versus magna doloris significatione: *Vides*, inquit, *me impiatum emori, te porrò per communis tori iura deprecor, meam, quam tibi interim concredam, conscientiam Sacerdoti cuipiam manifestes.* Piè illo defuncto vxor Cuiquiabū festinauit, Nostrum adijt & vltimam mariti sui voluntatē est executa. Suaserat Indæ laboranti Hispana mulier, veneficam, quam de salute sua consuleret, accersendā curaret: verùm oeyus illa: *Ab-*

Digitized by Google

fit, exclamat, *absit ratione tam turpi salutem corporis nanciſci, animi deperdere*. Extra vrbem Cuiquiabenſes Socij bis ſolitum operæ ſuæ pretium tulerunt. Quod ad rem familiarem, quater mille æris alieni pondo exoluerunt.

XVII. HORVRVM Socios duos miſerat P. Prouincialis, eo ſolùm conſilio, vt conſuetis Societatis munijs aliquot ibi dies defungerentur. Enimuerò cùm paulò pòſt ipſe coram & ingentes erga Societatem animos, & ſagacem operarum noſtrorum induſtriam, copioſòſque induſtriæ fructus cerneret & admiraretur, multis Horurẽſium precibus dedit, vt domum ædémq; ſacram Noſtris excitarent: qui mox opus aggreſſi quatuor menſium ſpatio ſacram ædem ad coronidẽ perduxêre, ita elegantem ac magnificam, vt non oppidanis modò cæteris facilè antecellat, verùm etiam vix vlli huius Prouinciæ primas concedat. Senatus vrbicus tres areas attribuit, plures daturus, ni ob cauendam aliquorum offenſionem renuiſſemus. Vir Horurenſium ditiſſimus, nulla licet in re familiariùs Noſtris vſus, omnia bona ſua, duodecies mille pondo annua legauit; non contemnendam eleemoſynam Ciuquiſacanus Archiepiſcopus hac tranſiens eſt largitus: alij ingentem lapidum aceruum quinquies mille pondo æſtimatum: alia quinquies mille numeratæ pecuniæ pondo alij impertiuêre. Cæterum grauem Noſtri aliquorum aduerſus Prætorem tumultum ſedarunt. Aliàs Sodalitium Hiſpanos inter coegêre, eidémque Prætorem adſtipulantibus

lantibus Sodalibus præfecêre, qui cùm semper conuentibus interest, tùm exemplo suo multos trahit, ita vt quadringentos nunc Sodalitiũ numeret, atque ceteris huius vrbis omnibus decrescentibus ipsum indies augescat Indis perinde ac Hispanis. Claudant Collegium hoc subitanea vnius Nostri fata, Aluari Carauallij in re nostra adiutoris, qui Horurum nuper missus in via ictu fulminis occidit: triginta sex habebat annos, è quibus sex in Societate cum laude transegit.

XIIX. Potosii par cum alijs annis Nostrorum fuit labor, par fructus. Feruet eximiè in Sodalibus studium pietatis: sacellum octies mille pondo erexerunt, atque ea parte, quà forum respicit, peramplum foramen reliquerunt, ad quod diebus festis sacrificium fiat, cui omnis nundinaria turba, quæ tria millia sæpe excedit, possit vacare. Sacræ templi supellectili addita, quinque auro intextæ Sacerdotales vestes, vnum attalica arte peripetasma; pulchri operis hierothecæ duæ, & bipalmaris ex argento cœlestis genij statua stellam è domo Lauretana capite gerens.

XIX. Vixit Cinqvisacæ P. Franciscus de Angulo, Coadiutor spiritualis, octogenarius, sexto & quinquagesimo anno sui in Societatem ingressûs: cuius labores noti Salmanticæ & Vallisoleti in Castellana Prouincia: noti apud Tucumanes & Paraquarios in Peruuiana: satis denique noti Ciuquisacæ, quo regressus dum saluti Indorum intentus ab exomologesibus excipiẽdis non cessaret, è viuis abijt. Nouam hîc de-

Digitized by Google

Christiani hominis officio ac moribus hoc anno scholam exorsus vnus è Nostris, quadraginta ipso initio numerauit discipulos. Nonnemo familiaria cum Dæmone miscebat colloquia, nec poterat ipse ab nefaria hac familiaritate sese exoluere: conuenit Sacerdotem nostrum causa confessionis: accepit ab eo numisma B. P. Nostri icone insignitum: quo mox fugatus Cacodæmon nunquam amplius ad pristinum colloquium redijt.

XX. COCIABAMBAM, cum de Collegio ibi cõstituendo ageretur, Pater cum Socio missus est; quantum effecerit, hæc, omissis alijs, testes sunto. Duo fratres germani hostile aduersus Clericum odium gerebant, necem illi diu noctúq; meditabantur; nec facili labore à Nostro in veterẽ amicitiam poterant reponi. Alterum è fratribus aliquando Noster, cõuocatis eam ob rem eiusdem familiaribus, conuenit de peruicacia dehortatũ: at verò aleã vix tentarat, cùm ille furibundi instar in terram se prouoluere, spumare, suillo inconditóq; clamore fremere, ac dirissima quæque sibimet imprecari, si à cõcepta mente vel latum vnguem discederet. Perduxit tandem ipsum Pater ad aliquam extra vrbem Parochiã, vbi sacrificio assisteret: ibi inter rem diuinam SS. Eucharistiam manibus capit, & ad hominem conuersus diro mitissimi Saluatoris nostri ob scelera exantlatos dolores proponere, atq; immanes illas Tartari pœnas æternum ipsi, ni resipiscat, tolerandas cępit explicare. Tum ergo demum exhorruit ferox, & omni extincto irarum œstro periculum ab ini-

ab inimici capite auertit. Mulier, quæ corpus ſuum fœdè proſtituerat, frugi facta eſt, ita vt & octauo quoque die ſacrum adeat conuiuium, & vulgò Teatina (quomodo & nos Hiſpanum vulgus appellare ſolet) audiat, & illius impulſu agnatæ feminæ eandem teneant viuendi rationem.

Quidam Cociabamba egreſſus fluuium traijcere parabat, cùm ecce tibi nigerrima duo deformiſſimáq; monſtra eum adorta fauces præſtringere animámque elidere contenderent: ſed mox ſuperueniens candido vultu iuuenis tetras beſtias in auras diſpulit; hominem, noſocomium peteret, & apud Patrem ſcelerũ ſuorum virus exſpueret, admonuit. Quod ſimul ille præſtitit, priſtina animo tranquillitas redijt. Spectata itaque Noſtrorum induſtria vniuerſi Cociabambæ incolæ eò magis negotium de Societate inibi conſtituenda cœperunt vrgere: eámque ob rem concilium aliquando coëgerunt: & tum quidem quaterdecies mille põdo à præſentibus collegêre: tantundémque ferè duo ab ijs aſſignati, vt Patre noſtro vrbíſque Secretario comitati abſentium liberalitatem experirentur, acquiſierunt: pondo itaque trigeſies quater mille, aceenſitis octies mille à ciue donatis, nobis ſunt numerata: præter quod in ſpe eſt ab ijs, quorum liberalitas nondum tentata. Erectione Collegij iuſtas ob cauſas huc vſque ſuperſedimus.

XXI. QVITI obijt P. Michael Hieronymꝰ quinquagenarius, ſeptimo poſtquã venerat in Societatem anno, virtutibus omnibus religioſo viro dignis

Digitized by Google

dignis ornatissimus. Cæteri suam cum Societatis laude & non paruo ciuitatis commodo stationem tenent.

XXII. SEDIS AD S. CRVCEM inquilini consuetas excursiones fecerunt, atque eodem, quo aliàs, pacto saluti animarum domi forisque inuigilarunt.

††*†*

†

PRO-

Digitized by Google

PROVINCIA PHILIPPINÆ.

Procurant Philippinas noſtri omnino nonaginta: tres vitâ functi tres in eorundem locum adiuncti.

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Aduiuores.*
Collegium Manilanum	XLIII.	XIX.		XIV.	X.
Zebuanum	X.	IV.			
Sedem Antipolanam	V.	III.			II.
Sillanenſem		II.			
Boholanam	V.	IV.			I.
Carigaranam	VI.	IV.			II.

Digitized by Google

	Vniuerſim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholaſt.	Adiutores.
Dulachianam	V.	IV.			I.
Tinagobenſem	V.	IV.			I.
Palapaganam	VI.	V.			I.
Miſsionem Areualenſem	III.	II.			I.
Butuanam	II.	I.			I.

A paganis ſuperſtitionibus ad Chriſtianam veritatem Noſtrorum operâ vniuerſim in Prouinciâ tranſierunt mille ducenti.

Seditiones magnæ deſæuiêre duæ.

A B. Virgine, B. Ignatio rebúſque Deo ſacratis remedia malis ſuis accepêre viginti.

Digitized by Google

COLLEGIVM MANILANVM CVM MISSIONE AREVALENSI.

I.

DVOS HOC ANNO MORTE amisimus, industrios sanè viros; alterum in re familiari, in animarum procuranda salute alterum. Primus est Daniel Theoclytus, patria Castrensis, formatus rei nostræ administer. Habuit annos ætatis quinquaginta, sui in Societatem ingressus viginti duos; obijt non tam grauitate annorum, quàm aduersæ diuturnitate valetudinis, decennis nimirum dysenteriæ, confectus: in quo tamen suo morbo ita semper se gessit, vt nunquam officio suo deesset, aut in vllare quicquã remitteret, multò minùs omitteret; dum tandem lecto affixus, & omnibus fidei nostræ mysterijs expiatus feliciter in cœlum, vt spes est, emigrauit. Dedit autem aliqua cùm ante, tùm ipso Societatis initæ exordio non obscu-

Digitized by Google

obscura futuræ virtutis indicia. Candidatus Religionis nostræ simul audijt ex P. Prouinciali fore, vt si quam artem, præsertim verò sutoriam, addiscceret, non difficulter reciperetur, extemplo (ciuis licet non de infima plebe) de Sutoriæ Magistro sibi prouidit, nec multò pòst eiusdem artis gnarus Societatis in Manilana Insula se stitit. Aliàs in Insula Mariuclez, quinque à Manilana leucis dissita, varijs laboribus exercebatur; lateres maximè, cæmentum aliáque ad ædificij structuram necessaria comportando: inde Manilam ad penum aduehendum missus paruulam afflictámque scapham cõscendit; ac licet aduersam tempestatem præsentiret animo, parendum tamẽ ratus, ac B. V. matris suæ fauore fretus mari se credidit; euasitque ad littus, magno à procellis variè scapham huc illúcq; iactantibus, & tantùm non euertentibus periculo perfunctus; mirante, quæ ad rei spectaculum confluxerat, multitudine. Cùm in tirocinio adhuc esset, iussus est ad dandum virtutis suæ specimen petere à mercatore, quem fortè adibat, colaphum; *quod ipse* alacriter executus in vicem colaphi liberalem eleemosynam & tum & aliàs sæpiùs ab homine illo reportauit. Ex quibus facilè quisque æstimabit, quà dein virtute fuerit & animi candore, quanto otij odio, dum multo tempore à media nocte ad vsque surgendi tempus pinsendo pane occupatus, nihilominus & consuetis mentis exercitijs nostris, & fuliginosis culinæ ac continuis sutrinæ laboribus fuit perfunctus; quà denique patientia in decennali ægritudine illa, in quà nec

paucio-

Digitized by Google

pauciora, nec minori cum animi tranquillitate, & erga Nostros charitate præstitit.

II. ALTERAM dein iacturam fecimus in P. Angelo Armano, anno ætatis suæ quadragesimo, initæ Societatis vigesimo secundo, post maximos inter Maragondonenses Barbaros exantlatos labores vita apud nos functo; viro omnibus, quà corporis quà animi dotibus eximiè ornato. Natus est in Hetruriano Lunæ Promontorio: Romæ Societatem ingressus: inde cum P. Petro Morales nouæ Hispaniæ Procuratore anno M. D. XCIII. Mexicum discessit; vbi Philosophiam ac Theologiam audijt, politiores etiam literas docuit, & præter eas cœtum Parthenium rexit, ea industria iuxtà & fructu, quem & manifestè ostendunt centum quinquaginta ampliùs ex Parthenijs ad diuersas religionũ familias eius sub regimine digressi, & abundè testantur crebræ tum temporis animo ipsius diuinitus infusæ suauitates, quas ab ipso quidem reperimus annotatas, non tamen sigillatim perscriptas: studio nimirum eas sedulus laudum suarum contemptor subticuit. Anno M. DC. I. ad has insulas traiecit ex Mexico: quâ in nauigatione multis maris tempestatibus feliciter est perfunctus, non tam fortunâ credo, quàm B. Ignatio fauente, cuius iconem ipse continuò contrà ingruentes æquoris procellas altiori loco defixam opposuit. Sed de hac nauigatione latiùs ipse agit annus ille. In hac porrò Philippinarum Prouinciâ multis in Societat. muneribus egregiè suam nobis industriam probauit: Grammaticæ Oratoriæ-

Digitized by Google

que facultati docendæ, ac dein Hispanorũ S. Iosephi Seminario regendo præfuit aliquamdiu, magno vbiq; cum scholarium nostrorũ cõmodo. Et quia præferuido erga Indorum salutẽ inardescebat desiderio, in Antipolana sede id, quod toties in votis habuerat, est assecutus. Ibi enim & magnam in tenera Indiçæ gentis segete laborandi habuit copiam, & copiosam multa ab Aduersarijs Itis, feris hominibus, tolerandi occasionẽ; quò enim illi maiore ipsum amore cõplectebãtur, eò hi barbariore eundem odio prosequebantur; quin imò & obscurioribus modò siluarum latebris abstrusi Itæ, & densis modò dumetorum virgultorúmque ramusculis occultati, ipsum ad necem destinatum præstolabantur; & prætereuntem sæpiùs confeciſſent haud dubio, ni P. Angelus diuinâ Angelicáque ope, securus & incolumis, templo etiam domóque, nostrâ ab ijs aliquando combustis, permansisset. Non tamen hæc atq; id genus similia Patris feruorem imminuebant, sed magis magísque acuebant, & splendidiorem, velut ignis aurum, indies reddebant; id quod non obscurè ipse quidem est testatus, dum in manuscripto quodam suo eosdem hostes suos & honesto benefactorum nomine dignatur, & ijs pro gratiarũ actione omnia fausta feliciáque apprecatur. Ob hunc igitur tum salutis animarum amorem, atq; easdem tractandi peritiam, tùm etiam miram in rebus aduersis magnanimitatem atque constantem omnibus in rebus animi tenorem, plebi iuxtà ac Magnatibus erat acceptissimus.

Philip.

Digitized by Google

Philippinarum certè Gubernator virtute viri captus, ſtudioſè in eius aliquando familiaritatē ſeſe ingerebat, & ipſi etiam ſecretiora non rarò conſilia ſua concredebat. Operâ eius vſus eſt aliquoties, ter præſertim. Expeditio aliquando aduerſus Hollandos quoſdam piratas erat ſuſcepta, cui dictus Gubernator cum ſumma poteſtate præfectus hunc P. Angelum Socium itineris & laboris ſibi aſciuit. Et labor quidem tum Patris fuit, non milites ſolùm in fidei noſtræ dogmatis meliùs inſtituere, ad pugnam eos animare, eorūdem exomologeſes diu noctúq; excipere: ſed eadem etiam ad indigenas Indos transferre; ita quidem, vt non immeritò poſt hos labores viri vires intercapedinem quietis aliquam requiſiſſent, niſi indefeſſum eius laborandi ſtudium aliud ſtatuiſſet. Vix enim hac expeditione perfunctus aliā maioris momenti in ſe ſuſcepit. Profectus eſt cum eodē Prætore in inſulas Molucas ad ſedandos regni illius tumultus, & munitionem Giloli expugnandam; atque ibi eadem, quæ proxima in expeditione, licet non ſine vitæ diſcrimine, cum magno cōmilitonum ſuorū fructu peregit; quemadmodum eiuſdem temporis annuæ fuſiùs oſtendunt. Exinde ad nos rediens totus fuit in ſalute aliorum promouendâ; Indorum tamen magis quàm Hiſpanorum; modeſtè ſimul & lepidè, Hiſpanicū ſe cultum vtpote politiorem, ſubterfugere dictitans: donec tandem ſupremum vitæ ſuæ laborem in nupera ad Maragondonem & Indanem excurſione eſt aggreſſus. Sunt autē Maragondonis & Indanis incolæ

Digitized by Google

barbari ac rudes, præ quàm alibi : apud ipsos sacrorum fidei Catholicæ mysteriorum vsus nullus, præter sacri baptismatis notitiam apud plurimos exiguam aut nullam, Christiani hominis signum nullum : non pauci interioris terræ tractûs indigenæ paganis adhuc superstitionibus delirant. Horum igitur clientum suorum necessitati Archiepiscopus ac Prætor subuenturi Nostris prouinciam hanc obtulerunt. Tum P. Angelus vnà cum Socio itineri se accingens, adiuncto duce quodam nobili viro, in eas terras est profectus; & multis in fide incolarum excolenda præclarè in itinere gestis Manilam rediére, de obseruato terræ situ indigenarúmque moribus rationem reddituri.

Mox autem P. Angelus, quanquam gratus & necessarius cunctis Manilensibus videretur, omnibus se impedimentis exoluens ad Maragõdonos regressus, partes suas gnauiter grauitérq; cœpit agere. Solitum ipsius erat Catechesi puerilem ætatem instituere, & precatiunculis ediscendis imbuere, verbum diuinum disseminare, Barbarósque cohortando ad Christianè viuendi normam adigere, peccata eiurantes audire, infirmis copulatos coniugijs ritè coniungere, sacramenta administrare, omniáque seduli pastoris munia obire. Nec oppidis studium Patris cõtinebatur: excurrebat non rarò in agrum via aspera admodum ac difficili; feras dixisses insectari: inter cæteras certè diram quandam bestiam, non magno clamore in casses suos compulit. Erat is homo ferus, nefarius ac crudelis, Hispanos de

Digitized by Google

nos de improuiso sæpe adortus spoliauit, vulnerauit, trucidauit; hunc P. Angelus suauiter alloeutus ita mutauit, mitigauit, vt agnus deinceps, aut veriùs angelus posset appellari. Hinc igitur quantam aliàs messem collegerit, conijce. Minimè interim has animarum curas diligentior proprij corporis cura releuabat: victum quippe suppeditabant sæpiusculè rusticæ herbæ solo sale conditæ, quas famelici etiam Prætoris serui eò aliquando missi stomachus fastidierat. Quantis autem Deus interim delicijs hæc serui sui ministeria lenierit, liquet ex ijs, quibus & gratias egit illis, qui ipsum ad talia circa salutem animarum negotia admouissent, & vt ijdem in omnibus, præterquam in precibus, sui obliuiscerentur, ardenter optauit. Pleniora tandem attulit ei laborum præmia mors, nobis equidem tristissima, ipsi longè exspectatissima. Febri in graui illa inedia corporisque defatigatione correptus Manilam repedauit; vbi febris demum in lethargum desijt: de præsenti ergo vitæ periculo cum admoneretur, ad nos conuersus: *Equidem*, inquit, *neminem esse reor, qui aut minùs anxius, aut magis lætus quàm egomet ob hunc nuncium esse possit.* Omnibus igitur munitus fidei præfidijs, cùm adhuc diem inter maxima grauis soporis tormēta duceret: *O mi IESV: CHRISTO laus*: aliaque similia identidem proloqui est auditus; donec vincente demum lethali somno obdormiscens è vita hac ad feliciorem alteram, vt speramus, decessit. Simul æris Campani pro exequijs datus est pulsus, tum omnis ordinis sexús-

Digitized by Google

que homines in templum noſtrum agminatim confluere, ipſe etiam cum primatibus Prætor lugubri indut⁹ habitu ocyus aduolare; illachrymari alij, alij crebros ſingultus ciere, omnes P. Angelum, Patrem ſuum, Angelum, ingeminare. Ita communi omnium luctu cõmuni parenti in æde noſtra eſt parentatum: ſed nec in æde ſolùm noſtra: pertinuit imo luctus hic nec ad alia ſolùm huius vrbis templa, verùm etiam ad vicos & oppida vel remotiora. Taytayenſes certè bis frequenti conuentu in terga ſua ſæuiêre, die autem tertio pulla veſte cõtecti magnam in medio templo molem appenſis circũ funalibus pro iuſtis P. Angelo perſoluendis excitârunt: eãdem iterum in tertiũ vſq; diem Sodales Mariani eandem ob cauſam conſeruarunt. Ipſi deniq; vltimi Maragondonis incolæ allato de Patris ſui morte nuncio ad ædes ſacras conuolârunt, vnanimi eiulatu orbitatem ſuam deplorarunt, in vicem tam gratæ memorię quàm exequiarum fidei Catholicæ myſteria, quæ ab Patre Angelo non pridem didicerant, flebiliter decantârunt. Quanto igitur in omnium amore oporteat fuiſſe, cuius fatũ omnes tam iniquo animo videmus pertuliſſe? Magno apud Deum in amore fuiſſe illa, præter quæ dicta ſunt, inſuper copioſè oſtẽdunt, quæ pòſt ab ipſo ſuæ pietati præſcripta reperimus. Mirabamur equidem nos ei, qui tot pijs alijs miniſterijs fuiſſet diſtentus, tẽpus ſuppetiiſſe ad ea, quæ ſibi præſtituerat, perficienda. Præter longam Diuorum ſeriem, quam quotidie, adiũcta cuiq; apta precatiuncula ſubiunctiſque varijs gratia-

gratiarū actionibus relegebat, multa feruida præ manibus habebat exercitia, & pia animi propo-sita. Omissis alijs, ne longiùs æquo excurrat nar-ratio, vnum aliquod alterumvé delibabo. A de-cimo octauo Calendas Septembr. (quo tempore sacris commentationibus annuè se dedere erat solitus) anno sexto supra millesimum sexcensi-mum hæc sibi præfixit gnauiter exequenda:

Mihi meóq; muneri exactè attendam; nullius a-lienis negotijs me implicabo, à rebus per superiores vetitis diligenter abstinebo, studebo non propriæ com-moditati indulgere, non imperare socijs, sed obtem-perare, omnibus quoad potero inseruire. Et subne-ctit appendicem. *O Domine da, quod iubes; & iube, quod vis. Amem prorsus nesciri, & pro nihilo reputari; nihil etenim sum; quod si aliquid sum, pec-cator vtiq; sum.*

Aliàs epistolam R.P. Claudij Aquauiuæ in par-tes pro singulis mensibus singulas partitam, sin-gulas scilicet diuini Numinis perfectiones in an-num sequentem expendendam constituit hoc, quo sequitur, modo:

Augusto mense considerandæ maiestas Domini, ante quem tremunt Cherubin: ergo timor augen-dus. Septembri præsentia, quâ respicit & allicit nos; ergo munditia animi querenda tali coram arbitro. Octobri dominium, quo Dominus Do-minantium est; ergo obedientiæ eius studendum. Nouembri Prouidentia, quâ gubernat & regit om-nia; ergo fiat voluntas Domini & iacta cogita-tum tuum in Dominum. Decembri beneficentia, quâ nos donis cumulat, ergo gratitudo tenenda.

Digitized by Google

Ianuario. Sapientia, quâ nos docet recedere à malo & facere bonum; ergo audiam, quid loquatur in me Dominus Deus, ego autem non contradicam. Februario pulchritudo, quâ etiam nos pulchros efficit, comparatione cuius omnia etiam fœda sunt : Deus quis similis tibi? ergo mihi adhærere Deo bonum est. Martio suauitas ac dulcedo : Gustate enim & videte, quoniam suauis est Dominus : ergo palatum cordis purificandum. Aprili liberalitas, quâ cuncta dat, & dabit affluentem mensuram bonam; ergo date & dabitur : Hilarem datorem diligit Deus. Maio Amor . cùm amat, vult amari : Qui diligit diligetur à Patre : Amatte charitas, amat immensitas; ergo ama vsq; ad languorem. Iunio Spiritus & vita : Viue Deo, à quo & per quem viuis, & in quo vives: nec viuit anima, quæ Deo non viuit. Iulio centrum ac finis omnium Deus est : Inquietum est cor nostrum, donec requiescat in Deo; ergo aufer peccata etiam leuia, qua nil nisi pondera sunt & impedimenta.

Supersedeo hîc fusiùs viri virtutes persequi, cùm ex dictis colligi etiam dicenda possint.

III. HANC sibi messem Deus fecit. Inter Collegij fructus, præter quos vltimo vitæ suæ hoc anno P. Angelum collegisse diximus, primi illi occurrunt, quos Pater aliquis noster, huc è Mexicano regno vnà cum Fratre profectus, nõ paruos quà terrâ qua mari ex itinere legit. Terrâ quidem Apaculci (nouæ Hispaniæ portus est) dum vnius mẽsis spatio ibi detentus nauim, quæ in Philippinas solueret, præstolabatur. Commodùm eò loci gratiæ, tum temporis vniuersæ Eccle-

Ecclesiæ à Paulo V. indultæ, nondum erant delatæ. Vt igitur munere suo secundùm Societatis morem hac in re aliásque deinde faciliùs Sacerdos noster fungeretur, nihil potius sibi duxit, quàm easdem de superiori loco promulgare. Id autem quò maiori cum celebritate simul fieret & fructu, supplicationem ad Parochiam adornauit, ex variis præcipuè Religiosorum hominum Sodaliúmque cœtibus iunctam; in qua quidem ipse Pater sacro amictus habitu partem de S. Cruce sub Conopæo detulit. Vbi ventum in ædem, Pater cõscensâ cathedrâ de eo, quod propositum erat, cum frequentissimo auditore non sine magno fructu egit. Idem perorandi genus quauis feriâ sextâ sub vesperum in posterum tempus continuauit, eâ semper frequentiâ, vt cùm minimè amplum satis pro auditore templum esset, in plateis viciníque locis turmatim circumfluerẽt, atque in solis æstu perstantes diligenter ad dicta aures aduerterent. Ante concionem prima fidei rudimenta proponebantur: & quia auidis æquè auribus hauriebant adulti, atque pueri puellæque, idem studium Dominicis quibusuis diebus fuit repetitum, ferè & tum maiorum multitudine paruulos præpediente. Hinc ergo factum, vt quàm multi isto Socij nostri feruore à lethali peccatorum veterno excitati vitam pristinam in melius mutárint, & conscientiam suam maculis, aut ab ipsa pueritia aut saltẽ à proxima exomologesi cõtractis magnum præse dolorem ferentes emundarint. Inter cæteros erat, qui impios mores suos iam fastidiens de remedio isthoc cogitaret,

Digitized by Google

gitaret, cùm ecce importunus impostor Cacodæmon aduolat, & varios terribilésq; variarum bestiarum vultus induens hominē in cæpto impedire, & multis intentatis diris de consilio conatur deturbare: quem tamen ille DEIPARÆ Virginis, cuius rosarium recitandi consuetudinem semper tenuerat, implorata ope non difficulter in Orcum repulit. Ita Apaculci Nostri non minùs Religiosis familijs, quàm populo plebíque erant gratissimi. Luculenter id inprimis testati sunt S. Dominici discipuli, tùm priuata cum Nostris familiaritate, & crebris vltro citróque de rebus diuinis propositis solutísque quæstionibus, tùm etiam publicis præclari Societatis nostræ instituti, susceptique eo loci operarum nostrarum laboris deprædicationibus. Rebus ita pro voto gestis, Pater cum Socio, quâ proxima potest occasione, mari Manilam versùs se committit: Neque in naui agit otiosius: hortatur ad mores, rudibus res fidei explanat, profanos sermones sæpe interruptos inmeliores conuertit; ita deniq; strenuè agit omnia, vt nullus ex quadringentis vectoribus reperiretur, qui sarcinam peccatorum apud Patrem, licet aduersa tum valetudine vsum, non deponeret. Hinc factum, vt statim in milites, si qui fortè inter ipsos iurandi consuetudinem reuocarent, animaduerteretur ab eis, qui potestatem habebant: hinc videre licuit restincta odia ac simultates: hinc alij boni fructus multi pullulárunt: hinc præclara denique de Societate nostra apud omnes opinio, ita vt vno in eam

eam recepto alij nonnulli eandem in votis habeant.

IV. MANILÆ PRISTINA feruent adhuc Nostrorum opera, in Ecclesia Cathedrali, alijsque locis & Parochijs, in sermonibus priuatis publicisque, quibus ipse regni Præses cum Regio senatu aliisq; Proceribus non rarò, celebrioribus maximè diebus interest. In confessionibus excipiendis, in enodandis intricatæ cõscientiæ dubijs à primoribus populóq; propositis, in Catechesi pueris seruisq; neophytis propinandâ eosdémq; munusculis alliciendo, in puellis prima literarum elementa docendis, in conciliandis dissidẽtium animis, subueniendo morti adiudicatis, addictis carceri & triremibus, egentibus (quorum triginta, Hispanos illos quidem, ad ianuam alimus in magnâ nunc Orizæ caritate) mœrentibus aliisque aliâ ex causâ miseris opitulando. Ita messis copiosa hîc esse solet, vt pares ei operæ nostræ non sint, tanto præsertim tot ex orbis partibus ad celebres has Archipelagi nundinas confluxu, Sinensium, Iaponensium, Terrenatensium, Malachanorum, Æthiopũ, Pampanguorum aliorùmque complurium; quorum nõnulli ipsi iam letho proximi sacro lustrari baptismate expetierunt, & vix lustrati decesserunt. Tagali præterea bis mille ampliùs ad nos aditant, fœdásq; animarum sordes expurgant, libentiùs se Nostris, quàm proprijs Parochis conscientias suas credere dictitantes. Cura ad hæc ædis S. Michaëlis extra mœnia positæ ad Collegium pertinet, ad quã domus pro Sacerdote nostro vnà cũ Socio

Socio ibi morante hoc anno est adiecta. Singulari cultu festum Dominici Corporis diem habuimus, augētibus celebritatem duobus Ecclesiasticis Præsulibus, Cæsarensi & Segouiensi: fecit hic, illé dixit grauiter simul & eruditè: vterq; mensæ nostræ accūbentes magnopere quæstionis è sacris biblijs petitæ per scholasticum Fratrem nostrum explanationem comproharunt.

V. NVNC eorum, quæ paulò ante de studio Nostrorum dixi, paucula adscribam exempla. Omnium maximè visi sunt indigere opera nostra ij, qui pugnâ cum Hollandis superiore anno habita capti, etiamnum tenentur: impetratum itaque est, vt ijs minimùm, qui hæreseos virus eiurauerint, libero vsque ad noctem passu in ædes sacras ventitare, & si quibus opus habeant, alibi liceat quæritare: ipsi nos in singulas hebdomadas cœnulam aliquam eis paramus: neque non & animos suo cibo reficimus: quo fit, cùm vt nonnulli hæretica adhuc labe infecti faciliùs ad veram Ecclesiam reducantur, tùm vt Nostros ita arctè plerique complectantur vti & odij, quo inuisum sibi olim Iesuitarum nomen prosequebantur, non parum pudeat; & alacriter spondeant, se aliquando inter suos, si ad eos redire contingat, egregios laudum nostrarū præcones futuros. Non paucos de alio vinctorum genere à vinculis, non neminē ab extremo supplicio Nostri liberarunt. Procurarunt denique, vt Sodalitas sub Misericordiæ nomine coacta, hícque celebris virum idoneum daret, qui inopum ideóq; sæpe diu sine ope in vinculis detentorum causas pro tribunali defendendas susci-

peret,

peret; assignato eidem stipendio, quò & in hanc rem solam gnauiter incumberet, & de munere suo singulis hebdomadis eidem cœtui rationem dare minùs grauaretur: effectum itáq; est, vt & in insontes iustiùs, & in plurimos sontes animaduertatur leniùs: præcipuis eiusdem cœtûs Sodalibus non rarò intercedentibus. Ciuium duorum animi tanta in sese ira efferbuerant, vt quà publicis coram iudice criminationibus, quà priuatis mutuò sarcasmis sese impeterent: interueniente Nostro facile ira deferbuit, ita vt datis vtrinque dextris firma concordia familiariter nunc conuiuant. Erat mulier, quæ non solùm sine omni reuerentiæ signo; sed etiam sacrilegè tremendum SS. Eucharistiæ panem edere audéret: non abfuit diuina vltio: ipsum enim octiduum cõtinuò aculei quidam sacrilegum ipsius guttur cruciabant. Et sentiebat illa quidem hos in corpore dolores, donec augescente adacta cruciatu, confessione dolori remedium inuenit: nunc molestia omni libera suauiùs cœlesti cibo reficitur. Leuiorem ob culpam maiores alius pœnas luit. Is præsagiente licet animo malum, altero tantùm genu flexo sacrificijs interesse consuêrat: curuauit igitur & alterum genu cancer, qui hominem demum, agnitam Numinis vltionem patienter ferentem, confecit. Primarius quidam vir tenuitate rei suæ eò dementiæ desperationisque deuenerat, vt constituerit, aut, quò genio liberiùs indulgeret, ad paganos incolas hinc emigrare; aut omnes, si posset, potentiores hostes suos ad vnum conficere, adeóque

Digitized by Google

que ipſe etiã ob ſcelus hoc infami morte occumbere. Hunc Sacerdos noſter, quem à confeſſione habebat, familiari colloquio impia cõſilia ſua fateri non abhorrentem ita emollijt, vt in genua procidens vniuerſa totius vitæ ſcelera exomologeſi factâ deteſtaretur; nunc probatis moribus inter ſuos degit, neque rarò fidei noſtræ myſteria vſurpat. Tres B. Virginis Sodalitates ſcholæque noſtræ florent ſemper magis.

Hoc anno Sodales aliqui dies Magnæ Virgini aliiſque Diuis aliquot Patronis ſuis ſacros ſuopte ſibi ſumptu celebrandos ſumpſerunt. Res diuina diebus Sabbatinis rhythmico accentu ab ipſis peragitur. Sub Veſperum SALVE decantant. Sancitæ etiam hîc in Bacchanalibus celebritatis augmentum ad hoſce Parthenios maximè pertinere videtur; non tamen ſolos: alij quippe è nobilitate perinde ac plebe, eorum credo exemplo permoti, eadem pietatis opera obiêre. In D. Ioſephi Seminario triclinium & ſupra illud aula, ſat ampla ad veterem alumnnorum habitationem ſunt adiecta. Res Collegij aucta aureis bis mille ſeptingentis: maximè beneficum experti ſumus Regni Adminiſtratorem D. Ioan. à Siluâ. Ampliorem habitationẽ noſtram, ſimúlque locum ad confeſſiones excipiendas cõmodiorem effecit ſpatium ruinoſi cuiuſdam ędi noſtræ adiacentis ædificij pro vſu noſtro adaptatũ.

Areualenſis Miſſio nihil hoc anno habet peculiare. Vnum de conſuetis Sociorum miniſterijs memorabo. Magnum Noſtri inter Prætorem inſulæ huius Panayæ militiæq; Præfectum diſſi-

dium

Digitized by Google

dium sedârunt: vterq; Præfecti titulum sibi vendicabat: vterque militem suum habebat: res non procul aberat à tumultu bellico. Interuenêre Nostri, & controuersiam industriè prudentérque composuére.

SEDES SILANENSIS, ANTIPOLANA.

VI. SOLITVM SILANENSIVM Sociorum laborem Deus insolito fauore videtur compensâsse: multa enim ibi virtute plus quàm naturali accidisse testantur, quorum aliqua breuiter hîc perstringam. Grassabatur pestis tota ciuitate, occidebant incolæ passim medicæ artis ignari incuriíque: vix Nostrorum aliquis vrbem obiens domos plateásq; aqua lustrali aspersérat, & pestilentiæ vis omnis elanguit. Contra aliud pestilentissimarum hîc aspidũ toxicon, quod sæpe intra horam, sæpe in ipso morsu enecat, glebulas S. Pauli Roma missas, egregia sanè antidota, habemus. Vnum rei cõprobandæ do è multis. Adduxerunt aliquando mulierẽ venenati huiusmodi animalculi morsu infectam vix iam spiritum trahentem: admouetur glebula, & illa mox respirare, sensum animúmq; reducere, sese in pedes erigere, súbque ipsam in sacrificio, ad cuius initium venerat, Euangelij recitationem plenæ sanitati est reddita. Mirificus etiã fuit B. Parens noster Ignatius. Cœleste aliquando fulmen è nubibus maxima vi in domum nostram est extortum, diffiditq; parietem, in quo B. Patris tabula pende-

pendebat, ad ipsam vsq; tabulam; inde verò abrupto derepente cursu in latus dissilijt, mensamque tum pro prandio instructam, & alia quędam fœde disiecit, totásque haud dubiè ædes in cineres redegisset, nisi à densis pluuijs & eâdem præcipuè ope, qua imago, à vi fulminis essent seruatæ. Ab eodem B. Parente duæ feminæ in partu grauiter periclitantes periculo sunt exemptæ. Et alteri quidem additum aliud multò mirabilius beneficium. Deuouerat hæc se primò suámq; prolem B. Francisco, quam & ab eo Franciscum dicere decreuerat; sed voto non respondit euentus: ipsas enim septuaginta horas femina in partu laborauerat, & iusta potiùs morienti quàm gratulationes instituendæ videbantur. Fit rei certior Noster, parturientem cum B. Patris icone adit, suadet B. Ignatium imploret: paret illa, aitq; gnato, si quem tandem intra horam esset paritura, Ignatio nomen futurum. Secundùm hæc filiolum felicissimè enixa mox Ignatium nuncupasset, ni genitor in dubium vocauisset Ignatióne an Francisco miraculum esset ascribendum: perstare imò hic, illa multùm reclamante & infante continuò peiùs habente, Franciscum appellandum contendere; tandem verò ne lis & filioli infortunium cresceret, rem sorti credēdam esse autumant. Coniectis inde in vrnam aliquot vtriusq; Diui nomine insignitis schedulis, filiolam quò fraus omnis faciliùs abesset, vix dum viginti menses natam, admouent vrnæ; quæ immissa manu Ignatium iterum atque iterum & nunquam non Ignatium est sortita.

Tum

Tum verò facilè agnitam diuini Numinis voluntatem parentes lubenti gratóque animo sunt executi. Nonnemo scelerum suorum pœnas dedit. Mulier certam pecuniam indigis addixerat; sed promissi fortè pœnitens diem ex die trahebat. Admonuit eam seuerè potens Dei dextera: ita namq; ad duas horas aliquando humi afflixit, vt extinctæ esset, quàm viuæ similior: exinde sibi à Clemente Numine restituta Sacerdoti è Nostris accersito rem detexit, & ocyus ad templum nostrum deducta atque promissam Deo pauperibúsque pecuniam palàm elargita, tenacitatem suam simúlque ceteros mores seriò, etsi sat serò, correxit. Indixerat Primarius vir familiaribus suis conuiuium natalitium, conscio atque annuente confessario, si tamen extra Christianæ fidei leges non exorbitaturos sponderent: spondent, conueniunt, conuiuantur honestè. Vnus erat insolenter inter omnes: non impune: foras quippe vocatum seorsimque ductum triginta amplius infernales laruæ circumsepiunt, vociferari conantem ocyus in siluestria horridáq; loca abripiunt: tum verò Stygiæ belluæ primùm furere, leoninam alia, alia taurinam aliæque alias formas mentiri, in hominem horrore ferè exanimē omnes irruere, humi allidere, inque sphærulas præcipuè precatorias de collo suspensas arietare, irrito semper impetu; quam homo globulorum virtutem sentiens B. Virginem suppetias vocat, & formatis continuò in crucem digitis crebros bestiarum impetus facilè infringit, demúmque omnino in turpem fugam abigit.

Digitized by Google

Quæsitum interim conuiuæ Socium nusquam reperiunt; altero tandem die sub caua quadam rupe offendunt miserum afflictúmque. Reductus damno suo facilè sapijt in posterum.

VII. TRIPARTITA est Antipolanæ sedis cura: præter enim plura suburbia tria præcipuè oppida procurat, S. Ioannis Taytay, S. Iacobi, & Antipolanum; vbiq; non parũ Christianæ pietatis opera vigent. Id cõprobauit in Oppido quidem S. Ioannis ipse Illustr. Archiepiscopus, qui tribus diebus ibi moratus, vt sacro cõfirmationis mysterio incolas initiaret, multùm pietatem huiusce vrbis est admiratus: in S. Iacobi reparatæ ex Itarũ ignibus ædes vnà cum templo & sede nostra fuerãt, cùm nouũ incendiũ viginti sex alias absumpsit, neq; tamen interim incolæ minorem in fide feruorem præ se ferunt. Antipoli virtutis studium Sodales Parthenij præsertim splendidũ reddunt; quibuscum coniuncta hoc anno oppidi S. Iacobi Sodalitas cum ijsdẽ dies Magnæ suæ patronæ dicatos, cõuentúsq; aliquot solemniores celebrat: nullum nisi probè exercitũ recipiunt; cuius præclara duo exempla hoc anno habuimus, in duobus sexagenarijs, primarijs ciuitatis viris, qui vt Societatẽ eorum obtinerent, sacram ædem aliáque sępiùs euerrere non abnuerunt. Quanquam hîc pauci admodùm veteri idolorũ superstitioni sint dediti, aliquot nihilominus ex montanis, qui priscam barbariem inter rupes suas barbara tenacitate retinent, ab paganis ad Catholicorum castra sunt traducti. Inter illos adolescens Neophytus maluit à parentibus patriáque exulare,

quàm

quàm cum arreptæ veritatis vel leuiusculo damno inter Cimmerias illas tenebras habitare. Eosdem inter fuêre coniuges duo octogenarij, quorum altera mox à baptismate mundam creatori animam reddidit. Aliud par coniugum, æqualis cum prioribus ætatis, de rupium illarũ cauernis prorepsit; ex quibus vetulus mox labore, itineris fractus extremè secundùm iter decubuit; quà de re certior Noster factus gnauâ industriâ suâ effecit, vt salutari aqua ablutus decederet; coniuge alterâ clam interim ad montes se recipiente. Apostasiæ perfidiam seuerè Deus in duobus cõiugibus puniuit. Hi Catholica fide, quam sanctè susceperant, iterum apud Montanos sacrilegè eiuratâ, non minùs sacrilegè nefanda idolorũ sacrificia sibi, vt olim habuerant, administranda resumpserunt. Enimuerò non diu tenuit impietas: maritus breui infelicem animam exhalauit: vxor à Nostris ad reditum ex montibus pellecta iam profectionẽ adornabat, cùm veneficio circũuenta miserè interijt. Sed nec solâ nece diuinũ Numen placatum fuisse videtur. Barbari enim aliqui humatum à filijs parentis suæ cadauer exhumârunt, & insigni iniuriâ caput à trunco abscissum abstulerunt. Quod simul resciuerunt feminæ, cognati iniuriam nõ nisi Barbarorum internecione vlcisci decreuerunt; eóq; rem furore suo iam deduxerunt, vt iusto vtrinq; confluente exercitu mutua Barbarorũ rabies magis magísq; in dies inflammescat. Tagatenses mille quingẽtis argenti pondo sedem nobis construxerunt, ædificium vix vlli huius Prouinciæ secundum

Digitized by Google

COLLEGIVM ZEBVANVM CVM MISSIONE BVTVANA.

VIII. STRENVA ZEBVANORVM Noſtrorum opera fuit in ſolitis Societatis muneribus obeũdis. Præ cæteris inſigne aliquando diſſidium vnus è Noſtris hîc ſuſtulit, quando Zebuanę ciuitatis proceres nouum præſidij vrbíſque Præfectũ renuebant, & ille milite ſuo dira Zebuanis intẽtabat. Excurrit alius in Inſulam Bantayanam. Miſerabilis ibi rei Chriſtianæ erat facies. Quanquam enim nuper P. Franciſcus Gonzalez Cebu profectus in itinere multùm laborârit, tempore tamen excluſus neq; pluribus neque paucis feruorem ſuum ſatis potuit communicare. Plurimi itaque pluribus in locis ab ipſis decem aut viginti & ampliùs annis nullum ſacrarum exomologeſeon vſum, nullam ſacrificijs aſſiſtendi copiam habuerant: aliquam rerum fidei notitiam habebant, illam tamen erroribus ſcatentem ſuperſtitionibúſque obſoletam feréque abolitam. Ex copioſa igitur meſſe pares Noſter reportauit manipulos. Fonte luſtrali expiauit ducentos quadraginta ſeptem; quos inter adulti ſeptuaginta ab nefanda idolorum ſeruitute ad veri Dei cultum traducti: bis mille & quingenti ampliùs confeſſione ſacra animæ ſuæ ſordes eluerunt: iíque ex his, quorum ętas ingeniumvé aptius erat, benè inſtituti ſacram ſynaxin celebrarunt: quotidie ſub ipſius ferè noctis crepuſculum ſpontanea diuerberatione (vernum tum ieiunium erat) alij quidem in ſacra quadam ædicula, alij ſub dio,

Digitized by Google

dio, & ipsæ feminæ intra domesticos parietes in sua terga desæuierunt. Vber hic concionum fructus erat: verùm vt euaderet copiosior, actum est cum populo de indulgentijs toti orbi id temporis impertitis. Quandocunque aliàs de Seruatoris nostri tormentis infamique nece, quæ vix sat cognita ipsis erat, sermo habebatur, ita commoueri omnes, vt effusis lacrymis dolorē suum testarentur. Tertiâ cuiusque diei pomeridianâ cōueniebant, quâ percurrere D. Virginis corollam condiscerent: præibat alta voce Pater intermistis consuetorum mysteriorum cōsiderationibus: sequebatur turba ea cum voluptate, vt eundem recitandi modum scripto à Patre extortum complures auidissimè transcriberent. Nonnullis aniles superstitiones, artes magicæ, similiáque deliria extorta: aliqui, qui ob cædes patratas patriâ extorres inter infideles exulabant, à vindictâ per Nostrum securi in patriam terram redierunt. Moris hîc erat tot alere pellices, quotquot liberet: alijs igitur mulierculæ impuræ abstractæ, alijs sacro coniugio ritè sunt copulatæ: puericia bis singulis diebus Christianæ fidei rudimenta fuit edocta. Sacerdos ita strenuè munere suo perfunctus mox ab opere domū redijsset, ni Darienſium Presbyterorum precibus quatuor dies charitas dare suasisset. Ibi non absimilis superiori fructus est secutus. Zebuani Parthenij pristinum suum tenent. Collegij rem commune malum afflixit: inclementia nempe typhonum, qui in Insulis nostris hoc anno tanti fuēre, quanti nunquam: furebant terrâ marique

in naues, in domos, in teneram præsertim Oryzæ segetem, vt fames, quanta nullam aliàs tempestatem, sit subsecuta.

IX. IN BVTVANVM OSTIVM alia de nouo missio hoc anno est suscepta. De Butuana ciuitate insuláque Mindanaensi superioribus annis fusiùs perscriptum. Nonnulli enim Nostri terrá illâ in Hispanorum potestatem redactâ ibi consederant: verùm discedente dein Hispanico præsidio & Nostri discessêre. Suffectus interim erat à Zebuano Episcopus parochus aliquis, & huic indidē discedenti alius: Additū præsidium, quo hic maximè tutus videbatur. Enimverò Butuani sumptâ hinc se de iniurijs ab Hispanis, vt putabant, irrogatis vlciscendi occasione, eosdem præsidiarios milites ad vnum omnes vnà cum Parocho occiderunt; non propriâ quidem manu, sed tumultuarijs quibusdā è vicinia excitis. Ipsi tñ deinde ex Butuanis Optimates Zebuanum Præfectum adierunt, omniq; facti culpâ in vicinos deriuatâ Nostros petierunt, per quos fides suorū Hispanis magis probaretur. Sed & deinde sæpiùs idem efflagitârūt, ideóq; quosuis parœcos alios recusabant. Hoc ergo anno Sacerdos è Nostris vnà cū Socio ad Butuanos est profectus. Additi præsidiarij, qui initio quidē minùs volentes, dein tamen Nostrorum præsentiâ & alloquio animati, hilares discessêre. Festo applausu à Butuanis sunt excepti; à numeroso præsertim iuuentutis agmine, pulchro ordine Hispanos cingente, illáque suauissima nomina IESVS MARIA vix dum sibi nota suauissimè concinente,

Digitized by Google

nente, vt & sacra ædes, quæ mox erigebatur, & ipsa vrbs nomen à Sacrosanctis istis nominibus sortiretur.

SEDES BOHOLANA.

X. MVLTIFARIAM BOHOLANAM Insulam aduersis fortuna rebus versauit, tótq; miserijs tranquillum eius statum peruertit, vt ipsam tantùm non euerterit. Geminam ferè originem mala habuêre: tumultus bellicos, & nimis furêtes procellosósq; typhones. Primi acié aduersus Boholum instruxére Mindanai; quorum cõsiliũ, cùm ad Masçuram Insulam classem adornarent, Butuanorũ aliquis Boholanis amicè detexit; suasit simul, maturarent aut ad impetus hostiles sustinendos se comparare, aut fugâ saluti suæ consulere. Boholani verò cùm nec fugam arripere consultum esset, nec tantæ classis vim se multò impares repellere posse viderent, neq; demum humani consilij auxilijvé quidquã affulgeret, ad diuinam opem confugiendum censuerunt. Vocata per ipsos nouẽ dies Deipara benignè succurrit, ínque pristinam tranquillitatem suos clientes restituit. Et quidem vel ipsi paruuli panicum piratarum furorem repressisse videntur, non manus quidem cum hoste conserendo, sed eas magna cum religione cœlum versus extollendo: sphærulas precatorias in principe ædæ voluebant assiduè, ad minusculi cuiusque globuli rotationẽ: *S. Maria ora pro nobis:* ad maiusculi autẽ vice Dominicæ precationis: *Domine*

IESV CHRISTE miserere nobis : piè ingeminabant.

Hinc igitur hostem versâ in alia loca rabie, Boholum præterijsse meritò creditur. Secundùm hos duo Reguli contra eandem conspirârunt, ictóque fœdere sanxerunt, quà rapinis quà alijs belli furoribus penitus euertere ac euerrere. Hos eiusdem Sanctissimæ Matris benignitas ita mansuefecit, vt non tantùm ab ipsa insula manus continerent, sed nec Boholano cuidam cum multo comitatu præternauiganti nocere auderent, solo quem vehebat commeatu in mare demerso. Derepente aliquando fama volabat hostem Boholo imminere, iam iámque adesse; quo nuncio tam repentino consternati incolæ maiorem partem oppida agrósq; deserere, & ad montes se recipere ocyus contenderunt. Postero tamen die exploratoribus missis lustratisque portibus deprehensus est error, & ipsi ad sedes suas cum rubore redierunt. Ad neophytos Boholanos de pietate & ipsâ fide Christianâ deijciendos aliam paululùm subtiliorē telam texuit vaferrimus humani gèneris hostis. Sparsum erat inter vulgus, incertum quo auctore, tres onerarias armis & Hispano milite copiosè instructas appulsas esse; ijs puellas omnes vnà cū Pintatorum vxoribus imponendas auehendásque. Error fuisset risu potiùs quàm commiseratione dignus, ni astutia seu humana seu stygia alium dolum assuisset : huiusce nimirum rei auctores & administri Nostri insimulabantur, atque prædicationis hamo mulierculas ad sacras ædes pelle-

cturi,

Digitized by Google

cturi, suisque ita retibus conclusas Hispanis tradituri passim ferebantur. Quæ credulis adeò auribus omnes admiserunt, vt Nostros & milites iuxtà ac quotquot Hispanæ notæ erant homines, odio plus quàm Vatiniano auersarentur; multi in abdita montium spelæa sese abstruderent; plurimi filias suas studio sissimè occultarēt, à templis diffugerent omnes. Cùm igitur Sacerdos noster ad Banilaiensem hoc tempore populum excurrisset, aduentu Patris nunciato omnes velut feræ cum supellectile suâ quoquo versus diffugerunt. Pater neminem ibi incolam offendens ob belli rumorem aufugisse arbitrabatur, & fugientium vestigia legens ad interiorem terræ tractum peruenit, viditque in opere feruere omnes, alios agris colendis insudare, tugurijs struendis alios, omnes autem animaduerso ipsius aduentu in effusam se fugam dare. Stitit tum Pater gradum nouitate rei attonitus; nonnullos dein ad se alloquij lenitate pellicit, de barbarie increpat, atque ædem ibi sacram extruant, multis conatur persuadere. At verò ipsi nihil minus quàm de templo erigendo cogitare, errorem potiùs suum hinc primùm confirmare, & ad solitam fugam spectare; pòst nihilominus Sacerdotis quà precibus quà minis permoti opus aggrediūtur, ea arte, vt fixis in terra sudibus angustum valde locum paleis tantummodò cingerēt, ne dum rei sacrę mulieres interessent, fugæ locus fortè non esset. Rescius tandem erroris Noster grauiter populum pro concione nimium credulæ leuitatis redarguit, & perfidâ stygiæ vulpis

Digitized by Google

patefacta astutia ad officium denique reduxit. Idem pòst Nostri alijs in locis præstiterunt.

XI. GRAVES alterius generis calamitates typhones Insulæ intulisse diximus. Ex horum procellis fluuius, ad cuius ripam Loboc cum domicilio templóq; nostro situm, tanta subitò aquarum inundauit vi, vt & in proxima loca ex alueo sese effunderet, ac nostram etiam inter alias domum, cùm vix pedem extulissent Socij, obrueret, dissicerétque omnia, vnica in templo, quæ singulari hìc in veneratione est, Crucifixi effigie inconcussa atque omnino intacta. Tristia in hac aquarum diluuie senecionis cuiusdam fata fuêre. Latuerat hic nuper diu malitiâ alicuius abstrusus, eam ob causam, ne ad quempiam, qui fidem Catholicam ipsum edoceret, abriperetur; donec deprehensus tandem è latibulo in ædes, vbi de fide erudiretur, est perductus: verùm & ibi contumax flecti nequibat, quin interitum sibimet sæpiùs imprecabatur, si cum Christianis sentiret. Nec sine euentu. Subita enim aquarum in ædes irruptio oppressum miserè interemit, sine vllo alterius in eadem domo recens ad fidem conuersi damno.

In simili alias inundatione, (in qua Nostri cum Seminarij Alumnis ad montes conscensis lintribus confugêre) dissimilis alterius senis fortuna fuit; qui cùm se, domuncula sua ab aquarum ventorúmque impetu de loco auulsa, extremè periclitari animaduerteret, ad diuinam ocyus clementiam conuersus: *Domine DEVS meus*, inquit, *istáne Christianum me, & de anti-*

quâ

quâ superstitione ad fidem tuam translatum poteris deferere? Nec plura: casula super aquas elata, nullis acta remis & velut optimè constructa nauis, nullis grauata vndis feliciter littus tenuit; & quod anchoræ funésque deerant, inter palmarum ramos tutissima in diem posterum hæsit; donec ab ijs, qui præteribant, senex cum magno gaudio è domuncula in continentem fuit receptus. Porrò quæ aliàs circa curam animarum gesta sint, videamus.

XII. PVERI SEMINARII NOSTRI (de quo superioribus annis, quàm insigne pietatis Christianæ promouendę adminiculum sit, copiosè retulimus) egregiè, vt aliàs, pijs operibus exercitantur. Eximiam erga alios produnt charitatẽ, tùm contra legem Christi peccantes pia audacia redarguendo, tùm egenos ægrósque eleemosynis (subtracta de suomet quantumuis tenui victu amictúque parte) aliáque, qua possunt, ratione adiuuando. Puer vnus ex his feminam forte offenderat vix spirantem adhuc, & inter extremos illos anhelitus sacrum baptisma auidè expetentem: tactus commiseratione opem ferre parabat; impediebat tamen & loci commoditas, & teneræ ætatis imbecillitas. Verùm diuina confisus virtute humeros mulieri subijcit, magnóque labore & longa via tractam ad Sacerdotis pedes deponit, qui eam de veritate, prout tempus patiebatur, eruditam sacróque fonte tinctam ad beatos cœlites felicem dimisit. Simile penitus alius puer edidit charitatis suæ specimen.

Maria-

Digitized by Google

Mariani Sodales optimas consuetudines continuant; illam præsertim, quà errata sua palam omni populo in æde sacra aperire non verentur. Fuit inter hos vir primarius, qui eodem loco devinolentia sua, firma emendationis interposita fide, se accusauerat; sed nihilominus postea à delicijs veteri more illectus temperantiæ leges aliquantùm excesserat. Cùm obdormijsset grauato nonnihil cerebro, experrectus dein, simul fidem datam violatámque in memoriam reuocarat, tanto derepēte in sese vindicandi incalescebat ardore, vt arreptis flagris ad sanguinem vsq; in tergum desæuiret, pérque pueri præambulonis vocem palàm in æde sacrâ impium se helluonem proclamitaret, atque de scelerè magna cum doloris significatione veniam efflagitaret. Nonpauci ex Sodalibus clara sui in castimoniam studij signa dedêre; verbis enim verberibúsque turpes abegêre mulierculas. Aduersus procos castæ aliquammultę mulieres eadem ediderunt facinora. Memorabile aliud Marianus aliquis aduersus veteris superstitionis reliquias patrauit. Arbor erat in suburbio de genere earum, quas Nonoc incolæ indigetant, quæq; eius sunt indolis, vt si qua tenera adhuc aliquam alius generis arborem contingat, eam vitis instar arctè complexam ramulis implicet, & totam denique exiccet, humorémque in se deriuet. Hæc igitur miræ inter omnes pulchritudinis ac prodigiosæ præ alijs vastitatis tantum sibi conciliarat opinionis, vt ipsam olim Pyntati inter Numina velut præcipuum quoddam colerent, & si quis ramuscu-

Digitized by Google

musculum ex ea decerperet, aut subiectam glebam aratro violaret, eum capite id piaculi luiturum dicerent. Facilè quidem stultitia hæc vnà cum cæteris fuisset penitus abolita, ni hæsisset altiùs quorundam cordibus infixus minarũ metus. Arborem contingere nemo audebat, donec Parthenius aliquis gloriosè de falso Numine triumphauit; qui excisam admirantibus spectatoribus arborem igni dedit; agrum ferro euertit. Pium hoc factum non multò pòst Deus rependisse videtur. Accidit, vt vxor eius aduersa decumbens valetudine magnam ab familiaribus quibusdam diuinam hanc esse vindictam exprobrantibus molestiam ferret: veniunt ambo ad Nostros remedium malo quæsituri, exomologesin peccatorum instituunt, sani ambo discedunt. Fixum dein eo loco Crucis signum, consperſus aqua sacrata fundus; qui vberrimos vertente anno præ quam alibi fructus dedit. Detestatus est idololatra vanitatem suam, cùm, quam nulla forent Deorum inaniũ sacrificia, esset expertus. Cùm enim thura, more paganæ gentis pro felici orizæ prouentu, maioribus suis incendisset, secutus est longè alius, quam sperauerat, effectus: eàdem omninò nocte, qua impiè sacrificauerat, agellum ipsius aprorum grex fœdè est depopulatus. Crucem Nostri habent ex Antipolana excisam, quæ ob miros, quos sæpe operatur, effectus in magno cultu est. Duobus iam iam cum morte conflictantibus vitam produxit: partum duabus facilem effecit: adolescentibus ex Alumnis Seminarij spinam, quæ obliquè gutturi

infixa

Digitized by Google

infixa ipsum suffocatura videbatur, eadem sancta Cruce applicita sine more exspuit. Benignam manum & Beatus Ignatius noster duobus porrexit: virum ab ipso mortis limine in vitam reuocasse, feminæ intermortuam sobolem expulisse dicunt.

RESIDENTIA DVLACHIANA, CARIGARANA.

XIII. PARIA ijs, quæ in Boholana sede scripsimus, Dulachij alijsque vicinis locis damna typhones ac marinæ inundationes intulêre. Nostros æquè atque alios diuexarunt, imò vno penitus orbarunt. Is fuit Ioannes Diaz in familiari re adiutor, patria Osunensis, Bæta. Missus à Carigarano Superiore Dulachium nauigabat, cùm solito furore in nauim typho irruens malum antennas omnia diffringit, & nauiculam absque mora euertit: perijssent derepente vnà omnes, ni à submersione seruassent arundines ad latera nauigij appensæ, quas vnà cum mali, antennarum, aliisque aliarum rerum partibus carinæ attexuerunt, ijsdémque impositi mari se commiserunt. Tenuit misera hæc velificatio sex ipsos dies. Acriora naufragos vrebant frigora, summa commeatûs penuria fermè conficiebat. Non sustinuêre tantas calamitates tamdiu iactati: euasere omni de numero (septendecim fuerant) tres tantummodò, quos eminus conspectos maris accolæ squalidos luridósque in continentem recepêre.

Hi

Digitized by Google

Hi dum fortunam ſuam cum magna auſcultantium commiſeratione recenſent, hæc inter alia de Noſtro referunt: tertio poſt naufragium die ſqualori, frigori, fami ſuccubuiſſe: in illa autem ſuprema vita ſua Socios, quà crebra feruentium ad Deum precũ funditatione, quà aſſidua ad miſerias illas ipſãmque mortem æquo animo ferendam adhortatione multùm animaſſe: vnum de ſuperſtitioſo idolorum cultu cõuerſum ad Eccleſiam, & mox ad cœlites aggregaſſe. Vigeſimum quartum à natiuitate annum, à Societate inita ſextum agebat. Sedecim annos natus in Mexicanum regnum eſt profectus: vbi parentem ſuum cùm inter milites ad has inſulas deſtinatos adlectum reperiſſet, pietate motus patrem hoc onere ſubleuauit, ipſe in locum eius ſucceſſit. Par pari, vel veriùs vtiq; dicam, maiori longè, Deus retuliſſe videtur: ipſe patrem ſuum è militiæ iugo exemerat: at verò ipſum Deus & à militiæ & à grauiori omnis omnino profano vitę iugo liberum Manilæ aſſeruit, ad felicíora Ordinis noſtri caſtra traductum. Præclara apud nos ſæpe virtutum ſuarum ſpecimina edidit: taciturnitatis, induſtriæ in ſuis officijs, aliarúmq; compluriũ; & præſertim patientiæ qua & ſemper cũ Chriſto aliquid doloris perſentiſcere exoptabat, & in continuo vltimi biennij morbo nihil æquo plùs ſeu otijſeu alteri alio in genere libertatis ſibi indulgebat. Sacerdos vnus è Noſtris earundẽ, paulò tã mitiùs, calamitatũ inexcurſionibus præcipuè particeps eſt effectus. Tãbuci fuerat, cũ turbines illi cœperant: vbi in domuncula malè ſarta late-

latebat, ex qua tamen ipsa demum, cùm minimè tutum se videret, in templum profugit; & ecce tibi in limine ferè adhuc hærebat, cùm ædes à vētis dirutæ concíderent: A templo porrò, quia & ipsum venti detexerant, ad ædificium, quod maiorem spondebat securitatem, fugere maturauit; verùm id tanta hominum turba totum compleuerat, vt porrò ne vni quidem locus esset. Præforibus igitur lacera malè tectus tunica, aquis vndiquaq; manans, totam noctem stando egit. Idem alias ex oppido Dulachiano coactus est adulta nocte fugere, cùm eadem tempestas renouato furore mare ad passus fermè centum vltra litus eiecisset, omnésque passim domos prosterneret, relinqueret vitæ subsidium ferè nullum, nisi diffluente aqua magno numero pisces, ientaculum afflictis. Sub idem tempus alius è Nostris Byncayum expeditionem susceperat; vbi ea fuit tempestatis sæuitia, vt ventus marisque effusio vnà omnia (atque inter ea domum templúmque nostrum) non diruerent modò, verùm eruerent etiam funditus; Nostro tum ex primoribus aliqui paleis latibulum struxêre, quo à vētis defenderetur: cæteri incolæ qua potuerunt celeritate contra seu ventos seu aquas vitæ suæ consuluerunt. Quæ alijs in locis planè similia incolis iuxtá & Nostris euenêre, narrare supersedeo.

XIV. LATVM NOSTRI DVLACHIANI agrum industriè excolunt: quocunque eorum aliquis aduenire nunciatur, indigenæ turmatim obuij velut ouiculę ad pastorem procurrunt. Vnus inter no-

Digitized by Google

ter nobiliores senex est, qui cœcos ad Ecclesiam ductare, claudos ægrósque & alios, qui pari impedimento venire nequeunt, sedulò conquirere; & humeris iniectos ad sacram rem audiendã comportare, antiquum habet. Vna præter alias femina egregiè & fidem & pudicitiam suam inter Myndanaenses piratas propugnauit; ab his enim cum non paucis feminis capta sæpenumero quà precibus quà minis tentata, adduci non potuit, vt vel abiecta Christiana fide Mahumeti sectam profiteretur, vel profligatâ pudicitiâ corpus suum turpiter prostitueret: vnica ferè inter captiuas in fide, vnica perstabat in castimoniæ defensione: breui è seruitute euasit & vnica, adscitâ tantummodò vnâ eiusdem consilij socia. Belluinam adolescentis ferociam compescuit aliquando Noster, quâ decreuerat ille parentis sui interfectorem vnà cum omni agnatione stirpéque ipsius funditus (veterum Pyntatorũ more, qui viri primarij necem interemptore & omnibus agnatis crudeliter trucidatis vindicare consuêrant) pessundare. Intercessit Noster, & feroculum tantùm flexit, vt & hostes suos ad iusta parenti persoluenda amicè vocaret, & persolutis his dexteram pacis testem singulis porrigeret, ac suos, vt idem facerent, permoueret. Sacerdos ex hac sede alicubi adultos sancto lauacro tinxit quinquaginta; è quibus seniores tres mox secundùm baptisma ad cœlites abiêre. Ad S. Crucis gloriam spectat, quod cuidam contigit. Extremè decumbenti obiecta est larua fęda & atrox, quæ hominem ad sacrificia Pyntatorum

Digitized by Google

more peragenda multis intentatis diris vrgebat: sed ille formatione crucis se muniens mox laruâ, & post paulò etiam morbum abegit. Domum & sacram ædem Dulachij à tempestate dirutas restaurauimus, quantum per tenuitatem rei & piorum auxilia licuit.

XV. CARIGARANA SEDES non parùm sensit commune malum: templo ædibúsq; nostris de media nocte disiectis ad diluculum vsque sub dio Socij iniurias cœli tulêre: tũ tuguriolo è stramine contexto se texerunt. Non pepercit igitur hìc cœli inclementia, non Mindanaus hostis: vterq; non leuia dãna intulerunt. Ex ijs, qui suaui Christi iugo ceruicem submiserunt, fuit, qui nec pauxillum de fidei dogmatis memoriæ imprimere valebat, quantumuis non paucos dies, postpositis alijs negotijs, animum huic rei applicaret. Lethalis interim morbus lecto ipsum affixit: decũbentem edocuit Pater, quantum hominis ingenium & ratio temporis ferebat, & ablutum ad pleniorem rerum diuinarum hauriendam notitiam in cœlum dimisit. Alius vir primarius, qui Dijs suis, nõ sine iniquis cõditionibus legi Christianæ plurimùm derogantibus, renũciare volebat, ita diuinâ misericordiâ imutatus est, vt die Parasceues Christianis in supplicatione se flagellantibus associaretur, & cũ reuiuiscente Christo è prioris vitæ cœno emergere inciperet, ac Christo in posterũ viuere. In ijs locis, in quæ pro solito excurritur, aquis lustralibus expiati pter parnulos adulti circiter octingẽti; quibus quia opera nostra sufficiens non erat, nonnulli inter eos, qui

qui cæteros, ipsi maiori doctrinâ imbuti, in fide ampliùs expolirent, sunt nominati. Temerarius nonnemo pœnas luisse videtur, cùm irriso sacro baptismate ex conscensa pòst arbore ruens animam elisit.

RESIDENTIA TINAGOBENSIS, PALAPAGANA.

XVI. DECEM locis sedes Tinagobensis operam suam impendit. In ijsdem ab idolis ad verum Dei cultum translati adultiores sex supra sexaginta. Inter minores ex ijs, qui multi sacris vndis expiati, fuit puella septennis, quę suprema mox à baptismate ægritudine afflicta, clarâ hilaríque voce percepta fidei rudimenta ante obitum suum decantauit, indéq; ad hilariorem dulciorémq; cœlitum concentum emigrauit. Idola, quæ æquo diutiùs nõnemo retinebat, ablata compluria; in quâ re præstabilis fuit adolescentis cuiusdã pietas, qui paternum amorẽ diuino posthabens parẽtem suum de occultatis laribus detulit, vt adimerentur. Fuit alius, qui ad sacrificium ritu indigenarum peragendum inuitatus, oblatam bestiam, quam maioribus suis offerret, sedi huic Tinagobensi dono adduxit. Cæteri quà viri quà feminæ mirum, quàm in omni pietatis genere, celebrioribus præcipuè diebus, soleant feruere. Plurimorũ vtriusq; sexûs hominũ pudicitiæ Nostri consuluerunt, quando sceleſtissimũ interciderunt morem, quo libellum repudij cõiugi dare, eiúsque loco claues alij tradere pro libidine

Digitized by Google

ſua impune quiſque poterat. Sublatá hac conſuetudine reperiebatur nihilominus mulierecula, quæ maritum pertęſa contubernium eius recuſare, & increpita licet priuatim publicéque, pertinaciter in perfidia audebat perſtare, dum diuina demum manus ſeueriùs ipſam caſtigauit. Ad flumen aliquando vnà cum alijs mulierculis deambulantè prorumpens è fluuio crocodilus, diuinæ vtique iuſtitiæ executor, paſſo rictu celerrimè abligurijt. Alius non minùs perfrictæ frontis homo ſcelerum Numini ſuorum pœnas dedit. Afflictabatur hic graui febrium moleſtia, cùm mortis locorúmque ſimul inferorum pertimeſcens cruciatus, cõfeſſione animum ſtatuit expiare. Dum autem Sacerdos è Noſtris vocatur, ſentit integram deterſa ægritudine ſanitatem redire: redit & ipſe perfidè ad vomitum, confeſſionem reſpuit, obſtinaciſſiméque contra bene conſulentis Patris monita obturat impius aures ſuas. Eluſit ita Patrem, at non ita iuſti Numinis iram: reuerſus etenim paulò pòſt morbus acriori multò æſtu ſæuijt, breuíq; hominem nullis prorſum fidei myſterijs munitum confecit. Admirandus ſacræ exomologeſeos fuit ille effectus, quando æger quiſpiam, cùm ad ſacrum tribunal acceſſiſſet, ſanitate non animi ſolùm, verùm & corporis receptâ diſceſſit. Nationem hanc infernus hoſtis præſtigijs ſuis, vt ſolet, & infeſtationibus turbare contendit. Cuiuſdam oppidi cõplures incolæ, præſertim feminæ quarum mens eſt ſæpe leuior, frequenter inſaniebant vno furoris & dementiæ modo: huc illúc-

que

Digitized by Google

que celeriter excurrebant, altissimas quoq; palmas, aliásque arbores conscendebant, atque ad extremos vsque ramusculos prorepebant, vt inde ad descensum funibus aliisq; adminiculis indigerent. Furoris huius originem causámque exquirenti Sacerdoti seorsim singuli vnicam exhibebant: quòd nigra scilicet illis horridáque larua, plena oculis, promissâ barbâ se visendam præberet, cuius aspectu visus eos & turbata mēs deficeret. Inania fuisse hæc stygij veteratoris tericulamēta, cùm aqua lustrali furibundi fuissent respersi, quidam testati sunt: secundùm enim aquæ salutaris attactum mox velut à somno solutos mentem recepisse. Addidêre, vehementer quēdam furore huiusmodi correptum aspersioni restitisse, ne guttulis illis adureretur, obtestantem; cuius tamen ille rei sanitate pòst redditâ memor minimè fuerit. In aliâ insula eadem eodem modo larua complures vexauit: vbi quidam probatæ vitę homo affirmauit, & se non rarò à Cacodæmone impetitum: verùm IESV inclamato, pectore signo crucis munito, aut Dominica precatione recitata spectrum illicò euanuisse. B. Ignatium Nostrum benignam ac salutarem parturienti cuidam manum porrexisse, curio quidam his literis est testatus.

DIDACVS LOPEZIVS TABERA Presbyter, curio beneficiarius Baconi in Ibalonis Prouinciâ.

PRÆSENTES litteras inspecturis notum

Digitized by Google

facimus, quòd anno Domini M. D C. XI. die verò tertiâ mensis Octobr. horâ noctis circiter nonâ; cùm domi essem in Baconi populo, renunciatum mihi est, quoniam Maria Dymaitan, incola eiusdem populi, cùm per integrum diem duplicem, dolore acerbissimo parturiret, esset morti propinqua, ac propterea confiteri & extremè vngi desideraret. Et ire parans ab Scholastico sum admonitus, quia B. Parens San Ignatius Societatis IESV Fundator, esset in partubus feliciter aduocatus. Quapropter Sancti eiusdem effigiem mecum detuli; cumq; domum prædictæ Mariæ Dymaytan introissem, eam in periculoso ac difficillimo agone comperi, ab obstetricibus planè desertam, & dolorum, qui præcesserant, magnitudine omnium ferè sensuum expertem, vt confiteri nequiret. Et prædictâ S. Parentis effigie supra morientis stomachum applicatâ statim illa multis circũsistentibus filium enixa est; & indubitatum habeo, id cœlesti eiusdem Sancti patrocinio contigisse. In cuius rei fidem, & vt maiestas diuina glorificetur in Sancto suo, præsentes literas manu propria subscriptas dedimus Baconi &c. Huc vsque ille.

Viuit porrò infans, cui qui lucem dedit, dedit nomen Ignatius. Mindanaenses non parum hîc loci nocuêre, dum non quidem ipsi, sed solus de eorum aduentu rumor sparsus incolas & cum ijs Nostros ad altiora & securiora montium loca fugauit dispersitque. Hoc tum solatij Nostratibus erat, quod viderent remotos æquè ac propinquos magnâ frequentiâ ad rem diuinam confluere: crebras, in quibus flagris in se animaduerterẽt, supplicationes adornare, cæ-

tera

tera hominis Christiani officia sedulò obire. Eius deniq;, qui è sede hac Baconium in Dominicã vineam missus est, laborem egregium fuisse claret ex eo, quòd & veteres vites excoluit gnauiter, & eisdem nouos surculos centum octoginta de siluæ paganæ stipitibus transfatos inseruerit.

XVII. PALAPAGANÆ residentiæ inquilinos non potuit aquarum ingluuies ventorúmq; furor domi cõtinere: erupére ad animos iuuandos sæuitiâ tempestatum sũsq; déq habita: duo confracto etiam, cùm ad insulam traijcerẽt, nauigio, solis tabulis innixi portum tenuêre. Egerunt ijdem Nostri grauiter apud Indos sæpiusculè de cogendis in vnum oppidulis, quod mirè cõmodum esset ad rudes populos legibus quà humanitatis quà fidei informãdis. Accidit, vt Patri apud indigenas hanc rem multis suadenti miles audaculus temerè impudentérq; sese opponeret, nec nõ & sarcasmis eundẽ petulanter impeteret. Nõ reddidit talionem Noster; sed leniùs respondens ita mollijt efferum, vt & cõsilium propalàm laudare, & veniam de leuitate suâ petere in genua inclinatus non erubescceret. Dispersis itaq; incolis minimè Nostrorũ numerus sufficit: nulli ferè interim adulto nisi in supremâ necessitate constituto baptismatis fit copia: trecenti vniuersim piaculari aquâ sunt loti. Sodalitium B. Virginis hoc anno coactum in dies augescit, accenditque non mediocriter studium pietatis cæterorum exemplo suo; & suaui præsertim symphoniâ hîc nunquam auditâ, quâ Sabbatinis diebus Salue, & Dominicis rem diuinam decantat.

Digitized by Google

Mulier quædam ex Marianis, cùm resciret Indam alibi idololatriæ obnoxiam orco iam imminere extremè laborantem, scaphâ festinatò consensâ ad ægram properauit, in sententiam suam pertractam ad Sacerdotem deduxit, facto lauacro initiandam. Virginem Deiparam non Sodales modò, verùm & omnis populus raro amore cultúque prosequuntur. Effigiem eius pia femina argenteo diademate coronauit. Adeò vehementer ægrotauerat aliqua, vt à medicis deposita protinus ab humano auxilio nil speraret; confugit ad diuinum, B. Virgini se singulari pietate deuouit: adfuit benigna mater ægrotanti, splendido vultu se visendam præbuit; admonuit, vt surgeret, & porro frequenter ipsam Angeli verbis salutando gratias referret. Surrexit illa, & ad Nostrum accurrens misericordiam Magnæ Virginis deprædicauit. Christiani indigenæ vltra facultates suas pium erga miseros animum ostendunt. Erexerunt dotarúntque liberaliter nosocomium, quò vtriusq; sexûs hominibus aditus patet. Excursum à Nostris in plura loca: ad Pictos cum ingenti ipsorum lætitia & fructu: ad Ibabaos non minori cum labore & fœnore: hi superatis nunc demum omnibus difficultatibus in tria oppida varijs ex locis coacti: spes est omnem breui idololatriam inde exulaturam. Remotioribus alijs à sede nostra populis satisfieri pro desiderio minimè potest. Ideóque vnicum, quod tota hac in Prouincia summam Nostris commiserationem mouet, est, quòd magno cum suo dolore & ferè non sine lacrymis

crymis videant tam copiosas segetes albas iam maturásque ad messem, Operarios qui messi manum inijciant tam paucos numero, imò fermè nullos: vident teneros Christi agnellos lupis, à quibus deuorentur, non carere, & pastorem asylum, ad quod confugiant, quærere, orbatósque se non rarò lamentari. Interdiu igitur noctúque Dominum messis pro Operarijs interpellant: ipsi pro virili huic negotio insudant: huc oculos, huc aures, huc omnes intendunt neruos, dum acceptis auxilijs leuiùs ferant laborem.

†

Digitized by Google

Agunt in hac Prouinciâ viginti supra trecentos. Viuere desierunt quinque. Vnus & viginti in eorum locum adlecti.

	Vniuersim.	Sacerdotes.	Præcept.	Scholast.	Adiutores.
Mexici in Domo Professâ	XXVII.	XV.			XII.
Mexici in Collegio	LXXXI.	XXVI.		XXXII.	XXIII.
Mex. in Seminar. D. Ildephonsi	XII.	III.		VI.	III.
Mex. in Semin. D. Gregorij		II.			
in Coll. Tepotzotlano	XLI.	VII.		XXI.	XIII.

Digitized by Google

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores*
In Colleg. Angelopolitano	XXXV.	XII.		II.	XXI.
Guaxaquenſi	XV.	III.	II.		X.
Guadalaxarenſi	XIII.	V.	I.		VII.
Paſquarenſi	XIII.	V.			VIII.
Vallifoletano	X.	IV.			VI.
In Sede Veræ Crucis	VII.	IV.			III.
Guatimalà	V.	III.			II.
S. Ludouici Pacati	III.	II.			I.
Zacatecanà	VIII.	III.	I.		IV
Guadianà	V.	II.			III.

Digitized by Google

	Vniuerſim.	*Sacerdotes.*	*Præcept.*	*Scholaſt.*	*Adiutores.*
Cicimecâ		VI.			
In Miſsione Parralenſi		VI.			
Topianâ		VI.			
Tepeghuanicâ		V.			
Zinaloenſi	XVI.	XIII.			III.

Vndâ luſtrali vniuerſim in Prouinciâ expiati ad quadringentos.

Diſſidia grauiora ſublata nouem.

Soſpitem D. Virginis, *D.* Ignatij noſtri, atque aliorum Diuorum manum experti tredecim.

DOMVS PROFESSA MEXICANA.

I.

DESIDERATVS EX PROFESsorum ordine in Mexicana domo P. Ioannes de Cigerondo, quem matura sua virtus rectéque factorum merita ad gaudia vtiq; transtulêre Beatorum. Natus in Prouincia Bætica est, oppido Gadites vulgò appellato, atq; in hæc regna puer admodum cum parentibus secunda nauigatione delatus: demum hîc literis humanioribus eruditus Societati adscribitur; in qua sũma cum laude versatus annos triginta nouem, decessit; comitatis, candoris, modestiæ, innocentiæ, eruditionis suæ non exigua relicta fama. Docuit politiorem literaturam; & cùm à poëtica clarum haberet nomen, ita venam suam temperauit, vti præter Dei aut Diui alicuius laudes caneret nihil. Præfuit Seminarijs S. Ildephonsi Mexici, Hieronymi Angelopoli, tum alijs Societat. Collegijs hac in Prouincia: comes P. Prouinciali fuit aliquamdiu; Sodalitati denique Saluatoris operam nauauit annis vltimis diligentem & sedulam,

Digitized by Google

lam, quoad fractus partim laboribus, partim occultis vlceribus stomachiq; vitio exhaustus meruit laude laureáque donari apud Superos.

II. IAM quales sint hac in vrbe aduersus Societatis homines Hispanorum animi, concursus ad templum nostrum, qui è primâ nobilitate frequentissimus esse solet, declarat satis. Bacchanaliorum celebritatem triduanam musicorum instrumentorum varietas ita auxit & illustrauit, vix vt Sacerdotes nostri parem multitudini pœnitenti operam adferre possent: quater mille supra quingentos ad cœlestem mẽsam ritè præparati accubuêre. Cæterum duo magnũ visa sunt habere momẽtum ad animos vel sceleribus obrutos vel otio torpentes excitãdos. Primum ingens quidam & post hominum memoriã non visus terræ motus, qui nocte intẽpesta ita Prouinciæ huius maximam partem concussit, vt multa ædificia vel prostrata omnino corruerint, vel quassata adeo sint, vt restaurari necesse fuerit: quâ in cõcussione ruináque, quod mirabile fuit, non pauci homines periêre. Alterũ erat prodigiosus admodum solis defectus, qui anno superiore ipso D. Barnabæ sacro peruigilio horâ post meridiem secundâ accidit, lunâ inter oculorum aciem & solis orbem interpositâ: quę eclipsis intra horę vnius spatium tantum excreuit, támque altas orbi tenebras induxit, vt velut in medio noctis cursu astra paterent, auiculæ diurnæ in nidulos sese abderent, nocturnæ passim volarent. Tenuerunt eæ tenebræ semiquadrãtem tanto omnium terrore stuporéque, vt dici non possit.

III. So-

Digitized by Google

III. SODALITIVM non postremum huiusce domûs ornamentum summa cum laude maiora in dies capit augmenta virtutum, quod tam ex domestica disciplina quàm ex maximis largitionibus colligere est, quibus ergastularios omnes, imò pauperes humanissimè prosequitur. Induxerunt & illud in morem iam Sodales isti, vt quoties nostro in templo diuina populo adorãda proponitur hostia, adsint semper eorum aliquammulti de genibus supplicantes, faces manu tenẽtes, nec nisi in plures horas protractis precibus digrediẽtes; quibus miro ordine alij atq; alij succedunt, vel ad laboris leuamen, vel ne quis à tam pio munere immunis esse videatur. Ad viri nobilis in lectulo ægrotantis confessionẽ excipiendam è Nostris vocatus vnus cùm in via intellexisset, illum per multos annos vitam traduxisse cũ pellice, è quâ tres liberos sustulerat, apud quã etiam inopia coactus degebat; ad ægroti aduolat domũ, hominẽ fine sensu, sine voce reperit, suadet, rogat, hortatur, vt indiciũ saltem faciat doloris; ac deniq; tãm diligentia curáq; elaboratũ est, vti loqui cęperit. Inde hortari Sacerdos eum, vt ad offensionem publicam tollendam cum pellice matrimonio iungatur: annuere hic, abnuere illa: quæ tandem etiam cùm, quod ageretur, esset odorata (subitò euolauit è domo; nostro vero Sacerdotis opera & diligẽtia ad ædem nostrã pducta, & multis deniq; rationibus, vt honestas cum moribundo nuptias faceret, persuasa præteritæ vitæ per confessionem scelera deponit, præsentia infamiã corrigit, futuræ sempiternos cruciatus, quã

qui fontes manent, timere & declinare incipit. Duo à perditis quibusdam hominibus quærebatur ad necem: nunciatum id vni ex Nostris: vtrumque ad se vocat, de periculo monet, confessionem peccatorum suadet: illi magno suo bono parent: alter enim eorum paulo post ab hostibus multis confossus vulneribus interijt; alter diuina defensus ope manus euasit sicariorum. Nec minùs mirabili per B. P. N. Ignatium ratione seruatus & alius est: Honesto loco natus ille in ipso B. Parentis peruigilio æger decumbebat in lectulo: quem sui securum nec quidquam tale opinantem inimicus domum ingressus hostili prorsus rabie inuadit. Ille cùm nudatum in suum caput furentis ensem videret, desperata domesticorum ope supplices in cœlum manus oculósque dirigens: *Te*, inquit, *Beatiss. P. Ignati vitæ imploro vindicem meæ.* Nec mora: auditas preces portentum secutum comprobauit. Continuò enim attonitus homo velut obriguit: excidit è manu gladius, quique cœlo ipsi comminari iam primùm videbatur, ab imbelli ancilla domo turpiter eliminatur. Quo velut miraculo confirmatus æger, & pietate in tutelarem suum Beatum corroboratur singulari, & Nostros ope stipéque adiuuat non mediocri. Templi supellex argentea aucta: extructum magnificum D. Ioanni Aloysio de Ribera Fundatori sepulchrum: altare ad latus Ecclesiæ dextrum sumptibus D. Dominici Ortiz de Chagoia Cantabri hoc anno dicatum. In medio tabulæ mirifica arte elaboratæ, (quæ aureis venit quinque millibus,) Saluatorio

toris effigies nobili pictura summóque artificio depicta conspicitur. Domus ipsa ære alieno non parum leuata, vt spes sit reliquum non diu pòst Deo propitio solutum iri.

COLLEGIVM MEXICANVM cum Seminarijs suis.

IV. COLLEGII laborem illustrem præcipuè reddidit B. Virginis Beatíque parentis nostri Ignatij benignitas. Æger aliquis ab omnibus iam passim conclamatus, cùm ab arte medica porro nil speraret, de B. Ignatij potentia non desperauit: supplex ei factus iussit argenteam lampadem ad aram ipsius, quò eam secundùm mortẽ suam destinarat, se viuo appendi; alteróque mox die, sanus è lecto prosilijt. Puella in extremis constituta chirographo eiusdem Diui admoto leniter obdormijt; soluto pòst inter crebram IGNATII iterationem somno sanam se animaduertit, ac protinus de cubili surgens ad sacrarum Virginũ Cœnobium properauit, Deo mancipanda. Adolescens è Sodalibus vnus cùm grauem in animo molestiam diu perpessus cõpluria remedia frustra tentasset, ad Ignatij denique eiusdem opem confũgit; qui proxima nocte splendido vultu cõspicuus tranquillitatem animi reddendam promisit. Nec plura: secuta subitò res ipsa visionem non falsam fuisse declarauit. Magna verò Virgo vni alterivé præsertim Sodali suo benignam se præbuit. Primo ob eximiam, qua singulis Sabbati diebus ieiunium in eius honorem sanxerat,

Digitized by Google

pietatem. Accidit enim, vt muliercula ei esculentum quid veneno illitum die quodam Sabbatino mitteret: quod ille cùm propter diei religionem in Dominicum reseruâsset, vermibus vidit scatere; animaduersóque, in quo versatus esset, periculo gratias Deiparæ retulit, statuítque constantissimè dehinc in cœpta pietate perseuerare. Sodalis nomine alter erat, re autem verâ quouis impio profanior: à sacrâ exomologesi septem ipsos annos abstinuerat, nec vestigium, non Sodalis dicam, sed ne Christiani quidem hominis reperire erat in eo vllum, nisi quòd Dominicam Angelicámque precationem septies quotidie ad Crucifixi effigiem procumbens recitare consuêsset. Exiguus hic Dei Deiparæque cultus multùm apud diuinam clementiam potuit: sensit aliquando interno quodam insolitóque animi motu ad religiosam se familiam vocari; quem ipse diuini Numinis nutum auersari primò, & grauissimum velut iugum à ceruice velle excutere; verùm animi demum inquietudine adactus augescenti motui non potuit aliqua saltem ex parte non parere: ad sacrum se confert Cœnobium ea spe confisus, fieri nullo modo posse, vt in Religiosorum virorum Societatem ipse homo tam impius admittatur; petit habitum religiosum, oris quidem sono, cùm animo interim nihil magis, quàm quod petebat, odisset. Sed enim Deo longè aliter, quã ipse putabat, rem moderante, nullâ interpositâ morâ nomen eius in Religiosorum album est relatum.

Tum

Tum inexspectato rei euentu perterritus adolescens domum tristis mœrénsque remeat, vltimum suis tristissimúmque Vale dicturus. Attamen subit interea animum, exploratam sibi nondum penitus diuinam voluntatem, à Cacodæmone callidissimo impostore æquè illos animi motus oriri potuisse. In genua igitur coram suâ Crucifixi imagine prouolutus multis cum lacrymis & exuberante animi sensu multa ad Christum in Cruce pendentem effatur, obsecrat aliquod voluntatis suæ signum edere dignetur, se tum verò vocanti celerrimè obsecuturum. Res mira: vix dixerat, cùm imago à pariete, cui erat affixa, ter seipsam dimouit; vt miraculo attonitus Sodalis in terram deficiente animo rueret, & resumpto pòst Spiritu ad Nostros aduolaret, peractáque vniuersæ vitæ exomologesi Religioso, ad quem vocabatur, Ordini sistere se maturaret.

V. E Divi Gregorij Seminarij Sacerdotibus vnus cùm Indorum Nosocomium inuiseret, in vnum aliquando incidit grauiter corpore grauiúsque animo laborantem; qui Sacerdoti: *O quanto*, inquit, *Pater desiderio tuum iam diu sum præstolatus aduentum, præbe aures obsecro confitenti; nam breui, vt arbitror, è viuis sum discessurus.* Excepit confessionem eius Pater, & posstridie nemine quid tale metuente animam æger efflauit. In tuenda contra impudicos castimonia puellæ complures præclarè se gesserũt. Cùm Virginem aliquis, qui vitæ & officij sui ratione ad honestatẽ potiùs hortari alios tenebatur,

Digitized by Google

hac in causa de constantia dehortaretur, amissa repentè loquendi facultate sceleris pœnas luit. Mulier indigena graui febri decũbens cùm omnia ei ob partûs propinquitatem ars medica denegaret remedia, vnum è Nostris rogat, in B. Ignatij honorem sacrificet, sperare à tali medico se sanitatem. Neque spes fefellit: ipsâ, quâ mortem humanitus ægritudo minabatur, die diuinitus conualuit. Puella, quæ sacras epulas octauo quoque die frequentabat, graui morbo correpta vix B. Virginis Beatique Ignatij opem implorârat; & vterque ægram benignè inuisêre, atq; ad virtutem hortati sanitati restituêre. Indigena omninò vitæ omniq; libidini ac sceleri deditus, cùm integram aliquando noctem solitas inter voluptates absumpsisset, membra defatigatione somnóque lassa quieti accommodabat: at videt omni derepente cubiculum luce priuari, densissimisq; obscurari tenebris; tum tetrâ specie crudelique vultu Cacodæmonem intrare, denunciaréque tempus porro ad quietem nullum restare, Orco iam iam subeundum. Et dicto ocyus repugnantem se ac renitentem abreptum per viam asperam sordidámque, plurimis licet tritam, quæque magis semper coierit, dum in vastum denique hiatum atque immensam voraginem finiret; eò igitur coniectum tantis fuisse in angustijs, vt tùm progrediendi tùm regrediendi adempta esset potestas; coniecisse oculos in obiecta præcipitia; vidisse varia eáque horribilia, in quibus fontes crudelibus modis torquerentur, ergastula; è vacuo vno has voces audisse:

Nunc

Nunc scelerate ebrietatis & rapinarum pœnas luere: nunc illatas summo Deo iniurias vlciscemur: quibus perculsus semianimis B. Virginem, & S. Nicolaum de Tolentino in subsidium vocârit; & adfuisse clienti suo D. Nicolaum ac manu prehenso déque angustijs erepto vltrices insuper flammas, breui ni resipiscat, æternùm experiundas, ostendisse; iussisse demum peccatorum Sarcinam apud Sacerdotem nostrum exonerare. Cæterum hæc commenta somniavé non fuisse, tùm alia multa, tùm nihil magis quàm hominis vita moréque ad omnem probitatem reformati ostendunt.

VI. IN D. ILDEPHONSI Seminario puerulus per totum quadragesimæ tempus ieiunium in B. Virginis honorem sibi indixit, neque vnquam à proposito se abduci est passus. SS. IESV & MARIÆ nomina idem adeo repetit frequenter, vt noctu etiam inter quiescendum eadem audiatur ingeminare. Sacris commentationibus alius multam noctis partem impendit: causâ precationis alij ijs præcipuè diebus, quibus sacram Synaxin sunt peracturi, solitam è lecto surgendi horam præueniunt: ad varias nonnulli Religiosorum familias sese adiunxêre.

COLLEGIA CÆTERA.

VII. IN GVAXAQVENSI, Guadalaxarensi, ac Tepozotlano omnes solida cum Societatis laude stationem suam tenent. In primo concione præcipuè feruent; in altero Sacerdotis, qui Re-

Digitized by Google

rendissimum cùm diœcesin lustraret, comitatus, memorabilis in indigenis excolendis fuit industria; in tertio tirones præter cõsuetas, quibus bis in anno singuli excoluntur, ascetica exercitationes, omnes insuper, octauo alij, alij quintodecimo quoq; die toto ijsdem perpoliuntur.

VIII. ANGELOPOLI morte sublatus est Bartholomæus Martinus, domestici Adiutor ministerij, spectatæ industriæ animíque submissionis vir: ex Hispania in hanc Prouinciã missus Marthæ labores diligentissimè diu obiuit, exactíque in Societate viginti tribus annis ad Superos, vt sperare fas est, abiuit. Duo è primoribus viri grauissimè sibi mutuò infensi, Nostris adnitentibus totáque ciuitate ad felicem rei euentum acclamante, ipsi inter se & cum Deo sunt reconciliati. Alius, qui fustem debitori, quòd soluendo non esset, parârat, ad Nostrum cum clauâ suâ accurrit, eiuratísque sceleribus cum inimico redijt in gratiam.

Adolescens indigena, bonus aliquando Mexicani D. Gregorij Seminarij Alumnus, cupiditatibus hîc paulatim habenas laxare, & in peius ire cœpit: sed ruentem in præcipitium retraxit diuina clementia: in vrbe vnà cum commilitonibus suis deambulantem grauéque animo scelus voluentẽ, vir grandæuus vultu graui ac subirato adoritur, & percusso fortiter pectore: *Túne*, inquit, *qui B. Virginis Sodalitio nomen dederis, hæc mente concipere, hæc animo audeas tractare fœdora?* Ad quæ cùm subitò delinquente animo corruisset iuuenis, accurrunt comites suppetias laturi,

laturi, & percussore nullo viso perterriti ad Nostros deducunt; vbi peccatis ritè expiatis tutelari se hoc aligero debere est testatus; vitáque postliminio in meliùs mutata præclarum iam alijs pietatis præbet exemplum. Huic non omnino dissimile aliud accidit. Equo vectum Cacodæmon obuius familiariter affatur: rogat, vt pro eo, quo pellicem prosequatur amore, se quoq; in amicitiam familiaritatémque recipiat; renuentem, & indignabunda etiam verba euomentem graui ictu de iumento deiecit, atque mortuo quàm viuo propiorem relinquit. Redditis ille pòst nõnihil sensibus Sacerdotem nostrum aduocauit, réque tota enarrata, & peracta anteactæ vitæ cõfessione animam efflauit. Ex hoc Collegio vnus ad oppida vrbésque vicinas missus præter copiosos alios fructus amicitiam alicubi Parochum inter & indigenas cum pessimo publicóque exemplo labefactatam resarsit.

IX. PASQVARENSIVM Nostrorum numerus Fratre vno iminutus est, Gregorio Montes, qui puer admodum Societatem ingressus multos in Prouincia Bætica annos vixit: tandem in hanc Mexicanam delatus magnis virtutum suarum relictis exemplis decessit aõ superiore. Copiosam Nostris benè de indigenis merendi facultatẽ morborum sæuitia fecit; casas eorum continuè obibant, solatio opéque miseros subleuabant, stipem à locupletioribus coactã dispertiebãtur, moribundos sanctis fidei Sacramentis cõmuniebant: domi etiã confitentes præ quàm aliàs multos, de vniuersa vita pleroſque audiére: ab ini-

Digitized by Google

micitijs & ipsis omninò cœdibus absterruêre non paucos. Foris in varijs locis egerunt duo: vbi præter magnas inter parœcos duos subcitósque eis clientes factiones conciliatas aliáque illustria, verùm communia, hæc accidêre rarora. Indigena, qui multa sæpe rustico rubore præpeditus in confessione detegenda subticuerat, B. Petrum patronum suum secundùm quietem conspexit; qui grauiter de sacrilegio commisso castigatum in templum patente portà decuxit, iussítque occultos animi recessus aduentum Sacerdoti planiùs aperire. Præstolatur ille, & aduenientem Patrem ipsummet esse, quem D. Petrus ostendisset, testatus, omnem apud eum superioris vitæ fuliginem abstergit. Alteri diuturno per ipsum biennium & graui morbo decumbenti Diui duo, Ioannes Euangelista & Baptista, quos præcipua veneratione colebat, per quietè adesse, & sat iam ipsum pœnarum dedisse, dolore corporis conscientiæ maculas delésse; quámque citissimè pristinas vires recuperaturum, denunciare visi sunt. Postero certè die restituta in integrum valetudo visionem non inanem fuisse demõstrauit. B. Parens Noster Ignatius vni præsertim benignus extitit. Is cùm aliàs sæpe liene torquebatur, tùm eâ aliquando, dum per vastam solitudinem proficiscereturr, vehementiâ, vt spiritu iam ferè intercluso de vita actum putaret. Confugit ad B. Ignatij opem, diem ipsi festum singulari quot annis cultu & peruigilium ieiunio celebre habiturum, domíque suæ effigiem eius positurum recepit. Nec plura: sensit confe-

stim

ſtim liberalem Diui manum, dolore mox leuari breuíque penitus cœpit conualeſcere. Quin beneficio beneficium aliud adiectum. Cùm domũ incolumis rediret, ecce tibi familiares, quibuſcum magnas pridem geſſerat ſimultates, videt omni poſitâ inuidiâ obuios procurrere, déque ſoſpite aduentu plurimùm velut ſemper amiciſſimos gratulari. Hanc igitur etiam animorum mutationem Ignatio ſecũdùm Deum acceptam referens effigiem ipſius ocyus domi ſuæ collocat; cætera, quæ promiſerat, tempore ſuo executurus: editque maiora in dies ſuæ erga Beatum pietatis argumenta. Collegij res annuo reditu eſt aucta.

X. VALLISOLETANI SOCII eandem, quam Paſquarenſes, in eadem præſertim ægrorum copia meſſem fecêre.

SEDES VERÆ CRVCIS.

XI. NIHIL NOSTRI in hac Sede prætermiſerunt eorum, quæ pro inſtituto Societatis in ſalutem proximorum poſſunt conferri. Generales multorum confeſſiones exceptæ: ſublata odia: euulſæ malarum conſuetudinum radices: plurimum laboris turbæ Claſſiariæ; quæ ingenti numero huc confluit. Neque interea populis indigenis defuerunt. Poſt feriàs Natalitias Pater aliquis cum Adiutore oppida, quæ ad Albaradi flumen ſita ſunt, obiuit; cuius excurſiones quantum fuerit pretium ex duabus eiuſdem epiſtolis accipe.

Digitized by Google

PAX CHRISTI &c.

Multùm in hac regione terris informi, cœlo asperà, tristi cultu, atque aspectu, laboris & periculi perpessi sumus; adeóque impedita ac perturbata offendi omnia, vt iam de reditu cogitarem. Vicit tamen diuina à nobis implorata benignitas. Primò quidem oppida, quæ Medellin Ilalyscoyan & Quauitlan vulgò vocant, lustrauimus. Magnà cum voluptate & fructu incolarum excepti vbique, summa omnium alacritate, incredibili studio audiendi.

Porrò confitentium numerus tantus fuit, vt octo ipsi dies, quibus hîc sumus commorati, audiendis omnibus satis esse non possent: constantia autem & frequentia tanta ad necessariam corporis quietem breuissimum vix tempus relinquerent. Hinc per flumen breui rate, sed benè instructà vecti ad Albaradum regressi, à viro primario humanissimè excepti sumus; qui cùm sit Indus nec primis concedat Hispanis siue re gerenda siue virtute, fautorem se nobis præstitit; multò magis de nostrà causà commodisq; sollicitus quàm nos ipsi. Is palàm prædicat diuinam in nostro aduentu bonitatem; quòd tunc Christianè viuere discant, cùm ad illos è Societate aliquis peruenerit. Hîc biduo commorati iter paramus in Ilacotalpan; & iam in altum euecti aduersa tempestate surgente denuò appulimus, magnà incolarum voluptate; qui dicebant, id diuino factum esse consilio, vt pauci aliqui, qui per biduj angustias confessione expiari non poterant, conscientiæ maculis purgarentur; quare dum opportunum nauigandi tempus præsto-

præstolamur, omnes auditi; ac tandem postridie ab Hacotalpanis tam honorificè, quàm exspectati, recipimur. Est hoc oppidum ceteris Indorum hac in regione maius, vbi etiam Hispani commorantur quàm plurimi: iacet in Insulâ medio flumine surgente adeo eleganti ac peruenustâ, vt accedentes sua amœnitate recreet & viriditate. Sermones hîc habiti de rebus ad salutem animi pertinẽtibus in sacello, in plateis, in littore frequentes: confitentiũ numerus adèo magnus, vt cùm dies deficeret audientem tempus etiam somno eripiendum esset, vt omnibus liceret satisfacere. Inter omnes quidem, sed inter primores præcipuè inimicitiæ graues & inueteratæ multorum annorum decursu intestinis odijs exercebantur; sed in frequenti omnium, qui summa religione conuenerant, cœtu cùm pro concione bona pacis extulissem, lenitâ ferocia in mutuos amplexus & iniuriarum condonationem Deo fauente iratos perduxi; hîc fundamenta iacta sunt pacis, mutuique complexiũ dati, summa indices charitatis. Duobus in pagis aliqua nec obscura idololatriæ reperi monumenta; rei indignitate cõmotus aduocata concione multa de vnius DEI veri omnipotentia deq; idolorum inanitate ac superstitionis vanitate disputaui: multisque ea, quæ dixi, persuasi; sperõq; futurum, vt omni Diabolicæ fraudis discussa caligine in Orthodoxæ veritatis veniant cognitionem. Atque hi sunt præcipui (nam singulos colligere esset propemodum infinitum) animarum fructus, qui in his regionibus Societatis laboribus capiuntur; cætera aliâ narratione prosequemur.

Huc vsque Pater in prima epistola: copiosiores huius

huius suæ expeditionis fructus aliàs hunc in modum enarrat.

PAX CHRISTI &c.

Summa cum diligentia & animi voluptate, vt credi licet, diuinitus immissa Iuxtlan regionem lustrauimus; & ab omnibus tanta beneuolentia animi & significatione charitatis hospitio sumus excepti, vt credi vix possit. Postero ab Aduentu die promulgatum est Summi Pont. Iubilæum (nondum enim eò vsque peruenerat) ac per eam occasionem tanti facti sunt ad sacram confessionem concursus, vt quanquam diluculo ad audiendos in templo pœnitentes euigilarent, multi tamen anteuerterent, præstolantes. Crescebat deinceps numerus eò vsq; vt ad inclinatũ iam in pomeridianum diem de sella surgere, quò me reclinaueram, non liceret. Secundum noctem eòdem redibam, ibiq; ad multam noctem absoluendis reis operam dabam; ita debitum sacra Psalmodiæ cæterarúmque ex instituto precum commentandiq; ea, quæ pro concione dicenda essent, id totum somno, qui parcissimus erat, eripiendum fuit: confessiones ab ipsis ferè incunabulis ordiebãtur ferè omnes. Sub idem tempus eius rei causa è finitimis quoq; locis cõferta pœnitentium turba confluxit, qui tanto cum progressu vitæq; mutatione redierc, vt non sine magna tum admiratione tùm voluptate multa mihi de eorum constantia ac salute polliceri queam. In hoc oppido multæ eædemq; grauissimæ inter primarios Indorum inoleuerant simultates; ego pro virili parte animis vtcunq; sedatis postridiè ad sacrificium populum

Digitized by Google

pulum aduoco, nullà concionis factà mentione, ne, vt plerumq; fit, multi nondum sani suiq; compotes, quæ sibi saluti esse possent, audire nollent. Peracto sacro sermonem ex æquo familiariter instituo ad conciliãdos animos accommodatum. Sed enim orationi tantas vires attulit Deus, vt priùs quàm perorandi factus esset finis, discordiarum principes valde permouerit. Postea ad eos, qui tum abfuerant, ady, cum eisq; Deo duce sic egi, vt nullæ amplius resederint simultatum reliquiæ. Multorum confessiones perperam & ausu sacrilego factæ innouatæ; ingentes superatæ difficultates, dum infimam turbam in magnâ diuini pariter & humani iuris inscitia & in altâ futuri sæculi obliuione iacentem ad expianda peccata & curandas animi plagas conabamur adducere. Sed omnium maximè elaboratum est in suadendo hominibus ad sacram Synaxin accedere: inualuerat enim impius apud has gentes mos, dolis & suasione, vt credi fas est, hostis humani generis, vt crederent lethalem aliquam pestem in sacra hostia contineri. Quare nullis nec rationibus nec parochorum suasionibus adduci poterant, vt Sancto Christi Corpore pascerentur. Hanc mali Dæmonis fraudem pro concione detexi: nec frustra. Tantus enim in omnium ordinum hominibus factus est motus animorum, tantáq; ad sacras epulas accumbendi auiditas excitata, vt noctem totam in ade sacrà excubuerint, qui mane vellent viuificum Eucharistiæ Sacramentum suscipere. Quid dicam de domandi corporis studio? Quid de pœnis, quas Indi tam alacriter subeunt, vt nulli hominum generi primas deferant? Interea his fructibus amplissimus ager Societatis laboribus subactus

actus redundat; neq; enim vllum est hominum genus ita ferum ac barbarum, modo se homines esse intelligant, quod aliqua non tangat cura animæ salutis. Atque his officiis vsque eo omnium animos nobis Societatique deuinximus, vt nostrum postea discessum moderatè ferre non possent; qui vt omni comitate atq; amore manentes complexi sunt, sic abeuntes omni officio prosequi voluerunt. Faxit vtinam aliquando præpotens ille ac Summus Deus, omnium planè pastor animarum, vt hæ amplissimæ regiones ad messem albæ operarijs abundent opportunis. Hæc ipse.

Aliàs aliæ ex hac Sede expeditiones non minùs vtiles ac laboriosæ fuêre susceptæ. In insula certè S. Ioannis plurimi è nauali fœce homines sublatis, quę huiusmodi turbæ vsitata sunt, vitijs, optimísque ministerio Nostrorum moribus introductis frugi fuêre facti. Domi piorum eleemosynis quater mille contracti æris alieni pondo soluta.

RELIQVÆ SEDES.

XII. ETSI GVATIMALENSIS Sedis annuæ ad manus nostras non deuenerint, hoc tamen constat, Nostros ibi ob gnauam in consuetis Societatis ministerijs industriam primatibus iuxtà & plebeis esse acceptissimos. Vnus erat vir Ecclesiastica dignitate præcipuus, qui nulla præbita occasione Nostros non mediocri odio persequi multísque modis auderet diuexare. Nostrorum tamen

Digitized by Google

tamen seu patientia seu prudentia maleuolentiæ tempestas desæuijt.

XIII. A S. LVDOVICI PACATI Sedis inquilinis inueteratæ eædémque grauissimæ simultates abolitæ: excursiones copioso cum fructu factæ: multa nō irrita ad indigenas Chichimecos in officio cōtinendos expoliendósq; opera insumpta.

XIV. ACERBISSIMAM Zacatecana inter Clerum & religiosum quendam cœtum discordiam cum magna omnium gratulatione disiecit. Diui Parentis Ignatij cultū eo pergit promouere studio, cui benignitate sua ipse respondere non dedignetur, quemadmodum pluria votiua munuscula beneficentiæ monumēta ostendunt.

XV. GVADIANENSIVM Sociorum labori tantum videtur idem B. Pater fauorē impertiri, vt & in indigenas copiosè redundet. Vnum è pluribus ab eo collatis beneficijs seligam, quod sit instar omnium. Femina nobilis Leonora Martinez partûs difficultate eo miseriarū deuenerat, vt de medica arte porro nil speraret. Cōfugit his in angustijs ad diuinā Beati Nostri opē: iconem eius, quæ religiosè apud nos colitur, petijt: ea vix dum allata dolore leuatur, postridie feliciter enititur. Verùm quò illustrius Diui foret beneficium, acri mox ægritudine cœpit corripi; qua in dies inualescente ad extrema deducta eidem sospitatori suo Diuo votum concipit: & ecce tibi duas post horas, quibus sine mente sine sensu ab omnibus conclamata iacuerat, derepente animum sensúmq; reuocare, Ignatium vitæ suæ restitutorem inclamare, ac testari denique incolumem,

Digitized by Google

mem se, & è lecto prosilire, si præsentes velint, paratam.

Hoc aliisque Beati Nostri beneficijs illecti ciues & ipsum mira colunt religione, & nos velut eius filios perhumaniter amplectuntur. Erectum hoc anno B. Virginis Sodalitiũ; quod quàm gratum acceptúmque acciderit omnibus, è Gubernatoris Viri Generosi ac Societati nostræ maximè addicti, literis ad P. Prouincialem eam ob rem datis cognosci potest.

Cùm Societatis, inquit, *progressiones atq; incrementa contemplor, non possum non vehementer perpetuam huius vineæ admirari fœcunditatem; quæ in omnes partes sine vllâ cessatione innumeris eisdemq; sanctissimis institutis se fundit. Sed inter cæteros huius vitis palmites Sodalitatum B. Virginis institutio vberrimos edit fructus virtutum: nam cæteri sterilitatem patiuntur aliquando, nec vnoquoq; anno semper æquè respondent; vt enim cætera arua quietis & laboris vicissitudinem amant, & tunc vberiores ferre fructus solent, cùm quies antecesserit: at hic noster, quem dixi, palmes nulla tempestate sit segnior, nullâ senectute gracilior, semper est sine cessatione fœcundus, sine vicissitudine ferax. Cuius nos ipsos esse volo testes veritatis. Cùm enim P. Franciscus à Conteras Collegij Rector ex mandato V. P. initia iecerit Sodalitij B. Virginis in ipso Sereniſsimæ Matris Annunciatæ sacro die, tantà omnium voluntate ac gratulatione tam sanctum opus susceptum & comprobatum est, vt difficile percipi cõprehensione, scribi autem aut narrari dictione minimè possit. Creati sunt Magistratus è prima nobilitate, iisque, qui regia fun-*

Digitized by Google

gia funguntur potestate, summâ omnium approbatione & lætitia; vt coniicere liceat, non posse non sempiternos induere fructus palmitem illum, qui ex generosâ adeo & fœcundâ ac semper sui simili vite prorepserit. Dum quis in tali palmite fructus manserit, dum talium cultorum diligentiâ non aberit, nunquam à materna stirpe degenerabit. Ego verò totius ciuitatis nomine V. P. gratias ago immortales, enixèq; rogo, vt à Reuerendo admodum P. Generali impetret, vt hoc Sodalitium primario Romano de nomine B. Virginis Annunciatæ instituto aggregetur, & Pontificium de hoc ipso diploma ad nos quam breuissimè transmittatur; de qua etiam re vniuersa Sodalitas Reuerendiss. P. Generali mittit precatorias epistolas Deus V. P. seruet incolumem. E Guadianâ sede pridie Idus Aprilis. Anno CIↃ. IↃC. XI.

XVI. VASTISSIMVM habet Cicimeca Residentia agrum, copiosissimam segetem: sed est incredibilis operarum nostrarum labor. Inter barbaros & dubiæ fidei populos per aspera montium iuga & cœnosas paludes continuò oberrant, quò homines pretioso Christi sanguine redemptos ab infelicibus errorum diuerticulis ad lœta Euangelij pascua traducant. Duobus Sacerdotibus, petente Prouinciæ Præside, cura populi huius commissa est, qui eos ad verum Christi cultum nuper reuocatos in officio & fide contineant, melioribúsque pignoribus imbuant. Nec desunt muneri suo: maximo labore ad humanitatem aliquam student incolas efformare. Sunt quippe siluestres ac feri, palustri humidóque loco & crasso cœlo nati: ingenium habent, præ

quàm credi facilè possit, stupidum: radicibus & herbis sponte natis vescuntur, ab Societate cõmercijsvé mutuis tantùm abhorrẽt, vt non cum ignotis vel externis modò non temerè congrediantur, sed ne ipsi inter se aut in cœtus coalescant, aut iure vllo congregentur: quare nulla stabili sede morantes vagabundam barbarámq; vitam degunt: neque rarò ad conuentus hominum pellecti solâ instigante barbarie ad montosa silueſtriáque loca refugiunt. Desperatum esset de salute ipsorum, ni indefessa Nostratium industria cunctas difficultates perrumperet: verborum blanditie, precibus, munusculis alliciũt; veniúntque illi non exigua copia, neque infrequenter ad Nostros. Nihil magis ad animos ipsorum deliniendos valuit, quàm sinceræ significatio beneuolentiæ & perspecta multis in rebus Nostrorum fides. Eâ re confisi permulti in viciniora loca concedere, & omnino nostræ se fidei committere non dubitárunt. Quinquaginta supra trecentos baptismum hoc anno suscepêre. Adiecit non leue ad Christiani nominis promotionem momẽtum cuiusdam magnæ inter suos auctoritatis ad fidem accessio. Is homo octogenarius nobilitate generis & prudẽtiâ multis suæ gentis longè anteibat: crebris ad fidem impulsus machinis, risu, iocis, verbis operam lusit.

Verùm quod contumacia semper denegauit, id denique seu morbi acerbitas, seu Sociorum virtus ab homine extorsit vel inuito. Ægritudine correptus eam à Sacerdote nostro beneficẽtiam est expertus, vt excellentiam Christianæ legis ad-

Digitized by Google

gis admiratus magis magísque eam súscipere inciperet, donec in alium penitus conuersus idola, quæ habebat non pauca, in magnâ populi corona igne absumpsit; legis Christianæ, quam extremè antea oderat, vindex & assertor est factus. Speramus quâ est apud paganos auctoritate, multos per eum ad Christum vêturos. Non minoris, quod sequitur, est notæ. Sacrificulus idolum domi multis annis abditum seruârat, eíque numen inesse credens magnam cum Cacodæmone contraxerat familiaritatem; quæ ei non paruo stetit: tot támque grauia misero homini stygius impostor ieiunia seruanda indixerat, viribus vt persæpe defecerit, neque se loco aliquãdo mouere potuerit. Hinc macilentâ horridáque erat facie, ex quâ facilè colligere erat, cuius familiaritate vteretur. Tantam verò infelix hic idoli sui formidinem simul ac venerationem superstitiosæ genti incusserat, vt contingere illud auderet nemo, omnes de eius custode palàm loqui, religioni sibi ducerent. Aduertit ea res Nostrum; qui hominem multis sæpe rationibus adeo perpulit, vt idolum proferret, animo suo medelam postularet. Tum Pater monstro illo pro meritis contumeliosè tractato, sacrificulum in fide Catholica instituit, atque sacro deniq; baptismatis lauacro expiauit.

MISSIONES.

XVII. LABORIOSVS PARRALENSIBVS Nostris fuit hic annus: pestilenti lue ingentem tota pas-

Digitized by Google

sim regione Indorum numerum affligente nulla ipsis interdiu noctúque ab opere quies dabatur. Solitũ laborem nota humani generis hostis vafricies auxit, quà persuasit Barbaris, nullos nisi sacro fonte ablutos pesti esse obnoxios: perculsi igitur diffugère fermè omnes, & in agris ac saltubus delituère: non tamen extra periculum: crescente in dies mali sæuitiâ multò plures omnibus, fidei mysterijs destituti occumbebant. In his miserijs id solatij restabat Nostris, quòd adultos viderent non paucos exspirare sacro prius fonte piatos, atq; in mediâ etiam barbarie esse, qui letho propinqui commissis in crucem baculis ad Christianè occumbendum sese inuicẽ hortarentur. Multi in humanis diuinâ virtute diutiùs retineri ad hoc vnum videbantur, vt lustrali aquâ abluti è vitâ hac ad beatam alteram transferrentur. Anus certè sibi duobúsque filiolis baptismum efflagitare non destitit, quod Catechesi imbuta impetrauit: postero die luc correpta ijsdem comitata liberis ad Superos euolauit. Cæterum primis fidei principijs iuuentus quotidie imbuitur cum magno gaudio parẽtum, vt plagis liberos excipiant, si vel semel remissiùs agere videantur. Consuetudo inducta est, vt Angelica Salutatio dato ære campano signo clarè decantetur. In spontaneis sui diuerberationibus ita feruent multi, vt intellecto sextâ quaque feriâ alibi diuerberationes eiusce modi institui, ipsi iam bis in hebdomada eam ob rem conueniant. Tantum nempe exempla robo-

roboris habent ad animos in virtutis ſtudio excitandos.

XIIX. QVÆ AD TOPIANÆ MISSIONIS curam ſpectat natio, barbara eſt: vitámque tenui alimoniâ herbis, ſiliquis, & baccis ſuſtentat, per ſilueſtria ſaltuoſáque loca vagabunda. Efferos cuiuſdam pagi omniníque crudeles incolas duo aliquando Noſtri, Hiſpanis militibus præſidij causâ comitati, non ſine capitis periculo adierunt: ſacra ibi fecerunt: barbariem temperârunt: ſed cùm meſſem nondum ad maturitatem vergere conſpicerent, ſe aliàs reuerſuros polliciti domum remeârunt. In hac nihilominus expeditione multa tùm ob viæ aſperitatem, tùm ob victûs tenuitatem (mayzium & cucurbitas in delicijs habuerunt) fuêre perpeſſi. Ex itinere aliquando cùm ad oppidum luſtrandũ diuerterent tuguria omnia vacua reperêre, quòd oppidani quarundam cædium rei ſedibus emigraſſent, veriti ne à militibus intercepti in Gubernatoris manus deuenirent. Actum à Noſtris cum Gubernatore, vt iniuriarum oblitus ipſos ſecuros de periculo factos ad ſedes ſuas reuocaret. Secúnda rei Chriſtianæ cæteris in pagis initia magnos frugum prouentus pollicentur: ſed inebriandi conſuetudo, & quæ inde proueniunt mala, maxima ex parte repreſſa atque ſublata.

Sub verni ieiunij finem vnus Noſter in Culchuacanenſem vallem excurrit cum tanta omnium lætitia, vt aduentanti obuiam procederẽt, abeuntem longiſſimè proſequerentur: ad doctrinæ Chriſtianæ explicationem aliáſque res diui-

Digitized by Google

nas agminatim confluxére: omnes sacra confessione animis suis prouiderunt: puelli candidis induti vestibus, humeris cruces gerentes oppidum supplicabundi & Christianæ legis præcepta decantantes obiére. Homo quidam facinorosus Patrem aliquando doctrinæ hauriendæ causa adit, ingenuè inter colloquendum fatetur, decreuisse se quidem antea, nunquam animum à peccatorum sordibus eluere, sed impiatum ad inferos descendere, quòd sæpiùs ore auribus oculisque ei Cacodæmon obstructis turpissima quæque flagitia persuasisset. Pater infelicem miseratus multis instituit, atque ad probatam deniq; vitam traduxit. Illud his in partibus mirabile simul & miserabile. Humana forma infernus veterator inter homines versatur; pueri non inelegantis figuram ementitus ac purpureis amictus vestibus per pagos, oppida, & domos discursat, mulierc ularum præcipuè humeris brachijsque gestari amat: hortatur ventri, Veneri, omnibúsque se voluptatibus dedant. Neque contentus his, suadet insuper ægrotantibus gloriosius esse in mõtibus ac vasta solitudine, quàm in pagis postremum diem agere, quòd maiores eorũ ibi vel obierint vel certè sint humati. Cúmque Pater aliquando homini cum ipsa iam morte conflictanti astitisset, filij parentis obitu perculsi Nostrum veneficum, qui solo alios alloquio interimere queat, tota vrbe proclamarunt, & assumpta continuò supellectile ad montes cum matre secesserunt. Sed enim cùm matrem non diu pòst & ibi mortuam in pagum terræ mandandam

Digitized by Google

dandam deferrent, vocatis ad se vrbis Præsesquid de altero parente, cùm mater Nostro non alloquente mori potuerit, videri debeat, ostendit. Cognito igitur ipsi errore suo iam in Societate hominum commorantur.

XIX. DVODECIMVM annum Nostri in Missione versantur apud Tepeghuanos, ad quos de barbaris moribus ad humaniores traducendos multùm Mexicani atque Taraschi in eodem, in quo Nostri, commorantes oppido præstant. Hi Genethliacos præsertim Christi Domini dies insolito quodam apparatu musicóque concentu data etiam pastoritia ad Præsepe Christi actione celebres habuêre cum vnanimi populi frequentissimi acclamatione. Illud insuper in his laude ac memoratu dignum. Senex alicubi omni humana ope destitutus iacebat, squalore, fame, morbis confectus ac propemodũ enectus. Hunc Hispanus primò in domum suam recepit, fouitque, dum licuit, humanissimè: sed re exigente, ipsum in eundem, quo prius fuerat, statum reposuit. Tum igitur renouata viri calamitas hos, de quibus loquor, Mexicanos & Taraschos commouit; qui eum confestim hospitio receperunt, alimenta subministrarunt, lectulum strauerunt, cibos appararunt, nihil denique, quod excellens charitas præstare potest, omiserunt.

Tepeghuani igitur cùm industrio Nostrorum labore exculti, tùm insignibus horum exemplis incitati maiora in dies fidei & religionis suę dant argumenta: idola produnt, comminuunt, alia

omnia Christianæ fidei exercitia obeunt. Extrà mœnia multos Nostri fructus fecerunt. Permulti Cicimechi è patrio solo propiùs nos, quò consuetudine Nostrorum fruerentur, superioribus annis transmigrarant: sed verò, ne cum Tepehuanis, quibuscum minùs bene conueniunt, cò mercij quid haberent, locum asperum aditúque difficilem habitationi delegerant, diéque sine fide vixerant. Hoc anno Socij omnibus itineris difficultatibus superatis eò penetrarunt, & ibi ad vnum omnes piaculari vnda lustrarũt. In ipsam vlteriorem Cicimechorũ regionem duo Patres missi, quibus in mandatis datum, suaderent ijs populis soli mutationem, quòd reipsa compertum sit, operam ludi cum Neophytis, si ab Hispanis præsidijs longiùs absint: Cicimeci autem, præterquam quòd homines efferi sint, pérque nemora & abrupta montium ferarum instar instabili sede vagẽtur, longa insuper ac difficili via distant. Vt peruenerunt ad eos Nostri, primùm de eo, ob quod potissimùm venerant, egerunt cum dynastis; qui conuocatis consultisq; suis responderunt: se suósque ad fidem quidem Christianam transire esse paratissimos; verùm aliò commigrare multas ob causas in animum inducere non posse; rogare Prouinciæ Præsidem, permittat ipsos à Nostris in pagis suis excoli; hac verò re nihil sibi gratius posse accidere. Cùm ab ijs digressi Patres domum reuerterentur, adolescentulum alicubi morti proximum offenderũt, & consentientibus parentibus aqua lustrali piatum in cœlum dimiserunt. Sæpe accidit, vt

Neo-

Neophyti vix baptiſmate abluti decedant; quod & gaudium Noſtris affert maximum, & ſpem, animas cœlo donatas afflictæ memores patriæ nõnihil à Deo ſupplicando impetraturas. Ocotlanis nonnullis, cùm ad eos eſſet excurſum, vt cum ſuis è ſolitudine in patentiora loca ſedes mouerent, perſuaſum eſt; qui ab alijs humaniſſimè excepti & Chriſto nomina dederunt, & ſilueſtres mores ſedulò correxerunt. Oppida quidem S. Pauli & S. P. Ignatij mitiora habent ingenia, & moribus quà fidei quà ciuitatis bene exculta: at verò Ocotlani in interiore terræ tractu beſtiæ quodammodo ſunt, rudi victu degunt, mapalia perexigua, ſepulchra veriùs, habitant. Nonnulla tamen apud eos reperire eſt veræ religionis veſtigia. Idola in paruo honore habent, ſi qua habent: animas humanas immortales credunt. Verùm de æternis ſeu præmijs ſeu pœnis nihil nôrunt: omnes rectè viuere arbitrantur, licet quidquid agere poſſunt, pro libidine agant; & ſi egerint, recte factum dicunt. De mortuum agnati eo amictu, quo in viuis vtebatur, induunt, efferúntque vnà cum arcu & pharetra atq; vniuerſa ſupellectile: cùm ſepulturæ denique mandant, cibaria ac cucurbitam aquâ refertam apponunt, quòd putent ad longum, quod illi conficiendum ſit, iter hæc vitæ ſubſidia requiri: ipſi in vicem atratæ veſtis tonſi lugubri & incondito vlulatu funus proſequuntur, picta facie cæteroquin deformes. Magna nihilominus in religionẽ Chriſtianam ſunt propenſione, vt ſatis oſtenderunt, quando viri feminęque vnà cum paruulis ad ali-

Digitized by Google

quot passuum millia Nostris obuiam excurrerunt, & hospitio perhumaniter exceperunt; vt spes sit magnarum frugum. In id interim Nostri maximè incumbunt, vt è locis suis in alia pro fide propaganda commodiora sedes transferant. In D. Pauli oppido Caciquius isque veneficus cùm diuino tandem beneficio lucem aspexisset, eâ nunc nos beneuolentia atque amore prosequitur, vt quocunque excurramus, ipse comitetur, nostrísque de laboribus aliquid in se deriuare non sine fruge laboret. In eodem oppido lapide Hispanus post verba vltrò citróque data petierat indigenam, qui dolore in furorem actus saxum tanto impetu in hostem retorsit, vt semianimis in terram rueret. Offensionem igitur indigena Hispanorum veritus rem cum cæteris suę gentis communicat, & communi omnes consilio se ex oppido ad interiora montium proripiunt. Re cognitâ Noster ita flexit, Hispanos, vt illi securi ad sedes suas auderent remeare.

XX. CLAVDAT res gestas simul Prouinciæ huius, simul totius anni, celebris Zinaloensis Missio, quæ copiosas fruges ferre solet, quòd populos præ alijs feros ac rudes, vt ex superioribus annuis videre est, habeat excolendos. Hoc anno quorundam barbarorum furor eò processerat, vt Nostrum vnà cum Hispanis militibus crudeliter mactâssent, ni diuina bonitas peculiari ope impia eorum consilia dissecisset. Res ita gesta est. Sacerdos noster in expeditione ad oppidum Tehuecum susceptâ grauiter oppidanos de idololatria & humanæ carnis esu reprehenderat;

quin-

Digitized by Google

quin ſubdolam ipſorum fidem ſubolfaciens tuguria luſtrauit, reperta idola ocyus tolli ſeuerè mandauit; cúmque illi cunctabundi, ne leuiter quidem, ni quam in ſua capita perniciem redundare vellent, ea ſe contingere audere dicerent, Pater ipſemet adiuuātibus, qui prę ſidij causà adiuncti erant, Hiſpanis idola vi abſtulit, & dignis modis habita ſub humo condidit. Tum verò Barbari exulceratis ea re animis furibundi ſocietatem mutuam ingenti Noſtrorum labore conflatam aſpernari, ſacra Chriſtiana penitus deteſtari, & Patrem ac Hiſpanos milites communi conſilio neci deſtinare, permultos è gente ſua ad ſicariorum partem ſollicitare, atque facili negotio pertrahere. Verùm quia ad plures pertinebat conſilium, non potuit illud vel diuina adnitente clementia amicos indigenas latere; è quibus aliqui nocte facinori deſtinata ad Patrem nihil mali metuentem aduolant, inſidias aperiunt: hortantur, ſi ſe ſaluum ſuis velit, dicto citiùs inde profugiat, maximum in minima morula periculum ſubeſſe. Nuncio tam ſubito Pater non tam de ſe quàm clientibus ſuis ſollicitus in templum ſe recipit, quòd viæ omnes, quibus euadendi aliqua eſſe poterat fortaſſe facultas, forent ab hoſtibus interceptæ. Tum indigenæ amici, quibus Patris vita ſuamet charior erat, templum præcingunt, & magnis circùm pyris excitatis excubias militari more agunt, in hoſtē, ſi appropinquare audeat, vno impetu ruituri. Verùm vbi aduerſarios id aduertit, mouere ſe, auſi non ſunt, omnéſque re infecta domum diſceſsere.

Digitized by Google

cessére. Inde Pater, quòd in tanto vitæ discrimine versaretur, aliò iussus est commigrare. Quamplurimi alibi in Christianos abiuti pagos incolere cœperunt; inter quos feminæ in tuenda castimonia strenuæ sunt. Tres omnia salutaria monita auersantes ex ipsis Tartari faucibus in ouile Christi sunt reducti. Plura hic nec auditu iniucunda nec indigna scitu possent subijci, sed quoniam cum alijs aliquam videntur habere similitudinem, ad finem est properandum.

XXI. APPENDICIS loco egregium in litteris Reuerendiss. D. Ioannis à Valde nouæ Cantabriæ & Gallitiæ Episcopi ad P. Prouincialem datis de Nostratium opera encomium subiungo. Aliàs quidem beneficentissimus Præsul de Nostris non nisi honorificentissime quà publicis quà priuatis sermonibus loqui solet, atque ea sæpe, quæ hic referre non attinet: cùm nuper ipsum vastissimam diœcesin suam peragrantem Pater aliquis comitaretur, cunctos passim ipse Reuerendiss. hortabatur, grates Deo agerent, quòd nati essent in ea tempora, quibus quæ ad salutem forent necessaria, abunde à Nostris docerentur: tùm denique omnium clarissimè in litteris, de quibus dixi, suum erga Societatem animum his verbis prodidit:

Et Mei Officij ratio, inquit, *& summa Patrum, qui in his oris versantur, modestia; & singularis, quam ex eorum alloquijs percepi, voluptas postulat, vt cum V. P. ea communicem, quæ à Societatis hominibus verè religiosis in his vltimis terræ angulis ad Dei gloriam proximorumque vtilitatem summâ*

cum

ûm laude peraguntur. Ego verò de meipso hoc affirmare possum, adeò me eorum familiaritate fuisse recreatum, vt longissimi eiusdemque difficillimi itineris molestijs non grauarer, vt horum Patrum felicissima & omni ex parte perfecta fruerer consuetudine. Ea de illorum summa virtute cognoui; quæ vix credi, scribi certe aut explicari nullo modo possint; ex quo V. P. liquido intelliget, quanti interfit tales diuinorum ministeriorum magistros in his barbaris inculti sque regionibus versari. Sed quoniam ea omnia, quæ & plurima sunt & præclarissima, epistolarum breuitate contineri non possunt, ad Vestræ Paternitatis aduentũ reseruabo. Interim de me hoc possum polliceri, in posterum horum me Patrum (Apostolos verius nominassem) patronum futurum vigilantissimum, & summæ eorundem mirabilisque virtutis laudatorem.

Digitized by Google

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM.

Adolescentis in tuenda Castitate fortitudo. 35
Agno Dei præstigiæ Diaboli pelluntur. 54.373. *manifestæ insidiæ Diaboli pelluntur.* 202. *gravibus aliquis tentationibus liberatur.* 22. *incendium extinguitur.*
Alexij Palmæ Coadiutoris virtus. 33
P. Alexandri Heller virtutes & vita. 492
B. Aloysij festum celebratur. 72. *reliquiæ eius à morte liberant.* 45. *eidem puer vitam in acceptis refert.* 189. *famina à tumore periculoso liberatur.* (471
Alphonsi Barrerij virtutes. 726
P. Angeli Armani virtus & vita. 793
P. Antonio Rivalta inter quietem Beatitudo à D. Virgine promittitur. 27
Apostatæ insignis vltio. 153
Aquæ lustralis haustus puellam à Dæmonis fraudibus liberat. 152
Alius eam bibens à febri convalescit. 110.373
Aqua lustralis pestilentiam pellit. 807

Aqui-

Digitized by Google

Aquitania Prouincia. 144
Austria Prouincia. 538
Aragonia Prouincia. 687

B.

P. Balthasaris Pinna virtutes. 759
Barbarorum superstitiones & sepeliendi modus. 57
Betica Prouincia. 714
Belgium Prouincia. 246
Belgica Viceprouincia. 313
P. Bernardi Colnagi insignis vita comendatio. 4.
prædicit suum & alterius obitum. 6
Blasphemus in Crucifixum vidit eum sanguine immaduisse. 703
Boholana Insula variè vexata & diuinitus defensa. 815

C.

Caca à Confessione visum recipit. 45
Campana nemine impellente sonum edit in signum iam moriturę Antistitę. 371
Castitatis obseruantia. 35. 737
Communio sub una specie hęsitanti miraculosè ostenditur. 379
Compotori pœna affligitur. 225
Confessionem & S. Synaxin maturans, ijs acceptis insanit. 692
Concepta Virginis festinitas. 48
Concionem sperneus morte punitur paulo post. 45
Crucis illusor punitur. 324
Crucis signo fugatur Dæmon. 31. 568

Digitized by Google

Cruce appensa sanatur æger. 141. 157

D.

Detractores duo Societatis Deo pœnas dant. 111
Diabolus turbas inter sacrum excitat. 53. *à nostro delusus testatur egregie.* 58. *Diaboli in nostros mendacia.* 77. *varijs modis infestat Virginem.* 317. *Vim inferre nititur iugulo Iuuenis, sed frustra.* (659
Dynastæ morsu serpentis venenati precibus curatur. 56
Diaboli æstus ad deterrendum à fide. 816

E.

P. Eleutherij Pontani virtutes. 297
P. Emanuel de Barros Dæmones & Lemures fugat. 61
Eucharistiæ sumptione sanatur quis apostemate. (102

F.

Festos dies fœmina violat & punitur. 664. 665
Festos dies profanis negotijs infringens miserè perit. (709
Fidem puella iubetur acceptare à Patre igne flagrante. 203
Fidem negans miserè perit. 818
Ex fidei Confessione mulieri & vox & sanitas restituta. 200. *Idem viro.* ibid.
Francisci Abbati virtutes. 18

Digitized by Google

Francia Prouincia. 80
Francia noua descriptio. 125
Formicæ tentato accessu ad Eucharistiam omnes exanimatæ. 55

G.

Germania Prouincia superior. 457
Græci Ecclesiæ Latinæ ritibus se conformant. 21
Guilielmi Oben virtutes. 652
Genu alterum tantum flectenti alterum cancer conficit. 805

H.

Hæreticus de conuersione diuinitus monetur. 166
Hæretici mirabilis conuersio. 497
Hæretici sacra ludentis vltio. 553
Hæreticorum insania & ferocia in Collegium Aquisgranense. 563
Henrici IV. Regis Galliæ parentatio. 90

I.

Iacobus Mlobki ægrotus à D. Virgine inuisitur & dies obitus indicitur. 668
B. Ignatius à pleuritide sanat. 15
Monialem à tumore. ibid.
A mortis periculo eximit. 60
Surda auditum impetrat. 75
A morbo periculoso. 738. 750
A febri liberat. 466. 483. 703. 705
Infans mortuus Dini ope reuiuiscit. 702

Digitized by Google

Lipsana aegrotanti appensa mutæ vocem restituunt. (753
Puella præceps ruit, ope B. Patris non læditur. (703
Oleum lampadis herniam depulit. 703
Imagine Diui Diabolus pellitur. 219
Virgo à grauissimis tentationibus ipsius intercessione liberatur. 102. 279
Prolem à Deo impetrat. 195
Parturientibus succurrit. 111. 196. 235. 522. 808. 829. 843. 848. 855.
Parturienti succurrit, & pro deformi formosam reddit prolem. 206
In B. Ignatium stylum stringens, encomia scribit. (706
Ab hostis incursione defendit. 840
Vary morbi pelluntur. 34. 42. 46. 49. 50. 61. 75. 76 95. 100. 108. 157. 167. 188. 189. 196. 260. 268. 705. 841
Impœnitentiæ exemplum. 670. 828
Inimicitiæ compositæ. 225. 825
Iuuenis B. Virgini deuotus sertum accipit & tentationibus carnis liberatur. 594
Iuuenis à Diaboli laqueis eripitur. 192

L.

Legum Ecclesiasticarum contemptor diuinitus punitur. 359
Libidinosi visio. 844
Lithuania prouincia. 643
Lugdunensis prouincia. 162
Lusitania prouincia. 37

Digitized by Google

Lusor Diaboli pecunias audacter repudiat. 155

M.

Martyrium Abbatis Monasterij Carlouiensis Pragæ. 386
Item Sacerdotis cuiusdam. 387
Item Religiosi non Sacerdotis. ibid.
Martyrium Patrum Franciscanorum. 388
Mexicum Prouincia. 834
Miles imagine B. Patris curatur. 18
Muliercula impura pœnas dat. 828

N.

Neapolitana prouincia. 24
Neophyti rei in fide constantia. 523
S. Nicolaus de Tolent. libidinosi pœnas æternas minatur. 844
Nouitij mirabilis in vocatione constantia 115.224

O.

Oleum ex lampade ante B. Patris imaginem varios curabat. 16.18.703
Oleum ex lampade B. Virgini suspensa varios morbos curat. 46

P.

Parisiensium in Societatem calumnia. 85
Paupertas Patrum in missione. 142

Digitized by Google

Patrum duorum è latrunculorum manibus liberatio. 627.631
Peruuiana prouincia. 756
In S. Petri imaginem imprudens arcum intendit, & miserè perit. 57
P. Petri Ribadeneirae vita. 68
P. Petri Canisij beneficio rosarij femina parit. 482
Polonia prouincia. 589
Pragensis tumultus. 379
Philippina prouincia. 789
Praedicantis conuersio. 351
Pueri in fide constantia. 546.654
Pueri rusticani mirabile SS. Eucharistiae desiderium. 367
Pueri Zelus. 819
Puellae in fide constantia. 199
Puellae quadrimae felix obitus. 187
E purgatorio patrem filia liberat. 295

R.

Reliquijs pro gladio vtens liberatur ab hoste. 57
In Religionis desertorem vltio. 741
Reus B. Virginem patrocinantem sibi in somnis videre visus. 176
Rhenana prouincia. 504
Rosario taurus furibundus retorquetur. 46
Rosarium ablatum à Diabolo, reddere cogitur. 305
Ruina Collegij Mauriacensis. 227
Rosario se potator contra stygias belluas defendit. 809

S.

Sacra-

Digitized by Google

Sacramentum Baptismi eludens miserè perit. 827
Sacrilegi confessio mutilata à filiolo detegitur. 365
Senex Neophytus mire in aquis seruatur. 819
Sicilia prouincia. 4
Societas contra detractores defenditur. 20
Ad Societatem duo iuuenes miraculo vocantur. 516
Sodalium feruor & studium. 29. 820. *pietas in aegros singularis & cura.* 543
Sodalis viri primarij pietas. 95
Item alterius. 97
Sodalem se futurum promittit & sanatur. 70
Sodalis à D. Virgine monetur se duarum horarum spatio moriturum & cælo fruiturum. 250
Sodalis cuiusdam eximius animarum Zelus. 315
B. Stanislai Soc. Iesu auxilio femina calculo liberatur. 620
A febri alius & oculorum dolore. 622

T.

Toletana prouincia. 63
Tolosana prouincia. 216
Tormentum aneum in æs campanum conflatur. 19
Tumultus Glacij qualis in Societatem excitatus. 376

V.

De S. Vdalrici sepulchro gleba glires fugauit. 580
Vesulana vrbis descriptio. 207
B. Virginis ope mira vno tractu fit captura piscium. 31
B. Virginem reus in somnis sibi patrocinantem videre visus. 176

Digitized by Google

B. Virginis imago applicita ægro & sanatur. 178. 186. alius Cancro sanatur ibid.
B. Virginis ope precipitans se in aquas, seruatus. 198
Item de alia rupe. Ibid.
Eiusdem inuocatione duo germani ab vndis rapti supernatant & eripiuntur. 232
Eiusdem ope femina visum recipit. 462
In B. Virginem blasphemus diuinitus punitur. 618
Virginis constantia & in religiosos pietas. 601
Virgo à Deo prius mori impetrat, quam nuptias celebret. 581
In vocatione quis miraculosè confirmatur. 842

FINIS.

Laus DEO Virginique Matri MARIÆ.

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
CIENCIAS Y LETRAS
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google